DIGESTORVM SEV PANDECTARVM PARS QVARTA.

DIGESTO-
RVM SEV PANDE-
ctarum pars quarta.



PARISIIS.

Apud Carolam Guillard viduā Claudii Cheuallonii sub Sole aureo, & Gulielmum desbois, sub cruce alba. in via diui Iacobi.

Rerum

A


DIGESTORVM SEV PANdectarum Liber uigesimus.

DE PIGNORIBVS ET HYPOTHEcis, qualiter ea contrahantur, & de pactis eorum. Titulus I.

Obligatio generalis porrigitur ad bona præsentia & futura: sed obligatio certæ rei non contrahitur etiã in illa re postea debitoris effecta, si creditor sciens fuerit. Bartolus.

PAPINIANVS *lib.* 11. *Responsorum.*

B



ONVENTIO generalis in pignore dãdo bonorum, vel postea quæsitorũ, recepta est. in speciẽ aũt alienæ rei collata conuentione, si non fuerit ei, qui pignus dabat, debita: postea debitori dominio quæsito, difficili' creditori, qui nõ ignorauit alienum, vtilis actio dabitur: sed facilior erit creditori possidenti retentio. Seruo pignori dato, peculium eius creditor, citra conuentionem specialiter super eo conceptam, frustra distrahit. nec interest, quando seruus domino peculium adquisierit.

C *Fundo obligato non veniunt in obligatione fructus à bonæ fidei emptore postea percepti, & vsucapio triennii ius pignoris non exstinguit. Bartolus.*

Cùm prædium pignori daretur: nominatim, vt fructus quoque pignori essent, conuenit. eos consumptos bona fide emptor vtili Seruiana restituere non cogetur. pignoris etenim caussam nec vsucapione perimi placuit: quoniam quæstio pignoris ab intentione dominij separatur. quod in fructibus dissimile est, qui nunquam debitoris fuerunt.

Valet pactum quod non solutis vsuris fructus cedant loco vsurarum, sicut quod non solutis minoribus vsuris currant maiores. Bar.

Pacto placuit, vt ad diẽ vsuris nõ solutis, fructus hypothecarũ vsuris cõpẽsaret, fini legitimæ vsuræ. quãuis exordio minores in stipulatũ venerint, non esse tamen irritã cõuentionem placuit: cũ ad diem minore fœnore nõ soluto,

legitimæ maiores vsuræ stipulãti rectè ꝑmitti potuerunt.

Vxor potest rem propriam obligare pro marito, quatenus ei tenetur occasione illius rei. Bartolus. D

Cùm prædiũ vxor viro donasset, idq́; prædiũ vir pignori dedisset: post diuortiũ mulier possessioné sui prędij recuperauit, & idem prædiũ ob debitũ viri pignori dedit. in ea dũtaxat pecunia rectè pignus à muliere cótractũ apparuit, quam offerre viro debuit, meliore prædio facto: scilicet si maiores sumptus, quàm fructus, fuissent, quos vir ex prædio percepit. etenim in ea quantitate proprium mulier negocium gessisse, non alienum suscepisse videtur.

Contra fideiussorem qui pignora à creditore recepit, agitur mandati, non pigneratitia. Bartolus.

II. IDEM *lib. III. Responsorum.* E

Fideiussor, qui pignora vel hypothecas suscepit, atque ita pecunias soluit: si mandati agat, vel cum eo agatur: exẽplo creditoris etiã culpã æstimari oportet. cęterùm iudicio, quod de pignore dato ꝓponitur, cóueniri nó potest.

Sententia lata contra debitorem, non præiudicat creditori, si lata fuerit post pignus contractum: secus si ante. Bartolus.

III. IDEM *lib. XX. Quæstionum.*

SI superatus sit debitor, qui rem suam vindicabat, quod suam non probaret: æquè seruanda erit creditori actio Seruiana, probanti rem eo tempore, quo pignus contrahebatur, in bonis illius fuisse. sed & si victus est debitor vindicans hæreditatem: iudex actionis Seruianæ, neglecta de hæreditate dicta sententia, pignoris caussam inspicere debebit. atquin aliud in legatis & libertatibus dictũ est: cùm secũdum eum, qui legitimam hæreditatem vindicabat, sententia dicta est. sed creditor non bene legatariis comparatur: cùm legata quidem aliter valere non possint, quàm si testamentum ratũ esse constet. enimuero fieri potest, vt & pignus rectè sit acceptũ, nec tamé ab eo lis bene instituta. F

Per iniuriam victus apud iudicium: rem, quam petierat, postea pignori obligauit. non plus habere creditor potest, quàm habebat, qui pignus dedit. ergo submouebitur rei iudicatæ exceptione: tametsi maximè nullam propriam, qui vicit, actionem exercere possit. non enim quod ille non habuit, sed quod in ea re, quæ pignori data est, debitor habuit, con-

buit,considerandum est.

A *In contrahenda obligatione bonorum,non requiruntur solennitates verborum sine scriptura: & magis fit scriptura ad probationem, quàm ad obligationem.Bartolus.*

IIII. CAIVS *lib.sing.de formula hypothecaria.*

Contrahitur hypotheca per pactum conuentum, cùm quis paciscatur, vt res eius propter aliquam obligationem sint hypothecæ nomine obligatæ. nec ad rem pertinet,quibus fiat verbis:sicuti est in his obligationib⁹,quę consensu contrahuntur. & ideo & sine scriptura si conuenit,vt hypothecæ sit, & probari poterit: res obligata erit, de qua cõuenit. fiunt enim de his scripturæ,vt quod actum est, postea facilius probari possit. & sine his autem valet, quod actum est,si habeat probationẽ:sicuti & nuptię sunt, licet testationes in scriptis habitæ non sint. *Cap.4.de fide instr.*

B

Pro qualibet obligatione possunt res obligari purè & sub conditione.Bartolus.

V. MARTIANVS *lib. singulari ad formulã hypothecariam.*

Res hypothecæ dari posse sciendum est,pro quacunque obligatione:siue mutua pecunia datur, siue dos, siue emptio vel venditio contrahitur, vel etiam locatio & conductio,vel mandatum:& siue pura est obligatio,vel in diem,vel sub conditione:& siue in præsenti cõtractus est, siue etiam præcedat. sed & futuræ obligationis nomine dari possunt: & non solùm soluendæ omnis pecuniæ caussa, verum etiam de parte eius: & vel pro ciuili obligatione, vel honoraria,vel tantùm naturali. sed in cõditionali obligatione nõ aliàs obligamur,nisi conditio exstiterit. Inter pignus autẽ & hypothecam† tantum nominis sonus differt. dare autem quis hypothecam poteſt,siue pro sua obligatione,siue pro aliena.

C

† In hũc locũ Laurẽt. Valla.lib.6.Elegan.

VI. VLPIANVS *lib.* LXXIII. *ad edictum.*

Obligatione generali rerum,quas quis habuit, habiturúsve est:ea non continebuntur, quæ verisimile est quenquam specialiter obligaturum non fuisse. vtputa supellex,item vestis relinquenda est debitori: & ex mancipiis,quæ in eo vsu habebat,vt certum sit,eum pignori daturum non fuisse. proinde de ministeriis eius per quàm ei necessariis,vel quæ ad affectionem eius pertinent.

VII. PAVLVS *lib.* LXXIIII. *ad edictum.*

VEl quæ in vsum quotidianũ habentur: Seruiana non competit. D

VIII. VLPIANVS *lib.* LXXIII. *ad edictum.*

DEnique concubinam, filios naturales, alumnos, constitit generali obligatione non contineri: & si qua alia sunt huiusmodi ministeria.

IX. CAIVS *lib.* X. *ad edictum prouinciale.*

SEd & quo ad eas res, quas eo tempore, quo paciscebatur, in bonis habuit, idem obseruari debet. Quod emptionem venditionémq; recipit, etiam pignorationem potest recipere.

Si duobus res simul obligatur insolidum: quilibet eorum contra extraneum vincit: sed inuicem melior est conditio possidentis. secus si res pro parte sit obligata. Bartolus. E

X. VLPIANVS *lib.* LXXIII. *ad edictum.*

SI debitor res suas duobus simul pignori obligauit, ita vt vtrique in solidum obligatæ essent: singuli in solidum aduersus extraneos Seruiana vtentur: inter ipsos autem si quæstio moueatur, possidentis melior est conditio. dabitur enim possidenti hæc exceptio, SI NON CONVENIT, VT EADEM RES MIHI QVOQVE PIGNORI ESSET. si autẽ id actum fuerit, vt pro partibus res obligarentur: vtilem actionem competere, & inter ipsos, & aduersus extraneos, per quam dimidiam partẽ possessionis adprehendant singuli, in confesso est. F

XI. MARTIANVS *lib. singulari ad formulã hypothecariã.*

SI is, qui bona reipublicę iure administrat, mutuam pecuniam pro ea accipiat: potest rem eius obligare. Si ἀντίχρησις facta sit, & in fundum, aut in ædes aliquis inducatur: eo vsque retinet possessionem pignoris loco, donec illi pecunia soluatur: cùm in vsuras fructus percipiat, aut locando, aut ipse percipiendo, habitandóque. itaque si amiserit possessionem, solet in factum actione vti.

Seruitutes personales possunt pignori obligari. secus in iurib⁹ realibus vrbano prædio debitis: in rusticis verò non idem. Bartolus.

VSusfruct⁹ an possit pignori hypothecæúe dari, quæsitum est. & scribit Papinianus libro vndecimo Responsorum: siue dominus proprietatis conuenit, siue ille, qui solũ vsumfructũ

vsumfructũ habet: tuẽdum creditorem. & si velit cum cre
A ditore proprietarius agere, NON ESSE EI IVS VTI FRVI INVITO SE: tali exceptione eũ prætor tuebitur, SI NON INTER CREDITOREM ET EVM, AD QVEM VSVSFRVCTVS PERTINET, CONVENERIT, VT VSVSFRVCTVS PIGNORI SIT. nam cùm & emptorem vsusfructus tuetur prætor: cur non & crediiorem tuebitur? eadem ratione & debitori obiicietur exceptio. Iura prædiorum vrbanorum pignori dari non possunt: igitur nec conueniri potest, vt hypothecæ sint.

XII. PAVLVS *lib.* LXXIIII. *ad edictum.*

Sed an viæ, itineris, actus, aquæductus pignoris conuentio locum habeat, videndum esse, Pomponius ait: vt si ta
B lis pactio fiat: QVAM DIV PECVNIA SOLVTA NON SIT: his seruitutibus creditor vtatur, scilicet si vicinũ fundum habet: & si intra diem certum pecunia soluta non sit, vendere eas vicino liceat. quæ sententia propter vtilitatem contrahentium admittenda est.

Vniuersitates rerum possunt pignori obligari. Bartolus.

XIII. MARTIANVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.*

Grege pignori obligato, quæ postea nascũtur, tenentur. sed & si prioribus capitibus decedẽtibus, totus grex fuerit renouatus: pignori tenebitur. Statuliber quo-
C que dari hypothecæ poterit, licet conditione existente euanescat pignus.

Pignus potest dari pignori: & tenetur quo ad vtraque si pecunia sibi debebitur. sed si nomen datur pignori, exactum compensabitur: aliàs in caussam pignoris retinebitur. Bartolus.

Cùm pignori rẽ pignoratã accipi posse placuerit: quatenus vtraq; pecunia debetur, pignus secundo creditori tenetur: & tam exceptio, q̃ actio vtilis ei danda est, quòd si dominus soluerit pecuniã: pignus quoq; perimitur. sed potest dubitari, nunquid creditori numorũ solutorũ nomine vtilis actio dãda sit, an nõ. quid enim, si res soluta fuerit? & verũ est, quod Põponius lib. septimo ad edictũ scribit: siquidẽ pecuniã debet is, cuius nomen pignori datũ est: exactã à creditore, se cõpensaturũ. si verò corpus is debuerit,

& ſoluerit: pignoris loco futurũ apud ſecundũ creditoré.

Qui habet vtile dominium, poteſt pignori obligare: & tunc hypothecaria tenetur, quæ competit contra quemlibet poſſeſſoré. Bartolus. D

Et in ſuperficiariis legitimè conſiſtere creditor poteſt aduerſus quemlibet poſſeſſorem: ſiue tantum pactum conuentum de hypotheca interuenerit, ſiue etiam poſſeſſio tradita, deinde amiſſa fuerit.

Hypotheca non tollitur, ſi principalis debitor vel fideiuſſor condemnatur, niſi realiter ſatisfiat. Bartolus.

Etiam ſi creditor iudicatum debitoré fecerit, hypotheca manet obligata: quia ſuas conditiones habet hypothecaria actio, id eſt, ſi ſoluta eſt pecunia, aut ſatisfactum: quibus ceſſantibus, tenet. nam ſi cùm in perſonam egero cum defenſore, licet is mihi ſatiſdederit, & damnatus ſit, æquè E hypotheca manet obligata: multò magis ergo ſi in perſonam actum ſit, ſiue cum reo, ſiue cum fideiuſſore, ſiue cum vtriſque pro parte: licet damnati ſunt, hypotheca manet obligata. nec enim per hoc videtur ſatisfactum creditori, quod habet iudicati actionem.

Qui ante conditionem agit, malè agit: nec rei iudicatæ exceptione repellitur, ſi poſtea conditione exiſtente cœpit agere: interim tamen poteſt cautio poſtulari. Bartolus.

Si ſub conditione debiti nomine obligata ſit hypotheca: dicendum eſt, ante conditionem non rectè agi, cùm nihil interim debeatur. ſed ſi ſub conditione debiti conditio euenerit: rurſus agere poterit. ſed ſi præſens ſit debitũ, hy F potheca verò ſub conditione, & agatur ante conditionem hypothecaria: verum quidé eſt, pecuniam ſolutam non eſſe: ſed auferri hypothecam iniquũ eſt. ideóque arbitrio iudicis cautiones interponendæ ſunt, ſi conditio exſtiterit, nec pecunia ſoluatur: reſtitui hypothecam, ſi in rerum natura ſit. Propter vſuras quoq;, ſi obligata ſit hypotheca, vſuræ ſolui debent. idem & in pœna dicemus.

Si debitor eſt ſuſpectus ante diem vel conditionem, competit perſecutio pignoris. Bartolus.

XIIII. VLPIANVS *lib.* LXXIII. *ad edictum.*

QVæſitum eſt. ſi nondũ dies penſionis venit, an & medio tempore perſequi pignora permittendum ſit? & puto dandã pignoris perſecutionem: quia intereſt mea.

est mea. & ita Celsus scribit. Ex quibus casibus naturalis obligatio consistit, pignus perseuerare constat.

A

XV. CAIVS *lib. singulari de formula hypothecaria.*

ET quæ nondum sunt, futura tamen sunt, hypothecę dari possunt: puta vt fructus pendentes, partus ancillæ, fœtus pecorum, & ea quæ nascuntur, sint hypothecæ obligata. idque seruandum est, siue dominus conuenerit, aut de vsufructu, aut de his, quæ nascuntur: siue is, qui vsumfructum habet, sicut Iulianus scribit.

In obligatione speciali requiritur tūc rē esse in bonis debitoris. in generali verò sufficit, si postea quādocūque inueniatur in bonis. Bar.

Quod dicitur, creditorem probare debere, cū cōueniebat, rem in bonis debitoris fuisse: ad eam cōuentionē pertinet, quæ specialiter facta est: non ad illam, quæ quotidie solet cautionibus inseri: vt specialiter rebus hypothecæ nomine datis, cætera etiam bona teneantur debitoris, quæ nunc habet, & postea adquisierit, perinde atque specialiter hæ res fuissent obligatæ.

B

Res obligatas potest quis alteri obligare sine periculo, si primus creditor certificetur: & intelligetur obligata in residuo, & si satisfiat primo, totum cedit in obligatione secundi. Bar.

Qui res suas iam obligauerunt, & alij secundo obligant creditori: vt effugiant periculum, quod solent pati, qui sæpius eandem rem obligant: prędicere solent, alij nulli rem obligatam esse, quàm fortè Lucio Titio: vt in id, quod excedit priorem obligationem, res sit obligata: aut in solidum, cū primo debito liberata res fuerit. de quo videndū est, vtrum hoc ita se habeat, si & conueniat: an & si simpliciter conuenerit de eo, quod excedit, vt sit hypothecæ: & solida res inesse conuentioni videatur, cū à primo creditore fuerit liberata, an adhuc pars. sed illud magis est, quod prius diximus.

C

XVI. MARTIANVS *lib. singulari ad formulā hypothe.*

SI fundus hypothecæ datus sit, deinde alluuione maior factus: totus obligabitur. Si nesciente domino res eius hypothecæ data sit, deinde postea dominus ratum habuerit: dicendum est, hoc ipsum, quod ratum habet, voluisse eum retro recurrere ad illud tempus, quo conuenit. voluntas autem ferè eorum demum seruabitur, qui

& pignora dare poſſunt.

Additio vel detractio qualitatis circa rem nõ exſtinguit hypothecam Bartolus. D

Si res hypothecæ data, poſtea mutata fuerit : æquè hypothecaria actio competit: veluti de domo data hypothecæ, & horreo facto. Idem ſi de loco conuenit, & domus facta ſit. Item de loco dato, vineis in eo poſitis.

Hypothecaria datur contra poſſeſſorem qui liberatur, ſi ſoluit vel reſtituit: aliàs condemnabitur: & ſi fuerit contumax, in litẽ iurabitur tam pro re quam pro fructibus exſtantibus. Bar.

In vindicatione pignoris quæritur, an rem, de qua actũ eſt, poſſideat is, cũ quo actum eſt. nam ſi non poſſidet, nec dolo fecit, quò minus poſſideat: abſolui debet. ſi verò poſſideat, & aut pecuniam ſoluat, aut rem reſtituat : æquè abſoluendus eſt. ſi verò neutrum horum faciat: condemnatio ſequetur. ſed ſi velit rem reſtituere, nec poſſit: fortè quia res abeſt, & longè eſt, velut in prouinciis: ſolet cautionib⁹ res explicari. nam ſi cauerit ſe reſtituturum : abſoluitur. ſi verò dolo quidem deſiit poſſidere, ſumma autem ope niſus, non poſſit rem ipſam reſtituere: tanti condemnabitur, quanti actor in litem iurauerit, ſicut in cæteris in rẽ actionibus. nam ſi tanti condemnatus eſſet, quantum deberetur: quid prodeſſet in rem actio, cũ in perſonam agendo, idem conſequeretur? Interdum etiam de fructibus arbitrari debet iudex: vt ex quo lis inchoata fuit, ex eo tempore etiã de fructibus condemnet. quid enim ſi minoris ſit prædiũ, quàm quod debetur? nam de antecedentibus fructibus nihil poteſt pronunciare, niſi res exſtent. E F

Sententia lata contra vnum, non poteſt mandari executioni contra alium: ſed debet iterum agi hypothecaria: & ex ſententia lata pro me, contra me non opponitur. Bar.

Creditor hypothecam ſibi per ſentẽtiam adiudicatam quemadmodum habiturus ſit, quæritur. nam dominium eius vindicare non poteſt. ſed hypothecaria agere poteſt: vt ſi exceptio obiiciatur à poſſeſſore, iudicati replicet, SI SECVNDVM ME IVDICATVM NON EST.

Si pluris condẽnatus ſit debitor nõ reſtituẽdo pignus, quàm computatio ſortis & vſurarum faciebat : an ſi tantũ

ſoluat,quantum debebat:exoneretur hypotheca? quod e-
A go quidem,quantum ad ſubtilitatem legis, & authoritatẽ ſententiæ non probo. ſemel enim cauſſa tranſire videtur ad cõdemnationem, & mihi pecunia deberi.ſed humanius eſt,eum non amplius,quàm quod reuera debebat, dando, hypothecam liberare. Aliena res vtiliter poteſt obligari ſub conditione,ſi debitoris facta fuerit.

Si res obligatur pluribus diuerſis momentis: cuilibet tenetur in ſolidum pro ſuo debito.ſi eodem momento,cuilibet pro parte tenetur: niſi aliud actum ſit. Bart.

Si duo pariter de hypotheca paciſcantur: in quantum quiſque obligatam hypothecam habeat,vtrum pro quantitate debiti,an pro partibus dimidiis, quæritur. & magis
B eſt, vt pro quantitate debiti pignus habeant obligatum. ſed vterque,ſi cũ poſſeſſore agat, quemadmodum? vtrum de parte quiſque,an de toto, quaſi vtrique in ſolidum res obligata fuerit?quod erit dicendum, ſi eodem die pignus vtrique datum eſt ſeparatim.ſed ſi ſimul illi & illi: ſi hoc actum eſt,vterque rectè in ſolidum aget:ſi minus: aget vnuſquiſque pro parte. Poteſt ita fieri pignoris datio hypothecæúe,vt ſi intra certum tempus non ſit ſoluta pecunia: iure emptionis poſſideat rem iuſto precio tunc æſtimandam. hoc enim caſu videtur quodammodo conditionalis eſſe venditio. & ita diuus Seuerus & Antoninus reſcripſerunt.

C XVII. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

PIgnoris perſecutio in rem parit actionem creditori.

Qui habet quaſi dominiũ,poteſt pignori obligare, quatenus iſtius iuris vires ſe extendunt. Bar.

XVIII. PAVLVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

SI ab eo,qui Publiciana vti potuit(quia dominium non habuit) pignori accepi: ſic tuetur me per Seruianam prætor,quemadmodum debitorem per Publicianam.

XIX. VLPIANVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

QVi pignori plures res accepit, non cogitur vnam liberare,niſi accepto vniuerſo,quantum debetur.

Si obligatur penſio, in creditorem tranſeunt vtiles actiones. Bartolus.

XX. IDEM *lib.* LXIII. *ad edictum.*

Cùm

CVm conuenit, vt is, qui ad refectionem ædificij credidit, de pensionibus iure pignoris ipse creditum recipiat: etiam actiones vtiles aduersus inquilinos accipiet cautionis exemplo, quā debitor creditori pignori dedit. D

Pignus contrahitur per procuratorem vel gestorem ratihabitione secuta. Bar.

XXI. IDEM *lib.* LXXIII. *ad edictum.*

SI inter colonum & procuratorem meum cõuenerit de pignore, vel ratum habente me conuentionem, vel mādante: quasi inter me & colonum meũ conuenisse videtur.

Si quasi dominus obligans conueniatur, non potest cũ effectu de dominio excipere. Bar.

Si debitor seruum, quem à non domino bona fide emerat, & pignorauerat, teneat: Seruianæ locus est. & si aduersus eum agat creditor: doli replicatione exceptionem elidet. ita Iulianus ait, & habet rationem. Quidquid commodi, siue incommodi fortuitu pignori accessit: id ad debitorem pertinet. E

Contra debitorem non restituentem in hac actione non iuratur in litem: secus si contra alium: & quod consecutum fuerit, restituetur. Bartolus.

Si res pignorata non restituatur: lis aduersus possessorem erit æstimanda. sed vtique aliter aduersus debitorem, aliter aduersus quemuis possessorem. nam aduersus debitorem non pluris, quàm debet: quia non pluris interest. aduersus cæteros possessores etiam pluris: quia quod ampli⁹ debito consecutus creditor fuerit, debitori restituere debet pignoraticia actione. F

Si fundi dominus succedit debitori pignoranti non confirmatur pignus: sed tenetur pignoraticia actione contraria ex persona defuncti. Bar.

XXII. MODESTINVS *lib.* VII. *Differentiarum.*

SI Titio, qui rem meam ignorante me, creditori suo pignori obligauerat, hæres exstitero: ex post facto pign⁹ directò quidem non conualescit, sed vtilis pignoraticia dabitur creditori.

XXIII. IDEM *lib.* II. *Regularum.*

CReditor prædia sibi obligata ex caussa pignoris, locare rectè potuit. Pignoris obligatio etiā inter absentes

ſentes rectè ex contractu obligatur.

XXIIII. IDEM *lib.*V.*Regularum.*

A IN quorum finibus emere quis prohibetur, pignus accipere non prohibetur.

Inutilis obligatio non dat ius retentionis. Bar.

XXV. IDEM *lib.*VIII.*Regularum.*

CVm vicioſè vel inutiliter contractus pignoris intercedat: retentioni locus non eſt, nec ſi bona creditoris ad fiſcum pertineant.

Si debitor ſoluat creditori, recuperat pignora data fideiuſſori. Bartolus.

XXVI. IDEM *lib.* IIII.*Reſponſorum.*

B FIdeiuſſor impetrauit à poteſtate, vt antequam ſolueret, pignora ipſe poſſideat, quaſi ſatisfacturus creditoribus. nec ſatisfecit. modò hæres debitoris paratus eſt ſoluere creditoribus. quæro, an pignora fideiuſſor reſtituere cogendus ſit? Modeſtinus reſpondit. cogendum eſſe.

Qui ſcribit contractum obligationis rei ſuæ, videtur obligationi conſentire Bar.

Pater Seij emancipato filio facilè perſuaſit, vt quia mutuam quantitatem acciperet à Septicio creditore, chirographum perſcriberet ſua manu filius (quod ipſe * impeditus eſſet ſcribere) ſub commemoratione domus ad filiũ pertinentis pignori dandæ. quærebatur, an Seius inter cætera bona, & hanc domum iure optimo poſſidere poſſit, cũ patris ſe hæreditate abſtinuerit: nec metuiri ex hoc ſolo, quod mandante patre manu ſua perſcripſit inſtrumentum chirographi: cũ neque conſenſum ſuum accommodauerit patri, aut ſigno ſuo, aut alia ſcriptura? Modeſtinus reſpondit. cũ ſua manu pignori domum ſuam futuram Seius ſcripſerit: conſenſum ei obligationi dediſſe, manifeſtum eſt.

al. imperitus.

C

Res loco rei ſurrogata non cadit in obligationem: niſi ex re prima ortum habuerit. Bar.

Lucius Titius prædia & mãcipia, quæ in prædiis erant, obligauit. hæredes eius prædiis inter ſe diuiſis, illis mancipiis defunctis, alia ſubſtituerunt. creditor poſtea prædia cũ mancipiis diſtraxit. quæritur, an ipſa mãcipia, quæ ſunt modo

modo in prædiis cõstituta, hæc in hypothecis emptor vindicare rectè possit? Modestinus respondit. si neque pignorata sunt ipsa mancipia, neque ex pignoratis ancillis nata: minimè creditoribus obligata esse. D

Si debitor rem pignoratam faciat deteriorem, creditori contra eum succurritur, licet contra debitorem ad debitum actionem non habeat. Bartolus.

XXVII. PAPINIANVS *lib.* V. *Quæstionum.*

SEruum, quem quis pignori dederat, ex leuissima offensa vinxit, mox soluit: & quia debito nõ satisfiebat, creditor minoris seruum vendidit. an aliqua actio creditori in debitorem constituenda sit, quia crediti ipsius actio nõ sufficit ad id, quod deest, persequẽdum? quid si eum interfecisset, aut eluscasset? vbi quidẽ interfecisset, ad exhibẽdum tenetur: vbi autem eluscasset, quasi damni iniuriæ dabimus actionem ad id, quanti interest: quod debilitando aut vinciendo persecutionem pignoris exinanierit. fingamus nullam nomine crediti actionem esse (quia fortè caussa ceciderat) non existimo indignam rem animaduersione & auxilio prætoris. VLPIANVS NOTAT. si vt creditori noceret, vinxit: tenebitur. si merentem: non tenebitur. E

Stipulatio legatorum exstinguitur spe legati exstincta: & non transit ad eum, ad quem commodum legati transit, & idem in obligatione pignoris. Bartolus.

XXVIII. PAVLVS *lib.* III. *Quæstionum.* F

SI legati cõditionalis, relicti filiofamiliâs, pater ab hærede rem propriam eius pignori accepit: & mortuo patre, vel emancipato filio, conditio legati exstiterit: incipit filio legatum deberi: & neque pater potest pignus vindicare, neque filius, qui nũc habere cœpit actionem. sed nec ex præcedenti tempore potest quidquam iuris habere in pignore: sicut in fideiussore dicitur.

Generalis obligatio facta à defuncto nõn porrigitur ad bona hæredis. Bartolus.

XXIX. IDEM *lib.* V. *Responsorum.*

PAulus respondit, generalem quidem conuentionem sufficere ad obligationem pignorum. sed ea, quæ ex bonis defuncti non fuerunt, sed postea ab hærede eius ex alia

alia caussa adquisita sunt: vindicare non posse à creditore
A testatoris.

Partus rei pignoratæ cadit in obligationem, si à debitore percipiatur. Bartolus.

Si mancipia in caussam pignoris ceciderũt: ea quoque, quæ ex his nata sunt, eodem iure habenda sunt. quod tamẽ diximus etiam nata teneri, siue specialiter de his conuenerit, siue non: ita procedit, si dominium eorum ad eum peruenit, qui obligauit, vel hæredem eius. cæterùm apud alium dominum non erunt obligata.

Superficies solo pignorato imposita cadit in obligationem. Bar.

Domus pignori data exusta est: eamque aream emit Lucius Titius, & exstruxit. quæsitũ est de iure pignoris? Paulus respõdit. pignoris persecutionem perseuerare. & ideo
B ius soli superficiem secutam videri. (id est, cum iure pignoris) sed bonæ fidei possessores nõ aliter cogendos creditoribus ædificium restituere: quàm sumptus in exstructionem erogatos, quatenus preciosior res facta esset, reciperent. Si sciente & consentiente domino seruus, vt omnia bona domini pignori obligata essent, conuenit: ipsum quoque, qui cauit, obligatum esse pignoris iure.

Creditor qui vendit iure creditoris, non tenetur de euictione: sed solùm vt probet sibi rem obligatam fuisse. Bartolus.

XXX. IDEM *lib.* VI. *Responsorum.*

C Periculum pignorũ nominis venditi ad emptorẽ pertinere: si tamen probetur, eas res obligatas fuisse.

Resoluto iure donationis, resoluitur ius acceptionis. Bartolus.

XXXI. SCAEVOLA *lib.* I. *Responsorum.*

Lex vectigali fundo dicta erat, vt si post certum temporis vectigal solutum non esset, is fundus ad dominum rediret. postea is fundus à possessore pignori datus est. quæsitum est, an rectè pignori datus esset? respondi, si pecunia intercessisset, pignus esse. Item quæsitum est, si cùm in exsolutione vectigalis tam debitor, quàm creditor cessassent: & propterea pronunciatum esset, fundum secũdum legem domini esse: cuius potior caussa esset? respondi, si (vt proponeretur) vectigali non soluto, iure suo dominus vsus esset: etiam pignoris ius euanuisse.

Ea videtur inducta in prædium, quæ ad vsum perpetuum inducuntur.

cuntur. Bartolus.

XXXII. IDEM *lib.* V. *Responsorum.* D

DEbitor pactus est, vt quæcunque in prædia pignori data, inducta, inuecta, importata, ibi nata, ortáve essent, pignori essent. eorum prædiorum pars sine colonis fuit: eaque actori suo colenda debitor tradidit, adsignatis ei etiam seruis culturæ necessariis. quæritur, an & Stichus villicus, & cæteri serui ad culturam missi, & Stichi vicarij obligati essent? respondi. eos dumtaxat, qui hoc animo à domino inducti essent, vt ibi perpetuò essent, non temporis caussa accommodarentur, obligatos.

XXXIII. TRIPHONINVS. *lib.* VIII. *Disputationum.*

IS qui promisit tibi aut Titio: solutum quidem Titio repetere nó potest, sed pignus ei datum & ante solutionem recipit. E

Appellatione tabernæ venit vniuersitas mercantiæ, quæ ibi exercetur: & ideo cadit in obligationem, quæ tempore quo agitur, reperitur. Bartolus.

XXXIIII. SCAEVOLA *lib.* XXXII. *Digestorum.*

TAbernam debitor creditori pignori dederat. quæsitum est, vtrum eo facto nihil egerit: an tabernæ adpellatione merces, quæ in ea erant, obligasse videatur? & si eas merces per tempora distraxerit, & alias comparauerit, easque in eam tabernam intulerit, & decesserit: an omnia, quę ibi deprehenduntur, creditor hypothecaria actione petere possit: cùm & mercium species mutatæ sint, & res aliæ illatæ? respondi. ea, quæ mortis debitoris tempore in taberna inuenta sunt, pignori obligata esse videntur. F

Idem quæsiit, cùm epistola talis emissa sit. Δανεισάμενος παρά σου δηνάρια πεντακόσια, παρεκάλεσά σε, μὴ βεβαιωτὴν, ἀλλὰ ὑποθήκην παρ' ἐμοῦ λαβεῖν. οἶδας γὰρ ἀκριβῶς, ὅτι ἡ ταβέρνα καὶ οἱ δοῦλοί μου οὐδενὶ κατέχονται, ἢ σοί: καὶ ὡς εὐσχήμονι ἀνθρώπῳ ἐπίστευσας. quæritur, an pignus contractum sit: an verò epistola nullius momẽti sit, cùm sine die & consule sit? respondi. cùm conuenisse de pignoribus videatur: non idcirco obligationem pignorum cessare, quod dies & consules additi, vel tabulæ signatæ nó sint. Creditor pignori accepit à debitore, quid-

quid

quid in bonis haberet, habiturúsve eſſet. quæſitum eſt, an
A corpora pecuniæ, quam idē debitor ab alio mutuauit, cū̃ in bonis eius facta ſint, obligata creditori pignori eſſe cœperint? reſpondi, cœpiſſe.

XXXV. LABEO *lib.* I. πιθανῶν *à Paulo epitomatorū.*

SI inſula, quam tibi ex pacto conuento licuit vendere, combuſta eſt: deinde à debitore tuo reſtituta: idem in noua inſula iuris habes.

EX QVIBVS CAVSSIS PIgnus uel hypotheca tacitè contrahitur. Tit. II.

Mutuanti in refectionem domus tacitè eſt obligata, ſiue domino, ſiue conductori operis ſit ſoluta pecunia. Bartolus.

B PAPINIANVS *lib.* X. *Reſponſorum.*



SEnatūſconſulto, quod ſub Marco Imperatore factum eſt, pignus inſulæ creditori datum, qui pecuniam ob reſtitutionem ædificij exſtruendi mutuam dedit: ad eum quoque pertinebit, qui redemptori dominō mādante numos adminiſtrauit.

Inuecta & illata ſunt tacitè obligata pro penſionibus, & pro alio intereſſe. Bartolus.

II. MARTIANVS *lib. ſingulari ad formulam hypothecariam.*

C POmponius libro decimotertio variarum lectionum ſcribit. non ſolùm pro pēnſionibus, ſed & ſi deteriorem habitationem fecerit culpa ſua inquilinus: quo nomine ex locato cum eo erit actiō: inuecta & illata pignori erunt obligata.

Inuecta in horreum, vel in area iuncta domui, & ibi illata ſunt obligata pro penſione. Bartolus.

III. VLPIANVS *lib.* LXXIII. *ad edictum.*

SI horreum fuerit conductum, vel diuerſórium, vel area: tacitám conuentionem dè inuectis & illatis, etiam in his locum habere, putat Neratius. quod verius eſt.

IIII. NERATIVS *lib.* I. *Membranarum.*

EO iure vtimur, vt quę in prædia vrbana inducta, illata ſunt: pignori eſſe credantur, quaſi id tacitè cōuenerit.

In

in rusticis prædiis contrà obseruatur. Stabula, quæ non sunt in continentibus ædificiis, quorum ea prædiorum numero habenda sunt, dubitari potest. & quidem vrbanorum sine dubio non sunt: cùm à cæteris ædificiis separata sint. quod ad caussam tamen taciti pignoris pertinet, non multum ab vrbanis prædiis differunt. D

V. MARTIANVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.*

POmponius libro decimo tertio variarum lectionum scribit. si gratuitam habitationẽ conductor mihi prçstiterit: inuecta à me domino insulæ pignori non esse. Itẽ illud (inquit) vidẽdum est, an voluntate domini induci pignus ita possit, vt in partem debiti sit obligatum.

Fideiubendo videtur quis adprobare obligationem bonorum suorum antè factam, secus in ea quæ fieret postea. E

Si quis fideiubeat, cùm res illius à debitore, pro quo fideiussit, pignori data sit: bellissimè intelligitur, hoc ipso quod fideiubet, quodammodo mandare, res suas obligatas esse. sanè si postea sint eius res hypothecæ datæ: non erunt obligatæ.

Tacita vel ficta obligatio manumissionẽ serui non impedit. Bar.

VI. VLPIANVS *lib.* LXXIII. *ad edictum.*

LIcet in prædiis vrbanis tacitè solet cõuentum accipi, vt perinde teneantur inuecta & illata, ac si specialiter conuenisset: tamẽ certè libertati huiusmodi pignus nõ officit. Idemque & Pomponius probat. ait enim, manumissioni non officere ob habitationem obligatum. F

Fructus intelliguntur tacitè obligati pro pensione. Bartolus.

VII. POMPONIVS *lib.* XIII. *ad edictum ex variis lectionibus.*

IN prædiis rusticis fructus, qui ibi nascuntur, tacitè intelliguntur pignori esse domino fundi locati, etiam si nominatim id non conuenerit. Videndum est, ne non omnia illata, vel inducta: sed ea sola, quæ vt ibi sint, illata fuerunt: pignori sint. quod magis est.

Potest creditor fructus pignoris in vsuras compensare. Bar.

VIII. PAVLVS *lib.* II. *Sententiarum.*

CVm debitor gratuita pecunia vtatur: potest creditor de fructibus rei sibi pignoratæ ad modum legitimum

timum vſuras retinere.

A *Mancipia ſpecialiter obligata non poſſunt manumitti: ſed obligata tacite ſic antequam includantur. Bartolus.*

IX. IDEM *lib. ſingulari de officio præfecti vigilum.*

Est differentia obligatorũ propter penſionem, & eorum, quę ex cõuentione manifeſtaria pignoris nomine tenentur: quod manumittere mãcipia obligata pignori nõ poſſumus, inhabitantes autẽ manumittimus: ſcilicet antẽ, quàm penſionis nomine præcludamur. tunc enim pignoris nomine retenta mancipia non liberabimus: & deriſus eſt Nerua iuriſconſultus, qui per feneſtras monſtrauerat, ſeruos detentos ob penſionem liberari poſſe.

B *Per obligationẽ ex cauſſa tranſactionis videtur tacitè actum, vt res veniat in obligationẽ primæuam, ſi tranſactioni nõ ſtetur. Bar.*

X. SCAEVOLA *lib.* VI. *Digeſtorum.*

Tutoris hæres, cum hærede pupilli trãſactione facta, cũ ex ea maiorem partẽ ſoluiſſet, in reſiduã quantitatem pignus obligauit. quæſitum eſt, an in veterem cõtractum iure res obligata eſſet? Reſpondi. ſecundum ea, quæ proponerentur, obligatam eſſe.

QVAE RES PIGNORI VEL *hypothecæ datæ obligari non poſſunt.* Tit. III.

MARTIANVS *lib. ſingulari ad formulam hypothecariam.*

C 

Pupillus ſine tutoris authoritate hypothecam dare nõ poteſt. Si filiusfamiliâs pro alio rẽ peculiarem obligauerit, vel ſeruus: dicendum eſt, eam nõ teneri, licet liberam peculij ſui adminiſtrationẽ habeant: ſicut nec donare eis cõceditur. nõ enim vſque quaq; liberam habent adminiſtrationem facti tamen eſt quæſtio, ſi quæratur, quouſque eis permiſſum videatur peculium adminiſtrare. Eam rem, quã quis emere non poteſt, quia cõmercium eius non eſt: iure pignoris accipere non poteſt, vt diuus Pius Claudio Saturnino reſcripſit. quid ergo ſi prædium quis litigioſum pignori acceperit, an exceptione ſit ſubmouendus? & Octauenus putat, etiam in his pignoribus locum habere

exceptionem. quod ita ait Scæuola libro tertio variarum Quæstionum procedere, vt & in rebus mobilibus exceptio locum habeat. D

Quando exceptio porrigitur ad fideiussorem, porrigitur etiam ad pignus datum ab alio. Bartolus.

II. CAIVS *lib. singulari ad formulã hypothecariam.*

SI aliquis pro muliere, quæ intercessit, dederit hypothecam, aut pro filiofamiliâs, cui cõtra senatusconsultum creditũ est: an eis succurratur, quæritur? & in eo quidem, qui pro muliere obligauit rem suam: facilius dicitur succurri ei, sicut & fideiussori mulieris eadẽ datur exceptio. sed in eo, qui pro filiofamiliâs rem suã obligauit: eadem dicenda erunt, quæ tractantur & in fideiussore eius.

Secundus creditor in ius prioris creditoris non succedit, nisi sit actum: & cùm actum est, succedit in pignus, & in potestate vendendi. Bartolus. E

III. PAVLVS *lib. III. Quæstionum.*

ARisto Neratio Prisco scripsit. etiam si ita contractũ sit, vt antecedens dimitteretur: non aliter in ius pignoris succedit, nisi conuenerit, vt sibi eadem res obligata esset. neque enim in ius pignoris succedere debet, qui ipse nihil conuenit de pignore. quo casu emptoris caussa melior efficitur. denique si antiquior creditor de pignore vendendo cum debitore pactum interposuit: posterior autem creditor de distrahendo omisit, non per obliuionẽ, sed cum hoc ageretur, ne posset vendere: videamus, an dici possit, huc vsque transire ad eum ius prioris, vt distrahere pignus ei liceat. quod admittendum existimo. sæpe enim, quod quis ex sua persona non habet, hoc per extraneum habere potest. F

Quando est in potestate debitoris, an perficiatur obligatio: illud tempus perfectionis inspicitur, non initium. secus si in eius potestate non esset. Bartolus.

IIII. IDEM *lib. V. Responsorum.*

TItius cùm mutuam pecuniam accipere vellet à Mæuio, cauit ei, & quasdam res hypothecæ nomine dare destinauit. deinde postquã ex his rebus quasdam vendidisset, accepit pecuniam. quæsitũ est, an & prius res venditæ creditori tenerentur? Respondit, cũ in potestate fuerit debitoris,

bitoris, post cautionem interpositam pecuniā non accipere: eo tempore pignoris obligationem contractam videri, A quo pecunia numerata est.& ideo inspiciēdum, quas res in bonis debitor numeratæ pecuniæ tēpore habuerit.

V. IDEM *lib. V. Sententiarum.*

CReditor, qui sciens filiumfamiliâs à parente pignori accepit, relegatur.

QVI POTIORES IN PIGNORE uel hypotheca habeantur: & de his, qui in priorum creditorum locū succedunt. Tit. IIII.

Quando in potestate debitoris est pecuniam non recipere, tempus solutionis inspicitur: quando non est in potestate, tempus obligationis contractæ inspicitur. Bartolus.

B

PAPINIANVS *lib. VIII. Quæstionum.*



Vi dotem pro muliere promisit, pignus siue hypothecam de restituēda sibi dote accepit. subsecuta deinde pro parte numeratione, maritus eandem rem pignori alij dedit. mox residuæ quantitatis numeratio impleta est. quærebatur de pignore? cùm ex caussa promissionis ad vniuersæ quātitatis exsolutionem, qui dotem promisit, cōpellitur: non vtiq; solutionū obseruanda sunt tēpora, sed dies contractæ obligationis. nec dici potest, in potestate eius esse, ne pecuniā residuam redderet: vt minus dotata mulier C esse videatur. alia caussa est eius, qui pignus accepit ad eam summā, quam intra diem certum numerasset: ac fortè prius, quàm numeraret, alij res pignori data est.

Prior in tempore præfertur posteriori, siue generalem, siue specialem hypothecam habeat, nisi aliter actum sit. Bartolus.

II. IDEM *lib. III. Responsorum.*

QVi generaliter bona debitoris pignori accepit: eo potior est, cui postea prædium ex his bonis pignori datur: quamuis ex cæteris pecuniam suam redigere possit. quòd si ea conuentio prioris fuit, vt ita demum cætera bona pignori haberētur, si pecunia de his, quæ specialiter accepit, seruari non potuisset: deficiente secunda conuentione, secundus creditor in pignore postea dato,

non tam potior, quàm solus inuenietur.

Pignora in obligatione nouante repetita, intelliguntur repetita cum priuilegio prioritatis. Bartolus. D

III. IDEM *lib.* XI. *Responsorum.*

CReditor acceptis pignoribus, quæ in secũda conuẽtione secũdus creditor pignora acceperat, ea nouatione facta postea prioribus addidit. superioris temporis ordinem manere primo creditori placuit, tanquam in suũ locum succedenti.

Si primo obligetur res debita: secũdo eadem effecta propria: prior in tempore præfertur: nisi secundus in locum debentis rem successerit. Bartolus.

Cùm ex caussa mandati prædium Titio, cuius negocium fuerat gestum, deberetur: prius quàm ei possessio traderetur, id pignori dedit. post traditam possessionẽ idem prædium alij denuo pignori dedit. prioris caussam potiorem esse apparuit: si non creditor secundus precium ei, qui negocium gesserat, soluisset. verum in ea quantitate, quam soluisset, eiusque vsuris potiorem fore constitit: nisi fortè prior ei pecuniam offerat. quòd si debitor pecuniam aliunde soluisset: priorem præferendum. E

Facto pacto quod liceat vendere, intelligitur res obligata. Item pignus in parte indiuisa durat pro indiuiso etiam post diuisionem inter socios factam. Bartolus.

Post diuisionem regionibus factam inter fratres conuenit, vt si frater agri portionem pro indiuiso pignori datã, à creditore suo non liberasset: ex diuisione quæsitæ partis partem dimidiam alter distraheret. pignus intelligi cõtractum existimaui, sed priorem secundo non esse potiorem: quoniam secundum pignus ad eam partem directum videbatur, quam vltra partem suam frater non consentiente socio non potuit obligare. F

Ius secundi creditoris confirmatur, si pignus seu ius primi liberatur solutione vel compensatione, vel alio modo. Bartolus.

IIII. POMPONIVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

DEbitor, antequam à priore creditore pignus liberaret, idem illud ob pecuniam creditam alij pignori dederat: & antequam vtrique creditori solueret debitum, rem aliam priori creditori vendiderat, creditumque pensauerat

ſauerat cum precio rei venditæ.dicendum eſt,perinde haberi debere,ac ſi priori creditori pecunia ſoluta eſſet. nec enim intereſt,exſoluerit,an penſauerit.& ideo poſterioris creditoris cauſſa eſt potior.

A

Ratione cauſſæ poſterior poteſt eſſe potior priore: veluti ſi ad rem conſeruandam poſterior creditor debitori crediderit. Bartolus.

V. VLPIANVS *lib.* III. *Diſputationum.*

INterdum poſterior potior eſt priore. vtputa ſi in rem iſtam conſeruandam impenſum eſt, quod ſequens credidit: veluti ſi nauis fuit obligata, & ad armandam eam, vel reficiendam ego credidero.

VI. IDEM *lib.* XXIII. *ad edictum.*

HVius enim pecunia ſaluam fecit totius pignoris cauſſam.quod poterit quis admittere,& ſi in cibaria nautarum fuerit creditum, ſine quibus nauis ſalua peruenire non poterat. Item ſi quis in merces obligatas crediderit, vel vt ſaluæ fiant,vel vt naulum exſoluatur: potentior erit,licet poſterior ſit.nam & ipſum naulũ potentius eſt.tãtundẽ dicetur,& ſi merces horreorũ,vel areæ,vel vecturę iumentorum debetur.nam & hic potentior erit.

B

In re empta per tutorẽ ex pecunia pupilli præfertur pupillus anterioribus creditoribus: quatenus ex eius pecunia ſit ſolutum h. d. ſecundum vnam lecturam. nec per hoc aliqua iniuria fit creditori primo.nam cùm debitor nõ haberet rem,niſi ex pecunia pupilli empta eſſet,merito pupillus præfertur. Bartolus.

C

VII. IDEM *lib.* III. *Diſputationum.*

IDemq́ue eſt, ſi ex numis pupilli fuerit res comparata. quare ſi duorum pupillorum numis res fuerit comparata: ambo in pignus concurrent pro his portionibus, quæ in rei precium fuerint expenſæ. quòd ſi res non in totum ex numis cuiuſdam comparata eſt: erit concurſus vtriuſque creditoris, id eſt, & antiquioris, & eius, cuius numis comparata eſt.

Si duobus res ſimul obligatur ſub conditione, quæ ſimul extitit, ambo concurrunt in pignore. Bartolus.

Si tibi,quæ habiturus ſum, obligauerim: & Titio ſpecialiter fundum, ſi in dominium meum peruenerit: mox dominium eius adquiſiero: putat Marcellus, concurrere vtrunque creditorem in pignore.non enim multum facit,

quod de suo nummos debitor dederit: quippe cùm res ex numis pignoratis empta, nũc sit pignorata ob hoc solùm, D quod pecunia pignorata erat.

Respublica vel priuatus prior in tempore, præfertur fisco in iure. Bartolus.

VIII. IDEM *lib.* VII. *Disputationum.*

SI pignus specialiter respublica accepit: dicendum est, præferri eam fisco debere, si postea fisco debitor obligatus est: quia & priuati præferuntur.

Tempus conuentionis inspicitur, si non est in potestate debitoris, an debitum contrahatur, vel conditio impleatur. sed si in eius fuerit potestate, tempus quo cedit & venit dies obligationis, inspicitur. B.

IX. AFRICANVS *lib.* VIII. *Quæstionum.*

QVi balineũ ex kalendis proximis †cõduxerat: pactus E erat, vt homo Eros pignori locatori esset, donec mercedes soluerentur. idem ante kalendas Iulias eundem Erotem alij ob pecuniam creditam pignori dedit. consultus, an aduersus creditorem petentem Erotem, locatorem prætor tueri deberet? Respondit debere. licet enim eo tẽpore homo pignori datus esset, quo nõdũ quidquam pro cõductione deberetur: quoniam tamẽ iam tum in ea caussa Eros esse cœpisset, vt inuito locatore ius pignoris in eo solui non posset: potiorem eius caussam habendam. Amplius etiam sub conditione creditorem tuendum putabam aduersus eum, cui postea quidquã deberi cœpisset: si modò non ea conditio esset, quæ inuito debitore impleri non posset. Sed & si hæres ob legata, quæ sub cõditione data erãt, de pignore rei suæ cõuenisset: & postea eadem ipsa pignora ob pecuniam creditã pignori dedisset, ac pòst cõditio legatorum exstitisset: hic quoq; tuendum eum, cui prius pignus datum esset, existimaui. F

†*Hũc locũ explicat Anto. Augu. lib. 4. cap. 14.*

Pignus super re aliena contractum, non potest confirmari, si tempore, quo caussa confirmationis euenit, res in bonis debitoris non reperiatur. Bartolus.

Titia prædium alienum Titio pignori dedit. pòst Mæuio. deinde domina eius pignoris facta, marito suo in dotẽ æstimatũ dedit. si Titio soluta sit pecunia: nõ ideo magis Mæuij pignus cõualescere placebat. tũc enim priore dimisso, sequẽtis pignus cõfirmatur, cùm res in bonis debitoris inueniatur.

inueniatur. in proposito autem maritus emptoris loco est. A atq; ideo, quia neq; tunc, cũ Mæuio obligaretur, neq; cum Titio solueretur, in bonis mulieris fuit: nullũ tẽpus inueniri, quo pignus Mæuio cõualescere possit. hæc tamẽ ita, si bona fide in dotem æstimatũ prædium maritus accepit: id est, si ignorauit Mæuio obligatum esse.

In pignoribus captis ex caussa iudicati, qui prior est in tempore, potior est in iure. Bartolus.

X. VLPIANVS *lib.* I. *Responsorum.*

SI & iure iudicatum, & pignus in caussa iudicati ex authoritate eius, qui iubere potuit, captum est: priuilegiis temporis fortior est hæres eius, in cuius personam pignus constitutum est.

B *Si obligatio conditionalis purificetur, retro non trahitur, si fuerit conditio potestatiua. secus si casualis.* Bartolus.

XI. CAIVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.*

POtior est in pignore, qui prius credidit pecuniam, & accepit hypothecam: quamuis cum alio antè conuenerat, vt si ab eo pecuniam accepisset, res esset obligata, & ab hoc postea acceperat. poterat enim, licet antè cõuenit, non accipere ab eo pecuniam. videamus, an idem dicendum sit, si sub cõditione stipulatione facta, hypotheca data sit: qua pendente alius credidit purè, & accepit eandem hypothecam: tunc deinde prioris stipulationis existat conditio: vt potior sit, qui postea credidit. sed vereor, nũ hic aliud sit C dicẽdum. cùm enim semel conditio exstitit: perinde habetur, ac si illo tẽpore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset. quod & melius est.

Licet obligatio principalis sit pura, si tamen obligatio pignoris est sub conditione potestatiua contracta, tempus existentis conditionis inspicitur. Bartolus.

Si colonus conuenit, vt inducta in fundum, illata, ibi nata pignori essent: & antequam inducat, alij rem hypothecę nomine obligauerit, tũc deinde eam in fundum induxerit: potior erit, qui specialiter purè accepit: quia non ex conuentione priori obligatur, sed eo quod inducta res est, quod posterius factum est.

Si obligantur partus vel fructus futuri, requiritur quod res sit in bonis debitoris tempore obligationis. Bartolus.

Si de futura re cõuenerit, vt hypothecæ sit (sicuti est de partu:) hoc quæritur, an ancilla conuentionis tempore in bonis debitoris fuit. & in fructibus, si conuenit, vt pignori sint: æquè quæritur, an fundus, vel ius vtendi fruendi conuentionis tempore debitoris fuit. D

Posterior creditor habet ius offerendi priori, & sibi pignus confirmare. Bartolus.

Si paratus est posterior creditor priori creditori solue re, quod ei debetur: vidēdum est, an competat ei hypothecaria actio, nolente priore creditore pecuniam accipere, & dicimus, priori creditori inutilē esse actionē: cùm per eum fiat, ne ei pecunia soluatur.

Prior in tēpore cōtra secundū creditorem agentem habet exceptionem, & contra excipientem replicationem ex prioritate tēporis. Bar. E

XII. MARTIANVS *li. singulari ad formulā hypothecariā.*

Creditor qui prior hypothecā accepit, siue possideat eā, & alius vindicet hypothecaria actione: exceptio priori vtilis est, SI NON MIHI ANTE PIGNORI HYPOTHECAEVE NOMINE SIT RES OBLIGATA. siue alio possidēte, prior creditor vindicet hypothecaria actione, & ille excipiat, SI NON CONVENIT, VT SIBI RES SIT OBLIGATA: hic in modum suprà relatū replicabit. sed si cum alio possessore creditor secundus agat: rectè aget, & adiudicari poterit ei hypotheca: vt tamen prior cum eo agendo ei rem auferat. F

Qui soluit litis æstimationem primo creditori, non liberatur à secundo. Bartolus.

Si quoniā non restituebat rem pignoratā possessor, condēnatus ex præfatis caussis litis æstimationē exsoluerit: an perinde secūdo creditori teneatur, ac si soluta sit pecunia priori creditori, quæritur? & rectè puto hoc admittedū esse.

Qui prior de hypothecariis creditoribus conuenerit, potior est alio qui prius conuenit de debito. Bartolus.

Si primus, qui sine hypotheca credidit, post secundum, qui vtrūq; fecit, hypothecā accepit: sine dubio posterior in hypotheca est. Vnde si in diem de hypotheca cōuenit: dubiū nō est, quin potior sit, licet ante diē cum alio creditore purè de eadē re cōuenerit. Si idem bis, id est, ante secundum & post eum crediderit: in priore pecunia potior

est se-

est secundo, in posteriore tertius est.

A *Si res obligata alteri obligetur de volũtate creditoru, quo ad illũ prior hypotheca inutilis est: quo ad alios inspicitur, quod actum est.* B.

Si tecum de hypotheca paciscatur debitor, deinde cum alio tua volũtate: secundus potior erit. pecunia autẽ soluta secundo, an rursus teneatur tibi, rectè quæritur. erit autem facti quæstio agitanda, quid inter eos actum sit: vtrũ vt discedatur ab hypotheca in totum, cùm prior concessit alij obligari hypothecam: an vt ordo seruetur, & prior creditor secundo loco constituatur.

Potest quis in suummet locum succedere: & ratio prioritatis facit vt possit quis inuito alio pignus vendere. Bartolus.

Papinianus lib. vndecimo Responsorum scribit. si prior B creditor, postea nouatione facta, eadem pignora cum aliis accepit: in suum locum eum succedere. sed si secũdus non offerat pecuniam: posse priorem vendere, vt primam tantùm pecuniam expensam ferat, non etiam, quam postea credidit: & quod superfluũ ex anteriore credito accepit, hoc secundo restituat.

Secundus creditor habet rem obligatã tam pro credito suo, quàm pro sorte & vsuris, quas primo creditori soluit. Bartolus.

Sciendum est, secundo creditori rem teneri etiam inuito debitore, tam in suum debitum, quàm in primi creditoris: & in vsuras suas, & quas primo creditori soluit. sed tamen vsurarum, quas creditori priori soluit, vsuras non cõ-

C sequetur. non enim negocium alterius gessit, sed magis suum. & ita Papinianus libro tertio Responsorum scripsit, & verum est.

Secundus creditor contra omnes est potior excepto primo. Bar.

Si simpliciter conuenisset secundus creditor de hypotheca: ab omni possessore eam auferre poterit, præter priorem creditorem, & qui ab eo emit.

Tertius qui succedit in locum primi, potior est secundo. Bartolus.

A Titio mutuatus, pactus est cũ illo, vt ei prædium suũ pignori hypothecæúe esset. deinde mutuat' est pecuniam à Mæuio, & cum eo pactus, vt si Titio desierit prædiũ teneri, ei teneatur. tertius deinde aliquis dat mutuam pecuniam, vt Titio solueret: & paciscitur, vt idem prædium sibi pignori hypothecæúe sit, & locũ ei' subeat. num hic Mæ-

uius

uius tertio prior sit, qui pactus est, vt Titio soluta pecunia, impleatur conditio: & tertius de sua negligentia queri debeat? sed tamen & hic tertius creditor secundo præferendus est. D

Non solùm qui soluit, sed qui patitur pignus vendi, vt priori seu potiori soluatur, potest in prioris creditoris locum succedere. Bar.

Si terti⁹ creditor pignora sua distrahi permittat ad hoc, vt priori pecunia soluta, in aliud pignus priori succedat: successurum eum Papinianus libro vndecimo Responsorum scripsit. & omnino secūdus creditor nihil aliud iuris habet, nisi vt soluat priori, & loco eius succedat.

Potest prior impedire secundum volentem vendere, licet ipse vendere non possit. Bartolus.

Si priori hypotheca obligata sit, nihil verò de véditione conuenerit, posterior etiã de hypotheca vendenda conuenerit: verius est, priorem potiorem esse. nam in pignore placet, si prior conuenerit de pignore: licet posteriori res tradatur, adhuc potiorem esse priorem. E

Conuentio quod pignora pertineant ad vtrumque, intelligitur eo ordine, quo solui debitum principale debet, nisi aliud actum sit. Bar.

XIII. PAVLVS *lib.* V. *ad Plautium.*

INsulam tibi védidi. & dixi prioris anni pensioné mihi, sequétium tibi accessuram, pignorúmque ab inquilino datorum ius vtrumque consecuturum. Nerua, Proculus. nisi ad vtrãq; pensionem pignora sufficerét, ius omniũ pignorũ primũ ad me ptinere: quia nihil apertè dictũ esset, an communiter ex omnibus pignoribus summa pro rata seruetur. si quid superesset: ad te. PAVLVS. facti quæstio est. sed verisimile est id actum, vt primã quoque pésionem pignorum caussa sequetur. F

Qui prior est in tempore, potior est in iure, quando ab eodem pignora sunt accepta: si verò à diuersis non dominis, tunc possessor est potior. Bartolus.

XIIII. IDEM *lib.* XIIII. *ad Plautium.*

SI non dominus duobus eandem rem diuersis téporibus pignorauerit: prior potior est: quamuis si à diuersis nõ dominis pignus accipimus, possessor melior sit.

XV. IDEM *lib.* LXIX. *ad edictum.*

ETiã superficies in alieno solo posita pignori dari potest: ita

test:ita tamẽ, vt potior caussa domini sit soli, si non soluatur ei salarium.

A *Si primus creditor à tertio superatur, nõ praeiudicat secundo: quia per hoc non succedit tertius in locum primi: & sententia inter alios lata alijs non praeiudicat. Bartolus.*

XVI. IDEM. *lib.* III. *Quaestionum.*

CLaudius Felix eundem fundum tribus obligauerat: Eutychianae primum, deinde Turboni, tertio loco alij creditori. cum Eutychiana de iure suo doceret, superata apud iudicem à tertio creditore, non prouocauerat. Turbo apud alium victus, appellauerat. quaerebatur, vtrum tertius creditor etiam Turbonem superare deberet, qui primam conditione expulerat: an ea remota, Turbo tertiũ excluderet? planè cùm tertius creditor, qui primum de sua pecunia dimisit, in locum eius substituatur in ea quantitate, quam superiori exsoluit: fuerunt igitur, qui dicerẽt, hic quoque tertium creditorem potiorẽ esse debere. mihi nequaquam hoc iustum esse videbatur. pone primã creditricem in iudicio cõuenisse tertium creditorem, & exceptione, alióve quo modo à tertio superatam. nunquid aduersus Turbonem, qui secundo loco crediderat, tertius creditor, qui primam vicit, exceptione rei iudicatae vti poterit? aut cõtrà: si post primum iudicium, in quo prima creditrix superata est à tertio creditore, secundus creditor tertiũ obtinuerit: poterit vti exceptione rei iudicatae aduersus creditricem? nullo modo, vt opinor. igitur nec tertius creditor successit in eius locum, quẽ exclusit: nec inter alios res iudicata alij prodesse aut nocere solet: sed sine praeiudicio prioris sentẽtię totũ ius alij creditori integrũ relinquitur.

B

C

Emptor pignoris potest ex pacto in locum prioris creditoris succedere, si ad eum precium peruenerit. Bartolus.

XVII. IDEM *lib.* VI. *Responsorum.*

QVi à debitore praedium obligatum comparauit: eatenus tuendum, quatenus ad priorem creditorem ex precio pecunia peruenit.

Qui prior est tempore in sorte, intelligitur etiam esse prior in vsuris. Bartolus.

XVIII. SCAEVOLA *lib.* I. *Responsorum.*

LVcius Titius pecuniam mutuam dedit sub vsuris, acceptis

ceptis pignoribus: eidemque debitori Mæuius sub iisdẽ pignoribus pecuniam dedit. quæro, an Titius non tantùm sortis, & earum vsurarum nomine, quæ accesserunt antè, quàm Mæuius crederet: sed etiam earum, quæ postea accesserunt, potior esset? Respondit. Lucium Titium in omne, quod ei deberetur, potiorem esse. D

Possessor iustus habet ius offerendi priori creditori, & cedendam actionem impetrandi. Bar.

XIX. IDEM *lib. V. Responsorum.*

MVlier in dotem dedit marito prædium pignori obligatum: & testamento maritum, & liberos ex eo natos, item ex alio, hæredes instituit. creditor, cũ posset hæredes conuenire idoneos, ad fundum venit. quæro, an si ei iustus possessor offerat, compellendus sit ius nominis cedere? Respondit, posse videri non iniustum postulare. E

Secundus creditor confirmat sibi pignus soluendo primo debitum quod præcedit: nec tenetur offerre debitum ei, quod postea est secutũ, cũ in eo non sit potior. Bar.

XX. TRIPHONINVS *lib. IX. Disputationum.*

QVærebatur, si post primum contractum tuum, antè q̃ aliam tu pecuniam crederes, eidem debitori Seius credidisset quinquaginta: & hypothecam huius rei, quæ tibi pignori data esset, debitor obligasset: dehinc tu eidem debitori crederes fortè quadraginta, quod plus est in precio rei, quàm primo credidisti: vtrum Seio ob quinquaginta, an tibi in quadraginta cederet, pignoris hypotheca? finge Seium paratum esse, offerre tibi summã primo ordine creditam? dixi, cõsequens esse, vt Seius potior sit in eo, quod amplius esset in pignore: & oblata ab eo summa primo ordine crediti, vsurarumque eius, postponatur primus creditor in summa, quam postea eidem debitori credidit. F

In pari caussa qui prior est tempore, potior est in iure etiã in quæsitis post vtriusque obligationem. Bar.

XXI. SCAEVOLA *lib. XXVII. Digestorum.*

TItius Seiæ ob summam, qua ex tutela ei condemnatus erat, obligauit pignori omnia bona sua, quæ habebat, quæque habiturus esset. postea mutuatus à fisco pecuniã, pignori ei res suas omnes obligauit: & intulit Seiæ

partem

partem debiti, & reliquam summam nouatione facta eidẽ
A promisit. in qua obligatione similiter, vt suprà, de pignore conuenit. quæsitum est, an Seia præferenda sit fisco & in illis rebus, quas Titius tẽpore prioris obligationis habuit: item in his rebus, quas post priorem obligationem adquisiuit, donec vniuersum debitum suum consequatur? respõdi, nil proponi, cur non sit præferenda.

Priuatus habẽs hypothecam expressam, præfertur Fisco & Cæsari postea contrahenti. Bart.

Negociatori marmorum creditor sub pignore lapidũ, quorum precia venditores ex pecunia creditoris acceperant, numerauit. idem debitor conductor horreorum Cæsaris fuit. ob quorum pensiones aliquot annis non solutas,
B procurator exactioni præpositus, ad lapidum venditionem officium suum extendit. quæsitum est, an iure pignoris eos creditor retinere possit? Respondi, secundum ea, quæ proponerentur, posse.

DE DISTRACTIONE PIGNORUM & hypothecarum. Tit. V.

Secundus creditor in hypotheca non potest pignus vendere, nisi præcedente dimisso: sed si vendidit, à præcedente creditore conueniri non potest, sed emptor poterit hypothecaria conueniri. Bar.

PAPINIANVS, *lib.* XXVI. *Quæstionum.*

C Creditor, qui prædia pignori accepit, & post alium creditorem, qui pignorum conuentionẽ ad bona debitoris contulit, ipse quoque simile pactum bonorum ob alium aut eundem cõtractum interposuit. ante secundum creditorẽ dimissum, nullo iure cætera bona titulo pignoris vendidit sed ob eam rem in personam actio contra eum creditori, qui pignora sua requirit, non competit. sed nec vtilis danda est, nec furti rerum mobilium gratia rectè conuenietur: quia propriam caussam ordinis errore ductus persecutus videtur: præsertim cũ alter creditor furto possessionem, quæ non fuit apud eum, non amiserit. ad exhibendum quoque frustra litem excipiet: quia neque possidet, neque dolo fecit, vt desineret possidere. sequitur, vt secũdus creditor possessores interpellare debeat.

Licet

Licet fideiussor emat pignus: tamen debitori, vel secundo soluenti restituere cogetur, licet extraneus emptor cogi non posset. Bar. D

II. IDEM *lib.* II. *Responsorum.*

FIdeiussor conuentus, officio iudicis adsecutus est, vt emptionis titulo prædium creditori pignori datum susciperet. nihilominus alteri creditori, qui postea sub eodē pignore contraxit, offerendæ pecuniæ, quam fideiussor dependit, cū vsuris medij temporis facultas erit. nam huiusmodi venditio, transferendi pignoris caussa, necessitate iuris fieri solet.

Qui emit à creditore primo, irreuocabiliter possidet. sed qui emit à debitore, licet precium soluatur primo creditori, poterit conueniri, si solutum precium ei offeratur. Bar.

III. IDEM *lib.* III. *Responsorum.* E

CVm prior creditor pignus iure conuentionis vendidit: secundo creditori nō superesse ius offerendæ pecuniæ conuenit. si tamen debitor, non interueniente creditore, pignus vendiderit, eiusque precium priori creditori soluerit: emptori poterit offerri, & quod ad alium creditorem de numis eius peruenit, & vsuræ medij tēporis. nihil enim interest, debitor pignus datum vendiderit, an denuo pignori obliget.

Non potest pignus vendi, antequam debitor sit in mora soluendi. Bartolus.

IIII. IDEM *lib.* X. *Responsorum.* F

CVm soluendæ pecuniæ dies pacto confertur: conuenisse videtur, ne prius vēdendi pignoris potestas exerceatur.

Creditor potest vendere pignus pro eo quod sibi debetur, & pro eo quod priori obtulit creditori. Bar.

V. MARTIANVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.*

CVm secundus creditor, oblata priori pecunia, in locū eius successerit: venditionem ob pecuniam solutā & creditam rectè facit.

Secundus creditor vel fideiussor non emit irreuocabiliter. Bar.

Si secundus creditor vel fideiussor, soluta pecunia, pignora susceperunt: rectè eis offertur, quamuis emptionis titulo ea tenuerunt.

VI. MO-

VI. MODESTINVS *lib.* VIII. *Regularum.*

A CVm posterior creditor à priore pignus emit, non tam adquirendi dominij, quàm seruandi pignoris sui caussa intelligitur pecuniam dedisse. & ideo offerri ei & à debitore potest.

Si creditor iuste pignus vendidit extraneo, non potest debitor recuperare rem, nisi ex pacto, vel ratione minoris ætatis. Bar.

VII. MARTIANVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.*

SI creditor pignus vel hypothecam vendiderit hoc pacto, vt liceat sibi reddere pecuniam, & pignus recuperare: an si paratus sit debitor reddere pecuniam, consequi id possit? & Iulianus libro vndecimo Digestorum scribit. B rectè quidem distractum esse pignus: cæterũ agi posse cũ creditore, vt si quas actiones habet, eas cedat debitori. quod autem Iulianus scribit in pignore, idem & circa hypothecam est. Illud inspiciendum est, an liceat debitori, si hypotheca venierit, pecunia soluta eam recuperare. & siquidem ita veniit, vt si intra certum tempus à debitore pecunia soluta fuerit, emptio rescindatur: intra illud tempus pecunia soluta recipiet hypothecam. si verò tempus præterierit, aut si non eo pacto res venierit: nõ poterit rescindi venditio. nisi minor annis viginti quinque debitor sit, aut pupillus, aut reipublicæ caussa absens, vel in aliqua earum caussarum, ex quibus edicto succurritur.

C *Pactum de non vendendo adpositum ab eo qui habet ius in re, impedit venditionem.* Bar.

Quæritur: si pactum sit à creditore, ne liceat debitori hypothecam vendere, vel pignus, quid iuris sit: & an pactio nulla sit talis, quasi contra ius sit posita, ideoque venire possit? & certum est, nullam esse venditionem, vt pactioni stetur.

Potest creditor vnum eligere ex pignoribus quod voluerit vt vẽdat. quod nota: quia est contra opinionem rusticorum. Bar.

VIII. MODESTINVS *lib.* VI. *Regularum.*

CReditoris arbitrio permittitur: ex pignoribus sibi obligatis, quibus velit, distractis: ad suum commodum peruenire.

Venditio non liberat debitorem, nisi precio creditori soluto. Bar.

IX. PAV-

IX. PAVLVS *lib.* III. *Quæſtionum.*

QVæſitum eſt. ſi creditor ab emptore pignoris preciũ ſeruare non potuiſſet: an debitor liberatus eſſet? putaui. ſi nulla culpa imputari creditori poſſit, manere debitorem obligatum: quia ex neceſſitate facta vẽditio non liberat debitorem, niſi pecunia percepta. D

Pactum de ſuperfluo non ſoluendo creditori eſt ſuperfluum: quia tacitè ineſſe intelligitur. Bar.

Pomponius autem lectionum libro ſecũdo ſcripſit ita. quod in pignoribus dandis adiici ſolet, vt quò minus pignus veniſſet, reliquum debitor redderet: ſuperuacuũ eſt: quiã ipſo iure ita ſe res habet, etiam non adiecto eo.

Creditor non tenetur, de euictione: ipſe tamen non poteſt euincere. Bar. E

X. IDEM *lib.* VI. *Reſponſorum.*

ET ſi is, qui lege pignoris emit, ob euictionem rei redire ad venditorem non poteſt: tamen non eſſe audiendũ creditorem, qui fundum vendidit, ſi velit eiuſdem rei ex alia cauſſa quæſtionem mouere.

Diuiſio cohæredum non impedit ius creditoris pignus vendere uolentis. Bar.

XI. SCAEVOLA *lib.* I. *Reſponſorum.*

ARbiter diuidundæ hæreditatis cũ corpora hæreditaria diuiſiſſet: nomina quoque communium debitorũ ſeparatim ſingulis in ſolidum adſignauit. quæſitum eſt, an
*ſoluendo debitoribus ceſſantibus pro ſolido * pignus vẽdere quiſque poſſit? reſpondit, poſſe. F

Creditor poteſt emere pignus à debitore. Bar.

XII. TRIPHONINVS *lib.* VIII. *Diſputationum.*

REſcriptum eſt ab Imperatore, libellos agente Papiniano, creditorem à debitore pignus emere poſſe: quia in dominio manet debitoris.

Quicquid ex re pignorata, vel eius occaſione conſequitur creditor, pignus extenuat, ſi id irreuocabiliter conſequitur: aliàs debitoris liberatio ex futuro pendebit euentu. Bar.

Si aliena res pignori data fuerit, & creditor eam vendiderit: videamus, an precium, quod percepit creditor, liberet debitorem perſonali actione pecuniæ creditæ. quod verè reſpondetur, ſi ea lege vendidit, ne euictionis nomine obliga-

obligaretur: quia ex cõtractu, quali quali obligatiõe à debitore interposita, certè quod occasione eius redactũ est,
A id preciũ æquius proficeret debitori, quàm creditoris lucro cederet. sed quantum quidem ad creditorem, debitor liberatur. quantũ verò vel ad dominum rei, si necdum pignus euictum est, vel ad emptorem post euictionem: ipse debitor vtili actione tenetur, ne ex aliena iactura sibi lucrum adquirat. Nam & si maiores fructus (fortè petens à fideiussore) creditor abstulit: vniuersos in quãtitatem debitam acceptò ferre debebit. Sed & cũ per iniuriam iudicis domino rem, quæ debitoris non fuisset, abstulisset creditor, quasi obligatam sibi: & quæreretur, an soluto debito, restitui eam oporteret debitori? Scæuola noster re-
B stituendam putauit. quòd si non ita vendidit, vt certum sit omnimodo apud eum precium remansurum, verùm obligatus est ad id restituendum: arbitror interim quidem nihil à debitore peti posse, sed in suspẽso haberi liberationem. verũ si actione ex empto conuentus, præstitisset precium creditor emptori: debitum persequi eum à debitore posse, quia adparuit non esse liberatum.

Creditor tenetur iura cedere, & possessionem tradere. Bar.

XIII. PAVLVS *lib.* I. *Decretorum.*

CReditor, qui iure suo pignus distrahit, ius suum cedere debet: & si pignus possidet, tradere vtique possessionem.

C XIIII. SCAEVOLA *lib.* VI. *Digestorum.*

ARbitri diuidundæ hæreditatis inter hæredes, cùm corpora hæreditaria diuisissent, nomina quoque cõmunium debitorum separatim diuersa singulis insolidum adsignauerunt. Quæsitum est, an vnusquisque eorum, debitore sibi addicto cessante in solutione, pro solido * pignus sub eo nomine obligatum vendere possit? Respondit potuisse. **soluendo* FL.

QVIBVS MODIS PIGNVS VEL *hypotheca soluitur.* Tit. VI.

Is cuius pecunia pignus liberatur, nõ succedit in ius debitoris quo ad actionem, sed quo ad exceptionem sic. Bar.

PAPINIANVS *lib.* XI. *Responsorum.*



Ebitoris absentis amicus negocia gessit, & pignora citra emptionem pecunia sua liberauit. ius pristinum domino restitutum videtur. igitur qui negocium gessit, vtilem Seruianam dari sibi nõ rectè desiderabit. si tamẽ possideat, exceptione doli defenditur. D

Vitiato expresso non vitiatur tacitum, si non est eadem ratio vitiandi vtrumque. Bar.

Cũ venditor, numerata sibi parte precij, prædium quod venierat, pignori accepisset: ac post ea residuum precium emptori, literis ad eum missis, donasset: eoque defuncto, donationem quibusdam modis in vtilẽ esse constaret: frustra fiscum, qui in locum vẽditoris successerat, petere prędium iure pignoris adparuit, cuius solutum esse pactum prima voluntate donatoris constabat: quoniam inutilem pecuniæ donationem lex facit, cui non est locus in pignore liberando. E

Mutata persona ex parte rei cautiones iudiciariæ exstinguuntur. Bartolus.

Defensor absentis cautionem iudicatum solui pręstitit. in dominum iudicio postea translato, fideiussores ob rem iudicatam, quos defensor dedit, nõ tenebuntur. sed nec pignora, quæ dederunt.

Possessor qui litis æstimationem soluit creditori, excipit contra dominum vindicantem, nisi sibi debitum offerat. Bar.

II. CAIVS *lib.* X. *ad edictum prouinciale.* F

SI creditor Seruiana actione pignus à possessore petierit, & possessor litis æstimationem obtulerit, & ab eo debitor rem vindicet: nõ aliter hoc facere conceditur, nisi prius debitum ei offerat.

Si ius debitoris obligantis resoluitur ex caussa antecedẽte necessaria, resoluitur pignus. secus si ex caussa voluntaria. Bar.

III. VLPIANVS *lib.* VIII. *Disputationum.*

SI res distracta fuerit sic, NISI INTRA CERTVM DIEM MELIOREM CONDITIONEM INVENISSET, fueritque tradita: & fortè emptor, antequam melior conditio offerretur, hanc rem pignori dederit: Marcellus lib. quinto Digestorum ait, finiri pignus, si melior conditio fuerit allata: quãquã vbi sic res

distracta

distracta est, NISI EMPTORI DISPLICVISSET, pignus finiri non putet.

A IIII. IDEM lib.LXXIII.ad edictum.

SI debitor, cuius res pignori obligatæ erant, seruũ, quẽ emerat, redhibuerit: an desinat Seruianæ locus esse? & magis est, ne desinat: nisi ex voluntate creditoris hoc factum est.

Qui consentit venditioni pignoris, videtur ius suum remittere, nisi contrarium fuerit protestatus, vel venditio non tenuerit. Bar.

Si in vẽditione pignoris cõsenserit creditor, vel vt debitor hanc rem permutet, vel donet, vel in dotẽ det: dicẽdũ erit pignus liberari, nisi salua caussa pignoris sui cõsenserit. nam multi solent salua caussa pignoris sui cõsentire.

B Sed si ipse vendiderit creditor: sic tamen venditionẽ fecerit, ne discederet à pignore, nisi ei satisfiat: dicẽdũ erit, exceptionẽ ei non nocere. sed & si non concesserit pignus venundari, sed ratã habuerit venditionẽ: idem erit probãdum. Bellè quæritur. si fortè venditio rei specialiter obligatæ nõ valeat: an nocere hæc res creditori debeat, quod consensit: vtputa si qua ratio iuris venditionem impediat? dicendum est pignus valere.

Siue hypotheca remittatur expresse, siue remittatur debitum, hypotheca videtur remissa, quatenus debitum est remissum. Bar.

V. MARTIANVS *lib. singulari ad formulã hypothe.*

SOluitur hypotheca, & si ab ea discedatur, aut paciscatur creditor, ne pecuniam petat. nisi quis dicat, pactũ

C interpositum esse, vt à persona non petatur. & quid si hoc actũ sit, cũ fortè alius hypothecã possideat? sed cũ pactũ conuentũ exceptionẽ perpetuam pariat: eadẽ in hoc casu possunt dici, vt & ab hypotheca discedatur. Si paciscatur creditor, ne intra annum pecuniam petat: intelligitur de hypotheca quoque idem pactus esse.

Si creditor pro pignore recipit fideiussorem, videtur remittere pignus. secus si vendat nomen debitoris.

Si conuenerit, vt pro hypotheca fideiussor daretur, & datus sit: satisfactũ esse videbitur, vt hypotheca liberetur. aliud est, si ius obligationis vendiderit creditor, & pecuniã acceperit. tunc enim manent omnes obligationes integræ: quia precij loco id accipitur, non solutionis nomine.

Satisfactum creditori intelligitur, & ſi iuſiurãdum delatum datum eſt, hypothecæ non eſſe rem obligatam. D

VI. VLPIANVS *lib*.LXXIII.*ad edictum*.

ITem liberatur pignus, ſiue ſolutũ ſit debitum, ſiue eo nomine ſatisfactũ. ſed & ſi tẽpore finitũ pignus eſt, idẽ dicere debem⁹: vel ſi qua ratione obligatio eius finita eſt.

Solutione vel obligatione in iudicio facta pignus liberatur. ſecus ſi alio modo quis paratus eſt ſatisfacere, niſi creditor hoc admiſerit. Bartolus.

Qui paratus eſt ſoluere, meritò pignus videtur liberaſſe. qui verò non ſoluere, ſed ſatisfacere paratus eſt: in diuerſa cauſſa eſt. ergo ſatisfeciſſe proderit: quia ſibi imputare debet creditor, qui ſatisfactionem admiſerit vice ſolutionis. at qui non admiſit ſatisfactionem, ſed ſolutionem E deſiderat: culpandus non eſt. In ſatisdatione autem non vtimur Atilicini ſententia: qui putabat, ſi ſatis detur alicui certæ pecuniæ, recedere cum à pignoribus debere.

VII. CAIVS *lib. ſingulari de formula hypothecaria*.

SI conſenſit venditioni creditor, liberatur hypotheca. ſed in his pupilli conſenſus non debet aliter ratus haberi, quàm ſi præſente tutore conſenſerit, aut etiã ipſe tutor: ſcilicet, ſi commodum aliquod, vel ſatis ei fieri ex eo iudex exiſtimauerit.

Procurator non poteſt pignus remittere ſine ſpeciali mandato, ſed bene poteſt remiſſionem pignoris accipere. Bar.

Videbimus, ſi procurator omnium bonorum conſenſerit, vel ſeruus actor, cui & ſolui poteſt, & in id præpoſitus F eſt: an teneat conſenſus eorum. & dicendum eſt, non poſſe: niſi ſpecialiter hoc eis mandatum ſit. ſed ſi cum debitoris procuratore conuenerit, ne res ſit obligata: dicendum eſt, id debitori per doli exceptionem prodeſſe. cũ autem cum ſeruo eius conuenit: per ipſam pacti conuenti exceptionẽ prodeſſe debet.

Pignus poteſt remitti pro parte pro indiuiſo. Bar.

Si conueniet de parte pro indiuiſo alienanda: ſi certa res eſt, quæ venit: poteſt dici de reliqua parte ab initio agi oportere, nec obſtare exceptionem.

Si diuiſio fiat à ſocio, non tollitur ius reale alteri competens pro indiuiſo. ſecus ſi eſſet ius perſonale. Bar.

Illud

Illud tenendum est. si quis communis rei partem pro
A indiuiso dederit hypothecæ: diuisione facta cū socio, non vtique eam partem creditori obligatam esse, quæ ei obtingit, qui pignori dedit: sed vtriusque partem pro indiuiso pro parte dimidia manere obligatam.

Aestimatione rei obligatæ exstinguitur pignus. Bar.

VIII. MARTIANVS *lib. singulari ad formulā hypo.*

SIcut re corporali exstincta, ita & vsufructu exstincto, pignus hypothecaúe perit.

Pactū factū hæredi transit ad fideicommissariū vniuersalē. Bart.

Creditor ne res pignori hypothecæúe sit, pacisci potest. & ideo si hæredi pactus fuerit: ei quoque proderit pactum, cui is restituit hæreditatem ex senatusconsulto Trebelliano.

B *Pactum procuratoris in rem suam, prodest & nocet domino sicut pactum domini.* Bar.

Si procurator debitoris in rem suam sit: non puto dubitari debere, quin pactum noceat creditori. Itemq́ue & si à parte creditoris procurator in rem suam exstiterit, paciscendo inutilem sibi faciet hypothecariam actionem: in tantum, vt putem rectè dici, & dominis litis hoc casu nocere hanc exceptionem. Si conuenerit, ne pars dimidia pro indiuiso pignori sit: quæcūque eius fundi pars à quolibet possessore petatur, dimidia nō rectè petitur. Si plures dederint pro indiuiso, & cū vno creditor paciscatur,
C ne hypothecæ sit, deinde ab eo petat: etiam si hic, cū quo pactus est, solidum fundum possideat pro indiuiso: quia de parte conuenisset, non repellit eum à toto.

Filius vel seruus non potest libere remittere pignus. Bar.

An pacisci possint filiusfamiliâs & seruus, ne res pignori sit: quum peculiariter pignori hypothecam acceperūt, & habent liberam peculij administrationem: videamus. an quemadmodum donare non possunt, ita nec pacisci, ne pignori sit, possint? sed dicendum est, vt concedere possint: scilicet si precium pro pactione accipiant, quasi vendant.

Qui consentit alienationi, videtur remittere pignus, si alienatio est secuta. Bar.

Si voluntate creditoris fundus alienatus est: inuerecundè adplicari sibi eum creditor desiderat: si tamen effectus

 sit se-

ſit ſecutus venditionis. nam ſi non venierit: nõ eſt ſatis ad repellendum creditorem, quod voluerit venire. D

In dubio non præſumitur quis alienaſſe ea, quæ repertus eſt poſſidere. Bar.

Superuacuũ eſt quærere, agrum ſpecialiter hypothecæ datũ, permiſſu creditoris veniſſe, ſi ipſe debitor rẽ poſſideat: niſi quod poteſt fieri, vt debitor permiſſu creditoris vẽdiderit, deinde poſtea bona fide redemerit ab eodẽ, vel ab alio, ad quẽ per ſucceſſionẽ ea res pertinere cœpiſſet: aut ſi ipſe debitor emptori hæres exſtiterit. verũtamen cũ pecunia ſoluta nõ ſit: doli mali ſuſpicio inerit, trãſlata ad præſens tẽpus, vt poſſit creditor replicationem doli mali obiicere.

Si creditor venditioni conſenſit, vt ſibi de precio ſatisfiat, & non ſatisfit: non impeditur agere hypothecaria contra eum, & eius hæredem. ſecus ſi contra extraneum emptorem. Bar. E

Illud videamus. ſi Titius debitor voluntate creditoris ſui vẽdiderit Mæuio, vel ei, à quo Mæuius emerat: & poſtea Mæuius Titio hæres exſtiterit, & creditor ab eo petat: quid iuris ſit. ſed iniquũ eſt, auferri ei rem à creditore, qui nõ ſucceſſionis iure ſed alio modo rẽ nact⁹ eſt. poteſt tamẽ dici: cũ Titij dolus in re verſetur, ne creditor à poſſeſſore pecuniã recipiat: iniquiſſimum eſſe ludificari eum.

Quòd ſi is fundus alicui à Mæuio obligatus poſſideaẽ, cui nondũ ſatisfactũ fuerit: tunc rurſus æquũ erit excipi, SI NON VOLVNTATE CREDITORIS VENIIT. licet enĩ dolus malus debitoris interueniat, qui nõ ſoluit: tamẽ ſecũdus creditor, qui pignori accepit, potior eſt. Tutius tamen eſt, ſi debitor à creditore petat, vt ei permittat pignus vẽdere: quò magis ſatisfaciat, antea cautionẽ accipere ab eo, qui rẽ empturus erit, vt preciũ rei venditæ vſque ad ſummam debiti creditori ſoluat. F

Appellatione venditionis continetur omnis actus, per quem dominium transfertur etiam ex vltima voluntate Bar.

Vẽditionis autẽ appellationẽ, generaliter accipere debemus: vt & ſi legare permiſit, valeat quod cõceſſit. quod ita intelligemus, vt & ſi legatum repudiatum fuerit, conualeſcat pignus.

Pign⁹ videẽ remiſſum ſola vẽditione, ſi debitor teneẽ tradere. B.

Si debitor

Si debitor vendiderit rem, nec tradiderit: an non repel-
A latur creditor, quasi adhuc res in bonis sit debitoris: an ve
rò, cũ teneatur ex empto, pignus exstinguatur? quod & ma
gis est. sed quid si precium venditor consecutus nõ sit, nec
paratus sit emptor dare? tantundem potest dici.

Si permittitur vnus actus alienationis, permittitur omnis alius illi similis & eundem importans effectum vel meliorem: secus si deteriorem. Bartolus.

Sed si permiserit creditor vendere, debitor verò donauerit: an exceptione illum submoueat? an facti sit magis quæstio? & nunquid ideo venire voluerit, vt precio accepto, ipsi quoque res expediat? quo casu non nocebit consensus. quod si in dotẽ dederit: vendidisse in hoc casu re-
B ctè videtur, propter onera matrimonij. In contrarium, si concesserit donare, & vendiderit debitor: repelletur creditor. nisi quis dicat ideo concessisse donari, quod amicus erat creditori is, cui donabatur. Quòd si concesserit decẽ vendere, ille quinq; vendiderit: dicendũ est, nõ esse repellendũ creditorẽ. in contrariũ, nõ erit quærendũ, quin rectè vendat: si pluris vendiderit, quàm concessit creditor.

Præsens & tacens non videtur pignus remisisse, secus in eo qui se subscribit. Bartolus.

Non videtur autem concessisse creditor, & si sciente eo debitor rem vendiderit: cùm ideo passus est venire, quod sciebat vbiq; pignus durare. sed si subscripserit, fortè in ta-
C bulis emptionis: cõcessisse videtur, nisi manifestè adpareat eum deceptum esse. quod obseruari oportet, & si sine scriptis consenserit. Si debitori cõcessum sit, & hæres eius vendiderit: potest facti quæstio esse, quid intellexerit creditor. sed rectè venisse dicendum est. hæc enim subtilitates à iudicibus non admittuntur.

Permißio venditionis facta vni non porrigitur ad extraneum: & facta ad tempus, non porrigitur vltra. Bartolus.

Si debitor fortè concessa vẽditione rem desierit possidere, & nouus possessor vẽdiderit. an duret pignus, quasi personæ permiserit creditor? quod & magis est. nã si nouo possessori, nõ debitori, à quo hypothecam accepit, cõcessit creditor vendere: dicendũ est, nocere ei exceptionem. sed si intra annum aut biennium concesserit creditor ven-

dere: post hoc tempus vendẽdo, non aufert pignus creditori. Si creditor hypothecaria vsus, à possessore litis æstimationem consecutus fuerit, & à debitore petatur debitum: puto doli mali exceptionem obstaturam. D

Si duo simul emunt, videntur inuicem consentire, & pignus remittere. Bartolus.

IX. MODESTINVS *lib.* IIII. *Responsorum.*

Titius Sempronio fundum pignori dedit, & eundem postea Caio Seio: atque ita idem Titius & Sempronio & Caio Seio eundem fundum in assem vendidit, quibus pignori antè dederat in solidum singulis. quæro, an venditione interposita, ius pignoris exstinctum sit: ac per hoc ius solum emptionis apud ambos permanserit? Modestinus respondit. dominium ad eos, de quibus quæritur, iure emptionis pertinere: & cùm consensum mutuo venditioni dedisse proponãtur, inuicem pignoraticiã actionem eos non habere. E

Qui succedit in locum vnius creditoris, vtitur remissione illi creditori facta. Bartolus.

Titius Seio pecuniã sub pignore fundi dederat. is fundus, cũ esset reipublicæ antè obligatus, secundus creditor pecuniã reipublicæ exsoluit. sed Mæuius exstitit, qui dicebat, ante rẽpublicam sibi fundũ obligatũ fuisse. inueniebatur autẽ Mæuius instrumẽto cautionis cũ republica antea facto à Seio, ĩterfuisse & subscripsisse: quo cauerat Seius, fũdũ nulli alij fuisse obligatũ. quæro, an actio aliqua in rẽ Mæuio cõpetere potest? Modestinus respõdit. pignus, cui is, de quo quæritur, cõsensit: minimè eũ retinere posse. F

Si resoluatur venditio, & res cum eadem caussa ad venditorem redeat, pignus in statum pristinum restauratur. Bartolus.

X. PAVLVS *lib.* III. *Quæstionum.*

Volũtate creditoris pignus debitor vẽdidit: & postea placuit inter eum & emptorem, vt à vẽditione discederetur. ius pignorum saluum erit creditori. nam sicuti debitori, ita & creditori pristinum ius restituitur. neque enim omnimodo creditor pignus remisit: sed ita demum, si emptor rem retineat, nec reddat venditori. & ideo si iudicio quoque accepto vẽditor absolutus, vel quia nõ tradebat, in id quod interest cõdẽnatus sit: saluũ fore pignus creditori,

creditori,dicendũ est.hæc enim accidere potuissent,etiam
A si nõ voluntate creditoris vẽdidisset. Creditor quoq; si pignus distraxerit, & ex vẽditione recessum fuerit, vel homo redhibitus: dominiũ ad debitorẽ reuertitur. idẽq; est in omnibus aliis,quibus concessum est rem alienã vendere.nõ enim quia dominiũ trãsferũt,ideo ab emptore ius recipiũt:sed in pristinã caussã res redit,resoluta vẽditiõe.

Qui consentit rem sibi obligatam in dotem dari: pignus videtur remittere. Bartolus.

XI. IDEM *lib.* IIII. *Responsorum.*

LVcius Titius, cùm esset vxoris suæ Caiæ Seiæ debitor sub pignore, siue hypotheca prædiorum, eadem prædia cum vxore sua Septiciæ communis filiæ nomine
B Sempronio marito eius futuro in dotem dedit. postea defuncto Lucio Titio,Septicia filia abstinuit hæreditate paterna. quæro, an mater eius hypothecam persequi possit? Paulus respondit.pignoris quidem obligationem prædiorum Caiam Seiam, quæ viro pro filia communi in dotem eadem danti consensit,cùm communis filiæ nomine darẽtur,remisisse videri:obligationem autem personalem perseuerasse. sed aduersus eam, quæ patris hæreditate abstinuisset,actionem non esse dandam.

Qui consentit quod pignus pignori detur, videtur pignus remisisse,non alium loco sui constituisse. Bartolus.

XII. IDEM *lib.* V. *Responsorum.*

C PAulus respondit.Sempronium antiquiorem creditorem consentientem, cùm debitor eandem rem Titio creditori obligaret,ius sui pignoris remisisse videri: non etiam tertium in locum eius successisse.& ideo medij creditoris meliorem caussam effectam.idem obseruandum,& si respublica tertio loco crediderit.

Quilibet possessor habet ius offerendi creditori. Bartolus.

Qui pignoris iure rem persequuntur, à vindicatione rei eos remoueri solere: si qualiscunque possessor offerre debitum velit. neque debere quæri de iure possessoris, cùm ius petitoris remoueatur soluto pignore.

Iureiurando & sententia liberatur pignus. Bartolus.

SXIII. TRIPHONINVS *lib.* VIII. *Disputationũ.*
I deferente creditore iurauit debitor se dare nõ oportere,

tere, pignus liberatur: quia perinde habetur, atque ſi iudicio abſolutus eſſet. nam & ſi à iudice (quamuis per iniuriam) abſolutus ſit debitor: tamen pignus liberatur. D

Ex pacto pignus tollitur & ſatisfactione. Bartolus.

XIIII. LABEO *lib.* V. *Poſteriorum à Iaboleno epitomatorum.*

CVm colono tibi conuenit, vt inuecta, importata pignori eſſent, donec merces tibi ſoluta, aut ſatisfactũ eſſet. deinde mercedis nomine fideiuſſorem à colono accepiſti. ſatisfactum tibi videri exiſtimo: & ideo illata pignori eſſe deſiiſſe.

Quãdo vnus eſt debitor ex pluribus cauſſis, cogitur creditor recipere, ſi offeratur totum quod ex vna cauſſa debetur. Bartolus.

XV. SCAEVOLA *lib.* V. *Reſponſorum.* E

PRimi creditoris, qui pignori prædia acceperat: & poſterioris, cui quidã ex iiſdem fundis dati erãt: ad eandem perſonã hæreditas deuenerat. debitor offerebat, quãtum à poſteriore creditore mutuatus fuerat. reſpondit. cogendum accipere, ſaluo iure pignoris prioris cõtractus.

DIGESTORVM SEV PANdectarum liber uiceſimus primus.

F

DE AEDILITIO EDICTO, ET REdhibitione, & quanto minoris. Tit. I.

VLPIANVS *lib.* I. *ad edictum ædilium curulium.*

† *Vet⁹ edictũ ædiliũ vocat Cic. lib. 3. Offi. vbi & de eius interpretatione copioſe diſſerit.*



LABEO ſcribit, edictum ædilium curulium de venditionibus rerum eſſe, tam earum, quæ ſoli ſunt, quàm quæ mobiles, aut ſe mouẽtes ſunt. Aiũt ædiles. † QVI MANCIPIA VENDVNT, CERTIORES FACIVNTO EMPTORES, QVID MORBI VICIIVE CVI-

CVIQVE SIT, QVIS FVGITIVVS ERRO-
A RÓVE SIT, NOXÁVE SOLVTVS NON SIT:
EÁQVE OMNIA, CÚM EA MANCIPIA VE-
NEVNT, PALÁM AC RECTÈ PRONVNCI-
ANTO. QVOD SI MANCIPIVM ADVER-
SVS EA VENIERIT: SIVE ADVERSVS,
QVÁM DICTVM PROMISSÚMVE FVIT,
CÚM VENIRET, FVERIT: QVOD EIVS
PRAESTARI OPOTERE DICETVR: EM-
PTORI, OMNIBÚSQVE, AD QVOS EA RES
PERTINET, IVDICIVM DABIMVS, VT ID
MANCIPIVM REDHIBEATVR. SI QVID
AVTEM POST VENDITIONEM TRADI-
B TIONÉMQVE DETERIVS OPERA EM-
PTORIS, FAMILIAE, PROCVRATORÍS-
VE EIVS FACTVM ERIT: SIVE QVID
EX EO POST VENDITIONEM NATVM,
ADQVISITVM FVERIT: ET SI QVID
EI IN VENDITIONE ACCESSERIT, SI-
VE QVIS EX EA RE FRVCTVS AD
EMPTOREM PERVENERIT: VT EA OM-
NIA VENDITORI RESTITVAT. TVM SI
QVAS ACCESSIONES IPSE PRAESTI-
TERIT, VT RECIPIAT. ITEM SI QVOD
MANCIPIVM CAPITALEM FRAVDEM
C ADMISERIT, MORTÍSVE CONSCIENDAE
CAVSSA QVID FECERIT, SIVE IN A-
RENAM DEPVGNANDI CAVSSA AD BE-
STIAS INTROMISSVM FVERIT: EA
OMNIA IN VENDITIONE PRONVNCI-
ANTO. EX HIS ENIM CAVSSIS IVDI-
CIVM DABIMVS. HOC AMPLIVS, SI
QVIS ADVERSVS EA SCIENS DOLO
MALO VENDIDISSE DICETVR, IVDICI-
VM DABIMVS. Caussa huius edicti proponendi
est,vt occurratur fallaciis vendentium:& emptoribus suc-
curratur,quicunque decepti à venditoribus fuerint: dum-
modo sciamus vẽditorem,etiam si ignorauit ea, quæ ædi-
les præstari iubẽt,tamen teneri debere.nec est hoc iniquũ.

potuit enim ea notata habere venditor. neque enim interest
emptoris, cur fallatur: ignorantia venditoris, an callidita- D
te. Illud sciendum est, edictum hoc nõ pertinere ad ven
ditiones fiscales. si tamen respublica aliqua faciat vendi-
tionem: edictum hoc locũ habebit. In pupillaribus quo-
que venditionibus erit edicto locus. Si intelligatur vi-
cium morbũ sve mãcipij (vt plerumque signis quibusdam
demonstrari solent vicia) potest dici edictum cessare. hoc
enim tantùm intuendum est, ne emptor decipiatur. Sed
sciendum est, morbum apud Sabinum sic definitũ esse, ha-
bitum cuiusque corporis contra naturam, qui vsum eius ad
id faciat deteriorem, cuius caussa natura nobis eius corpo
ris sanitatem dedit. id autem aliâs in toto corpore, aliâs in
parte accidere. nanque totius corporis morbum esse (pu- E
ta) φθίσιν, febrem: partis, veluti cæcitatem, licet homo ita
quoque natus sit. viciúmque à morbo multum differre. vt-
puta si quis balbus sit. nã hunc viciosum esse magis, quàm
morbosum. Ego puto ædiles tollendæ dubitationis gra-
tia bis κατὰ τῶ αὐτῶ id dixisse, ne qua dubitatio superesset.
Proinde si quid tale fuerit (siue vicij, siue morbi) quod v-
sum ministeriúmque hominis impediat: id dabit redhibi-
tioni locum. dummodo meminerimus: non vtique quod-
libet quàm leuissimum efficere, vt morbosum viciosúmue
quid habeatur. proinde leuis febricula, aut vetus quartana
(quæ tamẽ iam sperni potest) vel vulnusculum modicum,
nullum habent in se delictum, quamuis pronũciatum non
sit. contemni enim potuerunt. Exempli itaque gratia re- F
feram, qui morbosi viciosiq; sunt. Apud Viuianum quæ-
ritur. si seruus inter fanaticos non semper caput iactaret, &
aliqua profatus esset: an nihilominus sanus videretur? & ait
Viuianus nihilominus hunc sanum. neque enim nos minus
animi viciis, quàm corporis, aliquos sanos esse intelligere
debere. alioquin (inquit) futurum, vt in infinitum hac ra-
tione multos sanos esse negaremus: vtputa leuem, supersti
tiosum, iracundum, contumacem, & si qua similia sunt ani-
mi vicia. magis enim de corporis sanitate, quàm de animi
viciis promitti. interdum tamen (inquit) vicium corpora-
le vsque ad animum peruenire, & eum viciare: veluti con-
tingeret φρενητικῷ: quia id ex febribus accideret. quid er-
go est?

go est? si quidem tale sit animi vicium, vt id venditorem
A excipi oporteret: neque id venditor, cùm sciret, pronunciasset: ex empto eum teneri. Idem Viuianus ait, quamuis aliquando quis circa fana bacchatus sit, & responsa reddiderit: tamẽ si nunc hoc non faciat, nullum vicium esse. neque eo nomine, quod aliquando id fecit, actio est: sicuti si aliquando febrem habuit. cæterùm si nihilominus permaneret in eo vicio, vt circa fana bacchari soleret, & quasi demens responsa daret: etiam si per luxuriã id factum est, vicium tamen esse, sed vicium animi, non corporis. ideóque redhiberi non posse: quoniam ædiles de corporalib' vicŭs loquuntur. attamen ex empto actionem admittit. idem dicit & in his, qui præter modum timidi, cupidi, auarique sunt, aut iracundi,
B

II. CAIVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.*

VEl melancholici,

III. PAVLVS *lib. II. ad edictum ædilium curulium.*

VEl proterui, vel gibbosi, vel curui, vel pruriginosi, vel scabiosi. item muti & surdi.

IIII. VLPIANVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.*

OB quæ vicia negat redhibitionem esse: ex empto tamen dat actionem. sed si vicium corporis vsque ad animum penetret: fortè si propter febrem loquatur aliena, vel per vicos more insanorum deridenda. in quo sic animi vicium ex corporis vicio accidit: eum redhiberi posse.

C Item aleatorem & vinarios non contineri edicto, quosdam respondisse Pomponius ait: quemadmodum nec gulosos, nec impostores, aut mẽdaces, aut litigiosos. Idem Pomponius ait. quamuis non valde sapientem seruum venditor præstare debeat: tamen si ita fatuum, vel morionem vendiderit, vt in eo vsus nullus sit: videri viciosum. & videmur hoc iure vti: vt vicij morbique appellatio non videatur pertinere, nisi ad corpora. Animi autem vicium ita demum pręstabit venditor, si promisit. si minus: non. & ideo nominatim de errone & fugitiuo excipitur. hoc enim animi vicium est, non corporis. vnde quidam iumenta pauida & calcitrosa morbosis non esse adnumeranda dixerunt. animi enim, non corporis hoc vicium esse. In summa si quidem animi tantum vicium est, redhiberi non posse: nisi

ſe: niſi dictum ſit hoc abeſſe, & non abeſt. ex empto tamen dat actionem, ſi ſciens id vicium animi reticuit. ſi autem corporis ſolũ, aut & corporis & animi miſtum vicium eſt: redhibitio locum habebit. Illud erit adnotandum: quod de morbo generaliter ſcriptum eſt, nõ de ſontico morbo. nec mirum hoc videri, Pomponius ait. nihil enim ibi agitur de ea re, cui hic ipſe morbus obſtet. Idem ait, non omnem morbum dare locum redhibitioni: vtputa leuis lippitudo, aut leuis dentis auriculæúe dolor, aut mediocre vlcus. non denique febriculam quantulãlibet ad cauſſam huius edicti pertinere. D

V. PAVLVS *lib.* XI. *ad Sabinum.*

ET quãtum intereſt inter hæc vicia, quæ Græci κακοηθέαμ dicunt & πάθος, intérque νόσομ & ἀῤῥωςέιαμ: tantum inter talia vicia, & eum morbum, ex quo quis minus aptus vſui ſit, differt. E

VI. VLPIANVS *lib.* I. *ad edictum ædilium curulium.*

POmponius rectè ait: non tantũ ad perpetuos morbos, verùm ad temporarios quoque edictum hoc pertinere. Trebatius ait, impetiginoſum morboſum non eſſe: ſi eo membro, vbi impetigo eſt, æquè rectè vtatur. & mihi videtur Trebatij ſententia vera. Spadonẽ† morboſum non eſſe, neq; vicioſum verius mihi videtur: ſed ſanũ eſſe, ſicuti illũ, qui vnũ teſticulũ habet, qui etiam generare poteſt.

† In hũc locũ vide Cæliũ Rhodigi. lib. 7. cap. 49.

VII. PAVLVS *lib.* XI. *ad Sabinum.*

SI autem quis ita ſpado eſt, vt tã neceſſaria pars corporis ei penitus abſit: morboſus eſt. F

VIII. VLPIANVS *lib.* I. *ad edictum ædilium curulium.*

SI cui lingua abſciſa ſit, an ſanus eſſe videatur, quæritur. & exſtat hæc quæſtio apud Ofiliũ relata in equo. ait enim hunc videri non eſſe ſanum.

IX. IDEM *lib.* II. *ad edictum ædilium curulium.*

MVtum morboſum eſſe, Sabinus ait. morboſum enim eſſe, qui ſine voce eſſe appareat. ſed qui grauiter loquitur, morboſus non eſt, vt neque qui ἀσαφῶς. planè qui ἀσήμως loquitur, hic vtique morboſus eſt.

X. IDEM *lib.* XL. *ad Sabinum.*

ITem Ofilius ait. ſi homini digitus abſciſus ſit, membríve quid laceratum: quamuis conſolidauerit: ſi tamẽ ob

eam

eam rem eo minus vti possit, nō videri sanum. Catonem
A quoq; scribere lego: cui digitus de manu aut de pede præcisus sit, cum morbosum esse. quod verum est secundum suprà scriptam distinctionem. Sed si quis plures digitos habeat, siue in manibus, siue in pedibus: si nihil impeditur numero eorum, non est in caussa redhibitionis. propter quod non illud spectandum est, quis numerus sit digitorum: sed an sine impedimento vel pluribus, vel paucioribus vti possit. Item de hydropico quæsitum est, an sanus esset? & puto redhiberi posse. sed quid de myope? morbosum esse constat. idem vbi homo neque matutino tempore videt, neque vespertino: quod genus Græci νυκτάλωπας vocant. Nuscitionem quidam putant, vbi homo lumine adhibito nihil videt. Quæsitum est, an balbus &
B blęsus, & atypus, isque qui tardius loquitur, & varus, & vatius sanus sit? & opinor eos sanos esse.

XI. PAVLVS *lib.* XI. *ad Sabinum.*

CVi dens abest, nō est morbosus. magna enim pars hominum aliquo dente caret: præsertim cùm sine dentibus nascimur, nec ideo minus sani sumus, donec dentes habeamus. alioquin nullus senex sanus esset.

Hūc locū bonāq; huius edicti partē explicat Gell. li. 4. nocti. attica. ca. 2.

XII. VLPIANVS *lib.* I. *ad edictum ædilium curulium.*

QVi clauum habet, morbosus est, vti polyposus. sed eum, qui alterum oculum, aut alteram maxillam maiorem habet: si rectè vtatur, sanum videri Pedius
C scribit. ait enim inæqualitatem maxillarum, oculorū, brachiorum (si nihil ex ministerio præstando subtrahat) extra redhibitionē esse. sed latus vel crus breuius potest adferre impedimentum. ergo hic erit redhibēdum. Si quis natura gutturosus sit, aut oculos præminentes habeat, sanus videtur. Item sciendum est, scæuam† non esse morbosum vel viciosum, prę̨ter quàm si imbecillitate dextræ validi' sinistra vtatur. sed hunc non scæuam, sed mancum esse dicimus. Is, cui os oleat, an sanus sit, quæsitum est. Trebatius ait nō esse morbosum os alicui olere, veluti hircosum, strabonem. hoc enim ex illuuie oris accidere solere. si tamē ex corporis vicio id accidit: veluti quod iecur, vel pulmo, aut aliud quid similiter dolet: morbosus est.

†In hūc locum Plato dialogo. 7. de legib. vbi vtrāque manū natura æquè validā esse ostēdit.

XIII. CAIVS *lib.* I. *ad edictum ædilium curulium.*

Item

ITem claudus morbosus est.

XIIII. VLPIANVS *lib. I. ad edictum ædiliū curuliū.* D

QVæritur de ea muliere, quę semper mortuos parit, an morbosa sit? & ait Sabinus, si vuluæ vicio hoc contingat, morbosam esse. Si mulier prægnans venierit: inter omnes conuenit, sanam esse eam. maximum enim ac pręcipuum munus fœminarū est, concipere ac tueri conceptum. Puerperam quoque sanam esse: si modò nihil extrinsecus accidisset, quod corpus eius in aliquam valetudinem immitteret. De sterili Cælius distinguere Trebatiū dixit: vt si natura sterilis sit, sana sit. si vicio corporis: contrà. Item de eo, qui vrinam facit, quæritur. & Pædius ait, non ob eam rem sanum non esse, quod in lecto, somno vinóque pressus, aut etiam pigritia surgēdi, vrinam faciat. sin autem vicio vesicæ collectū humorem continere non potest: non quia vrinam in lecto facit, sed quia viciosam vesicam habet, redhiberi posse, & verius est. Quod Pædius idem ait. si vua alicuius præcisa sit: tollere magis, quàm præstare redhibitioné: quòd morbus minuatur. ego puto. si morbus desinit: non esse redhibitioni locum. si autem vicium perseueret: redhibitionem locum habere. Si quis digitis cōiunctis nascatur, non videtur sanus esse: sed ita demum, si incommodatur ad vsum manus. Mulierem ita arctam, vt mulier fieri non possit, sanam non videri constat. Si quis ἀντιάδας habet, an redhiberi possit quasi viciosus, quęritur. & si ἀντιάδες sunt, quas existimo: id est inueteratos, & qui iam discuti non possunt, faucium tumores: qui ἀντιάδας habet, viciosus est. Si venditor nominatim exceperit de aliquo morbo, & de cætero sanum esse dixerit, aut promiserit: standum est eo, quod conuenit. remittētibus enim actiones suas non est regressus dandus: nisi sciens venditor morbum, consultò reticuit. tunc enim dandam esse de dolo malo replicationem. Si nominatim morbus exceptus non sit, talis tamen morbus sit, qui omnibus potuerit adparere (vtputa si cæcus homo veniebat, aut qui cicatricem euidētem & periculosam habebat, vel in capite, vel in alia parte corporis) perinde eius nomine nō teneri, Cælius ait, ac si nominatim morbus exceptus fuisset. ad eos enim morbos viciáque pertinere edictum

E

F

ædilium

ædilium probandum est, quæ quis ignorauit, vel ignorare potuit.

A XV. PAVLVS *lib.* XI. *ad Sabinum.*

QVæ bis in mése purgatur, sana non est. Item quæ non purgatur, nisi per ætatem accidit.

XVI. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

QVod ita sanatum est, vt in pristinum statum restitueretur: perinde habendum est, quasi nũquam morbosum fuisset.

XVII. VLPIANVS *lib.* I. *ad edictum ædilium curulium.*

QVis sit fugitiuus definit Ofilius. fugitiuus est, qui extra domini domum fugæ caussa, quò se a domino cælaret, mãsit. Cęlius autem fugitiuum esse ait eum, *Cap. 67. de fur.*

B qui ea mente discedat, ne ad dominum redeat, tametsi mutato consilio ad eum reuertatur. nemo enim tali peccato (inquit) pœnitentia sua nocens esse desinit. Cassius quoque scribit, fugitiuum esse, qui certo proposito dominum relinquat. Item apud Viuianum relatum est, fugitiuum ferè ab affectu animi intelligẽdum esse, non vtique à fuga. nam eum, qui hostem, aut latronem, incendium, ruinámve fugeret: quamuis fugisse verum est, non tamen fugitiuum esse. Item ne eum quidem, qui à præceptore, cui in disciplinam traditus erat, fugisset, fugitiuum esse: si fortè ideo fugit, quia immoderatè eo vtebatur. idémque probat, si ab eo fugerit, cui erat commodatus: si propter eam caussam fugerit. Idem probat Viuianus, & si sæuius cum eo agebatur.

C hoc ita, si eos fugisset, & ad dominum venisset. cæterùm si non ad dominum venisset: sine vlla dubitatione fugitiuum videri ait. Idem ait interrogatus Proculus de eo, qui domi latuisset in hoc scilicet, vt fugæ nactus occasionem, se subtraheret. ait enim, tametsi fugere non posset videri, qui domi mansisset: tamen eum fugitiuum fuisse. sin autem in hoc tantum latuisset, quoad iracundia domino efferuesceret: fugitiuum non esse. sicuti ne eum quidem, qui cùm dominum animaduerteret verberib⁹ se afficere velle, præripuit se ad amicum, quem ad precandum deduceret. sed ne eum quidem fugitiuum esse, qui in hoc progressus esset, vt se præcipitaret. cæterùm etiam eum quis fugitiuum diceret, qui domi in altum locum ad se præcipitandum ascendis-

set: magisque hunc mortẽ sibi cõscire voluisse. illud enim, quod plerũq; ab imprudentibus (inquit) dici solet: eum esse fugitiuum, qui nocte aliqua sine volũtate domini mansisset, non est verum: sed ab affectu animi cuiusque æstimandum. Idem Viuianus ait. si à magistro puer recessit, & rursus ad matrem peruenit: cùm quæreretur, num fugitiuus esset? si cælãdi caussa, ne ad dominum reuerteretur, fugisset: fugitiuum esse. sin verò sic, vt per matrem faciliorem deprecationem haberet delicti alicuius: non esse fugitiuum. D

Cælius quoque scribit. si seruum emeris, qui se in Tyberim deiecit: si moriendi dumtaxat consilio suscepto à domino discessisset, non esse fugitiuum: sed si fugæ prius consilium habuit, deinde mutata voluntate in Tyberim se deiecit, manere fugitiuum. eadem probat & de eo, qui de ponte se præcipitauit. hæc omnia vera sunt, quæ Cælius scribit. Idem ait. si seruus tuus fugiens vicarium suum secum abduxit: si vicarius inuitus aut imprudens secutus est, neque occasionem ad te redeundi nactus, prætermisit: nõ videri fugitiuum fuisse. sed si aut olim cùm fugeret, intellexit quid ageretur: aut postea cognouit, quid acti esset: & redire ad te, cùm posset, noluit: contrà esse. idem putat dicendum de eo, quem plagiarius abduxit. Item Cælius ait. si seruus, cùm in fundo esset, exisset de villa ea mente, vt profugeret: & quis eum prius, quàm ex fundo tuo exisset, comprehendisset: fugitiuum videri. animũ enim fugitiuum facere. Idem ait. nec eum, qui ad fugam gradum vnum alterúmve promouit, vel etiam currere cœpit: si dominum sequentem non potest euadere, non esse fugitiuum. Idem rectè ait. libertatis cuiusdam speciem esse fugisse: hoc est, à potestate dominica interim liberatũ esse. Pignori datus seruus debitorẽ quidem dominum habet: sed si postea, quàm ius suum exercuit creditor, ei se subtraxit: potest fugitiuus videri. Apud Labeonem & Cælium quæritur. si quis in asylũ confugerit, aut eò se conferat, quò solent venire, qui se se venales postulant: an fugitiuus sit? ego puto, non esse eum fugitiuum: quia id facit, quod publicè facere licere arbitratur. ne eum quidem, qui ad statuam Cæsaris confugit, fugitiuum arbitror. non enim fugiendi animo hoc facit. si tamẽ antè fugit, & pòst eò se contulit: non ideo magis E F

magis fugitiuus esse desiit. Itẽ Cælius scribit, placere quoque fugitiuum esse, qui eò se conferat, vnde eum dominus
A recuperare non possit. multóque magis illum fugitiuum esse, qui eò se conferat, vnde abduci non possit. Erronem definit Labeo, pusillum fugitiuũ: & ex diuerso, fugitiuum magnum erronem esse. sed propriè erronem sic definimus: qui nunquam fugit, sed frequenter sine caussa vagatur, & temporibus in res nugatorias consumptis, serius ad dominum redit. Apud Cælium scriptum est. liberti apud patronum habitantis sic, vt sub vna claue tota eius habitatio esset, seruus ea mente, ne rediret ad eũ, extra habitationem fugit, & intra ædes patroni tota nocte delituit. videri esse fugitiuum, Cælius ait. planè si talem custodiam ea habitatio non habuit, & in ea cella libertus habitauit, cui commune & promiscuum plurium cellarum iter esset: contrà
B placere debere, Cælius ait, & Labeo probat. Idem Cælius ait, seruum in prouincia missum à domino, cùm eum mortuum esse, & testamento se liberum relictum audisset, & in eodem officio mansisset, tantúmque pro libero se gerere cœpisset: hunc non esse fugitiuum. nec enim mentiendo se liberum (inquit) fugitiuus esse cœpit: quia sine fugæ consilio id fecit. Quod aiunt ædiles, NOXA'VE SOLVTVS NON SIT, sic intelligendum est: vt non hoc debeat pronunciari, nullam eum noxam commisisse, sed illud NOXA SOLVTVM ESSE, hoc est noxali iudicio
C subiectum non esse. ergo si noxam cõmisit, nec permanet: noxa solutus videtur. Noxas accipere debemus priuatas: hoc est ea, quæcunque committũtur ex delictis. non publicis criminib', ex quib' agitur iudiciis noxalibus. Denique specialiter cauetur infrà de capitalib' fraudibus. ex priuatis autem noxiis oritur damnum pecuniarium, si quis fortè noxæ dedere noluerit, sed litis æstimationem sufferre. Si quis talis sit seruus, qui omnino manumitti nõ possit ex constitutionibus: vel si sub pœna vinculorum distractus sit à domino, vel ab aliqua potestate damnatus, vel sit exportandus: æquissimum erit, etiam hoc prædici. Si quis adfirmauerit aliquid adesse seruo, nec adsit, vel abesse, & adsit: vt puta si dixerit furem non esse, & fur sit: aut si dixerit artificem esse, & non sit. hi enim, quia quod adseuerauerũt,

uerauerunt, non præſtant: aduerſus dictum promiſſúmve facere videntur.

D

XVIII. CAIVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.*

SI quid venditor de mancipio adfirmauerit, idque non ita eſſe emptor queratur: aut redhibitorio, aut æſtimatorio, id eſt, quãto minoris iudicio agere poteſt. verbi gratia, ſi conſtantem, aut laborioſum, aut curacem, aut vigilacem eſſe, aut ex frugalitate ſua peculium adquirentem adfirmauerit: & is ex diuerſo leuis, proteruus, deſidioſus, ſomniculoſus, piger, tardus, comeſſor inueniatur. hæc omnia vidétur eò pertinere: ne id, quod adfirmauit venditor, amarè ab eo exigatur, ſed cum quodam temperamento. vt ſi fortè conſtantem eſſe adfirmauerit: non exacta grauitas & conſtantia, quaſi à philoſopho, deſideretur. ſi laborioſum & vigilacem eſſe adfirmauit: non continuus labor per dies noctéſque ab eo exigatur: ſed hæc omnia ex bono & æquo modicè deſiderentur. idem & in cæteris, quæ véditor adfirmauit, intelligemus. Venditor, qui optimum cocum eſſe dixerit, optimum in eo artificio præſtare debet. qui verò ſimpliciter cocum eſſe dixerit: ſatisfacere videtur, etiam ſi mediocrem cocum præſtet. idem & in cæteris generibus artificiorum. Aequè ſiquis ſimpliciter dixerit, peculiatum eſſe ſeruum: ſufficit, ſi is vel minimum habeat peculium.

E

XIX. VLPIANVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.*

SCiendum tamen eſt, quædam & ſi dixit, præſtare eum non debere: ſcilicet ea, quæ ad nudã laudem ſerui pertinent: veluti ſi dixerit, frugi probum, dicto audientem. vt enim Pedius ſcribit: multum intereſt, commendandi ſerui cauſſa quid dixit: an verò præſtaturũ ſe promiſit, quod dixit. planè ſi dixerit aleatorem non eſſe, furem non eſſe, ad ſtatuam nunquam confugiſſe: oportet eum id præſtare.

F

Dictum à promiſſo ſic diſcernitur. dictum accipimus, quod verboténus pronunciatum eſt, nudóque ſermone finitur. promiſſum autem poteſt referri, & ad nudam promiſſionem, ſiue pollicitationem, vel ad ſponſionem. ſecundum quod incipiet is, qui de huiuſmodi cauſſa ſtipulanti ſpopondit: & ex ſtipulatu poſſe conueniri, & redhibitoriis actionibus. nec nouum. nam qui ex empto poteſt

conueniri,

conueniri, idem etiam redhibitoriis actionibus conueniri
A potest. ea autem sola dicta siue promissa admittenda sunt,
quæcunque sic dicuntur, vt præstentur, non vt iactentur.

Illud sciendum est, si quis artificem promiserit, vel dixerit: non vtique perfectum eum præstare debet, sed ad aliquem modum peritum: vt neq; eum summæ scientiæ accipias, neque rursus indoctum in artificio. sufficiet ergo talem esse, quales vulgo artifices dicuntur. Deinde aiunt ædiles, EMPTORI, OMNIBVSQVE, AD QVOS EA RES PERTINET, IVDICIVM DABIMVS. pollicentur emptori actionem & successoribus eius, qui in vniuersum ius succedūt. Emptorem eum accipere debemus, qui precio emit. sed si permutatum erit: dicēdum est,
B vtrūque emptoris & venditoris loco haberi: & vtrumque posse ex hoc edicto experiri. Tempus autē redhibitionis sex menses vtiles habet. si autem mancipium nō redhibeatur, sed quanto minoris agatur: annus vtilis est. sed tempus redhibitionis ex die venditionis currit, at si dictū promissúmve quid est: ex eo, ex quo dictum promissúmve est.

XX. CAIVS *lib. I. ad edictum. ædilium curulium.*

SI vero ante venditionis tempus dictū intercesserit, deinde post aliquot dies interposita fuerit stipulatio: Cælius Sabinus scribit, ex priore caussa, quę statim (inquit) vt venit id mancipium, cœpit: eo nomine posse agere.

XXI. VLPIANVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.*

C REdhibere est facere, vt rursus habeat venditor, quod habuerat: & quia id reddendo fiebat. idcirco redhibitio est appellata, quasi redditio. Cū redditur ab emptore mancipium venditori: de dolo malo promitti oportere ei, Pōponius ait, & ideo cautiones necessarias esse: ne fortè aut pignori datus sit seruus ab emptore, aut iussu eius dānum alicui datum, furtúmve factū sit. Idem Pomponius ait, interdū etiam dupliciter cautiones interponi debere: aliâs in præteritū, aliâs in futurū. vtputa si eius serui nomine, qui redhibetur, emptor, procuratórve eius accepit iudiciū: vel quod cū eo ageretur, vel quod ipse eius nomine ageret. cauendum autē esse ait, si quid sine dolo malo emptor cōdēnatus dederit, his reb⁹ rectè pręstari: vel si quid ex eo, quod egerit, ad eum peruenerit: dolóve eius malo,

vel culpa factũ sit, quò minus perueniret: iisdem de rebus reddi. Idem ait, futuri temporis nomine cautionem ei, qui sciens vendidit, fieri solere. Si in fuga homo est sine culpa emptoris, & nihilominus condemnatur venditor: tum eum cauere oportet, vt emptor persequatur, & in sua potestate redactum venditori reddat. D

XXII. CAIVS *lib. I. ad edictum ædiliũ curulium.*

ET neque per se, neq; per hæredem suum futurum, quò minus eum hominem venditor habeat.

XXIII. VLPIANVS *lib. I. ad edictum ædiliũ curulium.*

CVm auté redhibitio fit: si deterius mancipiũ (siue animo, siue corpore) ab emptore factum est: præstabit emptor vẽditori. vtpute si stupratũ sit, aut sęuitia emptoris fugitiuũ esse cœperit. & ideo (vt inquit Pópomius) ex quacumq; caussa deterius factũ sit, id arbitrio iudicis æstimetur, & vẽditori pręstetur. quod si sine iudice homo redhibitus sit: reliqua auté quæ diximus, nolit emptor reddere: sufficiat vẽditori ex vẽdito actio. Iubét ædiles restitui, & quod vẽditioni accessit, & si quid ipse pręstitit: vt vtrinque resoluta emptione, nihilo plus cósequatur, quàm si nó haberet, †si vẽditio facta non esset. Excipitur & ille, qui capitalé fraudem admisit. capitalem fraudé admittere, est tale aliquid delinquere, propter quod capite puniẽdus sit. veteres enim fraudé pro pœna ponere solebant. capitalem fraudé admisisse accipimus, dolo malo, & per nequitiam. cæterùm si quid errore, si quid casu fecerit: cessabit edictum. vnde Póponius ait: neque impuberem, neque furiosum, capitalem fraudé videri admisisse. Excipitur & ille, qui mortis consciendæ caussa quid fecerit. malus enim seruus creditus est, qui aliquid faciat, quò magis se reb⁹ humanis extrahat: vtpute si laqueũ torsit, si medicamẽtũ pro veneno bibit, præcipitémve se ex alto misit, aliúdve quid fecit, quo facto sperauit morté peruenturam: tanquã nihil non in alium ausurus, qui hæc aduersus se ausus esset. Si seruus sit, qui vẽdidit, vel filiusfamiliâs: in dominũ vel patré de peculio ędilicia actio cópetit. quãuis enim pœnales actiones videantur: tamen quoniam ex contractu veniunt, dicendum est eorum quoque nomine, qui in aliena potestate sunt, competere. proinde & si filiafamiliâs, vel ancilla distraxit: E F

†*quàm qđ haberet.*

distraxit: æquè dicendum est actiones ædilicias locum habere.
A Hæ actiones, quæ ex hoc edicto oriuntur, etiã aduersus hæredes omnes competunt. & si bona fide nobis seruient liberi fortè homines, vel serui alieni, qui vẽdiderũt: potest dici, etiam hos hoc edicto cõtineri. Iulianus ait, iudicium redhibitoriæ actionis vtrumque & emptorem & venditorem, quodammodo in integrum restituere debere. quarè siue emptori seruus furtum fecerit, siue alij cuilibet, ob quod furtum emptor aliquid præstiterit: non aliter cogetur hominem venditori restituere, quàm si eum indemnem præstiterit. Quid ergo (inquit Iulianus) si noluerit venditor hominem recipere? non esse cogendum ait quidquam præstare, nec amplius, q̃ in precio condemnan-
B dum: & hoc detrimentum sua culpa passurum emptorem, qui cũ posset hominem noxæ dedere, maluerit litis æstimationem sufferre. & videtur Iuliani sententia humanior esse. Cùm redhibetur mancipium: si quid ad emptorem peruenit, vel culpa eius non peruenit, restitui oportet. nec solùm si ipse fructus percepit, mercedesúe à seruo, vel à conductore serui: sed etiam si à venditore fuerit idcirco consecutus, quod tardius ei hominem præstitit. sed & si à quouis alio possessore fructus accepit emptor, restituere eos debebit. sed & si quid fructuum nomine cõsecutus est, id præstabit. Item si legatum vel hæreditas seruo obuenerit. neque refert, potuerit hæc consequi venditor, an non
C potuerit, si seruum non vendidisset. ponamus enim talem esse, qui capere aliquid ex testamento non potuerit. nihil nocebit hæc res. Pedius quidem etiam illud non putat esse spectandum, cuius contemplatione testator seruum hæredem scripserit, vel ei legauerit: quia & si venditio remansisset, nihil hæc res emptori proderat. & per contrarium (inquit) si contemplatione venditoris institutus proponeretur: tamen diceremus restituere emptorem non debere venditori, si nollet eum redhibere.

XXIIII. CAIVS *lib. 1. ad edictum ædilium curuliũ.*

ET generaliter dicendum est: quidquid extra rem emptoris per eum seruum adquisitum est, id iustum videri reddi oportere.

XXV. VLPIANVS *lib. 1. ad edictum ædiliũ curuliũ.*

AEdiles etiam hoc præstare emptorem volunt, si in aliquo deterior factus sit seruus: sed ita demum, si post D
venditionem traditionemque factus sit. ceterùm non pertinet ad hoc iudicium, quod antè factum est. Siue ergo ipse deteriorem eum fecit, siue familia eius, siue procurator: tenebit actio. Familiæ appellatione omnes, qui in seruitio sunt, continentur: etiam liberi homines, qui bona fide ei seruiunt, vel alieni serui. accipe eos quoque, qui in potestate eius sunt. Procuratoris quoque fit mentio in hac actione. sed Neratius procuratorem hîc accipiendum ait, non quélibet, sed cui vniuersa negocia, aut idipsum, propter quod deterius factum sit, mãdatum est. Pedius ait. æquum fuisse, id dumtaxat imputari emptori ex facto procuratoris & familiæ, quod non fuisset passurus seruus, nisi E
ei venisset. quod autem passurus erat, etiam si nõ venisset: in eo concedi emptori serui sui noxæ deditionem: & ex eo (inquit) quod procurator commisit, solum actionum præstandarum necessitatem ei iniungi. quid ergo, si culpa, non etiam dolo emptoris deterior factus sit? æquè condénabitur. hoc autem, quod deterior seruus factus sit: non solùm ad corpus, sed etiam ad animi vicia referendum est: vtputa si imitatione conseruorum apud emptorem talis factus est: aleator fortè, vel vinarius, vel erro euasit. Sed notandum est, quòd nõ permittitur emptori ex huiusmodi caussis noxæ dedere seruum suum. nec enim factum seruorum suorum, itemque procuratoris præstat. Item sciédum est: hæc omnia, quæ exprimuntur edicto ædilium, F
præstare eum debere, si ante iudicium acceptum facta sint. idcirco enim necesse fuisse ea enumerari, vt si quid eorum ante litem contestatam contigisset, præstaretur. cæterùm post iudicium acceptum, tota ea ad hominem restituendũ in iudicio versatur: & tam fructus, quàm id, quod deterior factus est, cæteraque veniunt. iudici enim statim, atque iudex factus est, omnium rerum officium incumbit, quæcũque in iudicio versantur. ea autem, quæ ante iudicium contingunt, non valde ad eum pertinent: nisi fuerint ei nominatim iniuncta. Præterea in edicto dicitur sic. ET QVANTA PECVNIA PRO EO HOMINE SOLVTA, ACCESSIONI'SVE NOMINE DATA ERIT,

TA ERIT, NON REDDETVR: CVIVSVE
A PECVNIAE QVIS EO NOMINE OBLIGATVS ERIT, NON LIBERABITVR. Ordine fecerunt ædiles, vt antè venditori emptor omnia, quæ supra scripta sunt, præstet. sic deinde precium consequatur.

XXVI. CAIVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.*

VIdeamus tamen, ne iniquum sit emptorem compelli dimittere corpus, & ad actionem iudicati mitti, si interdum nihil præstatur propter inopiam venditoris: potiusque res ita ordinanda sit, vt emptor caueat, si intra certum tempus pecunia sibi soluta sit, se mancipium restituturum.

XXVII. VLPIANVS *lib. I. ad edictũ ædiliũ curuliũ.*

B DEbet autem recipere pecuniam, quam dedit pro eo homine, vel si quid accessionis nomine. dari autem non id solum accipimus, quod numeratur venditori (vtputa precium, & vsuras eius) sed & si quid emptionis caussa erogatum est. hoc autem ita demum deducitur, si ex voluntate venditoris datur. cæterùm si quid sua sponte datum esse proponatur: non imputabitur. neque enim debet, quod quis suo arbitrio dedit, à venditore exigere. quid ergo, si fortè vectigalis nomine datum est, quod emptorem fortè sequeretur? dicemus hoc quoque restituendum. indemnis enim emptor discedere debet.

XXVIII. CAIVS *lib. I. ad edictum ædilium curuliũ.*

C SI venditor de his, quæ edicto ædilium continentur, nõ caueat: pollicentur aduersus eum iudicium redhibitorium intra duos menses, vel quanti emptoris intersit intra sex menses.

XXIX. VLPIANVS *lib. I. ad edictum ædiliũ curuliũ.*

ILlud sciendum est. si emptor venditori hæc non præstat, quæ desiderantur in hac actione: non posse ei venditorem condemnari. si autem emptori venditor ista non præstet: condemnatur ei. Item emptori præstandum est, vt cuius pecuniæ nomine obligatus erit, liberetur: siue ipsi venditori obligatus sit, siue etiam alij. Condemnatio autem fit, quanti ea res erit. ergo excedat precium, an nõ, videamus. & quidem continet condemnatio precium, accessionesque. an & vsuras precij consequatur, quasi quod sua interfit,

intersit, debeat accipere: maximè cùm fructus ipſe reſtituat? & placet couſecuturum. ſi quid tamen damni ſenſit, vel ſi quid pro ſeruo impendit: conſequetur arbitrio iudicis. ſic tamen, non vt ei horum nomine venditor condénetur: (vt ait Iulianus) ſed ne aliâs compellatur hominem venditori reſtituere, quàm ſi eum indemnem præſtet. D

XXX. PAVLVS *lib.I.ad edictum ædilium curulium.*

Item ſi ſerui redhibendi nomine emptor iudicium accepit, vel ipſe eius nomine dictauit: cauendum ex vtraque parte erit, vt ſi quid ſine dolo malo condemnatus ſit: vel ſi quid ex eo, quod agitur, ad eum peruenerit, doloue malo eius factum ſit, quò minus perueniret: id reddat.

Quas impenſas neceſſariò in curandum ſeruum poſt litem conteſtatam emptor fecerit, officio iudicis imputari: præcedentes autem impenſas nominatim comprehendédas, Pedius: ſed cibaria ſeruo data non eſſe imputanda, Ariſto ait. nam nec ab ipſo exigi, quod in miniſterio eius fuerit. E

XXXI. VLPIANVS *lib.I.ad edictum ædilium curulium.*

QVòd ſi nolit venditor hominem recipere: non in maiorem ſummam (inquit) quàm in precium ei condemnandum. ob hæc ergo, quæ propter ſeruum damna ſenſit, ſolam dabimus ei corporis retentionem. cæterùm poterit euitare præſtationem venditor, ſi nolit hominem recipere. quo facto precij præſtationem, eorumque, quæ precium ſequuntur, ſolam non euitabit. F

Si venditor pronunciauerit, vel promiſerit furem non eſſe: tenetur ex ſua promiſſione, ſi furtum ſeruus facit. eſſe enim hoc in caſu furem, non tantùm eum, qui extraneo, ſed & qui domino ſuo res ſubtraxit, intelligédum eſt. Si ancilla redhibeatur: & quod ex ea poſt venditionem natum erit, reddet: ſiue vnus partus ſit, ſiue plures. ſed & ſi fortè vſusfructus proprietati adcreuit, indubitatè hoc quoque reſtituetur ei. Si peculium quæſiit apud emptorem, quid de hoc dicemus? & ſiquidem ex re emptoris acceſſit: dicendum eſt, apud ipſum relinquendum. ſi aliunde creuit: venditori reſtituendum. Si plures hæredes ſint emptoris: an omnes ad redhibendum conſentire debeant, videamus.

deamus. & ait Pomponius, omnes consentire debere ad
A redhibendum, dareque vnum procuratorem: ne fortè venditor iniuriam patiatur, dum ab alio partem recipit hominis, alij in partem precij condemnatur, quanto minoris is homo sit. Idem ait. homine mortuo, vel etiam redhibito, singulos pro suis portionibus rectè agere: precium autem, & accessioneis pro parte recipient. sed & fructus, accessiones, & si quo deterior homo factus est, pro parte ab ipsis præstabitur: nisi fortè tale sit, quod diuisionem non recipiat: vtputa ancillæ partus. in hoc enim idem obseruandum est, quod in ipsa matre vendita, quam pro parte redhiberi posse negauimus. Marcellus quoque scribit. si seruus communis seruum emerit, & sit in caussa redhibi-
B tionis: vnum ex dominis pro parte sua redhibere seruum non posse: non magis (inquit) quàm cùm emptori plures hæredes exstiterunt, nec omnes ad redhibendum consentiunt. Idem Marcellus ait. non posse alterum ex dominis consequi actionem ex empto, vt sibi pro parte venditor tradat, & si pro portione precium dabit. & hoc in emptoribus seruari oportere ait. nam venditor pignoris loco, quod vendidit, retinet, quoad emptor satisfaciat.

Pomponius ait. si vnus ex hæredibus emptoris, vel familia eius, vel procurator, culpa vel dolo fecerit rem deteriorem: æquum esse, in solidum eum teneri arbitrio iudicis. hoc autem expeditius esse, si omnes hæredes vnum
C procuratorem ad agendum dederunt. tunc etenim, si quo deterior seruus culpa vnius hæredum factus est, & hoc solutum est: cæteri familiæ ercifcundæ iudicium aduersus eum habebunt: quia propter ipsum damnum sentiunt, impediunturque redhibere. Si vēditori plures exstiterint hæredes: singulis pro portione hæreditaria poterit seruus redhiberi. & si seruus plurium venierit: idem erit dicendum. nam si vnus à pluribus, vel plura mancipia ab vno emantur: verius est dicere, si quasi plures rei fuerint venditores, singulis in solidum redhibendum. si tamen partes emptæ sint à singulis: rectè dicetur, alteri quidē posse redhiberi, cum altero autem agi quanto minoris. Item si plures singuli partes ab vno emant: tūc pro parte quisq; eorū experietur. sed & si in solidum emant: quisque in solidum redhibe-

redhibebit. Si mancipiũ, quod redhiberi oporteret, mortuum erit: hoc quæretur, nunquid culpa emptoris, vel familiæ eius, vel procuratoris homo demortuus sit. nam si culpa ei9 decessit: pro viuo habẽdus est, & præstãtur omnia, quæ præstarentur, si viueret. Culpam autem omnẽ accipiemus, non vtique latam. propter quod dicẽdum est: quamcunque occasionem mortis emptor præstitit, debere eum teneri: etiam si non adhibuit medicum, vt sanari possit, vel malum adhibuit, sed culpa sua. sed hoc dicemus, si ante iudicium acceptum decessit. cęterùm si post iudicium acceptum decessisse proponatur: tunc in arbitrium iudicis veniet, qualiter mortuus sit. vt enim & Pedio videtur: quæcunque post litem contestatam contingunt, ea arbitrium iudicis desiderant. Quod in procuratore dicimus, idem in tutore & curatore dicendum erit, cæterisq́ue, qui ex officio pro aliis interueniũt. & ita Pedius ait. & adiicit. quibus administratio rerum permissa est, eos culpa abesse, præstare nõ iniquè dominum cogi. Idem Pedius ait, familiæ appellatione & filiosfamiliarum demonstrari. facta enim domesticorum redhibitoria agẽtem præstare voluit. Si quis egerit quanto minoris propter serui fugam, deinde agat propter morbum: quanti fieri condemnatio debeat? & quidem sæpius agi posse quanto minoris, dubiũ non est. sed ait Iulianus, id agendum esse, ne lucrum emptor faciat, & bis eiusdem rei æstimationem consequatur. D E

In factum actio competit ad precium recuperandum, si mancipium redhibitum fuerit. in qua non hoc quæritur, an mancipium in caussa redhibitionis fuerit: sed hoc tantum, an sit redhibitum. nec immeritò. iniquum est enim, postea, quàm venditor agnouit, recipiendo mancipium, esse id in caussa redhibitionis: quæri, vtrum debuerit redhiberi, an non debuerit. nec de tempore quæritur, an intra tempora redhibitus esse videatur. Illud planè hæc actio exigit, vt sit redhibitus. cæterùm nisi fuerit redhibitus, deficit ista actio, etiam si nudo consensu placuerit, vt redhibeatur. conuentio ergo de redhibendo non facit locum huic actioni, sed ipsa redhibitio. Restitui autem debet per hanc actionem etiam, quod ei seruo in venditione accessit. Quia assidua est duplæ stipulatio: idcirco placuit F

cuit etiam ex empto agi posse, si duplæ venditor mancipij non caueat. ea enim, quæ sunt moris & consuetudinis, in bonæ fidei iudiciis debent venire. Qui mancipia vendunt, nationem cuiusque in venditione pronunciare debent. plerumque enim natio serui aut prouocat, aut deterret emptorem: idcirco interest nostra scire nationem. præsumptũ etenim est, † quosdam seruos bonos esse, quia nationis sunt non infamatæ: quosdam malos videri, quia ea natione sunt, quæ magis infamis est. quod si de natione ita pronũciatum non erit: iudicium emptori, omnibusque, ad quos ea res pertinebit, dabitur, per quod emptor redhibet mancipium. Si quid ita venierit, vt nisi placuerit, intra præfinitum tempus redhibeatur: ea conuentio rata habetur. si autem de tempore nihil conuenerit: in factũ actio intra sexaginta dies vtiles accommodatur emptori ad redhibendum: vltra non. si verò conuenerit, vt in perpetuum redhibitio fiat: puto & hanc conuentionem valere. Item si tempus sexaginta dierum præfinitum redhibitioni præterierit: caussa cognita iudicium dabitur. In caussæ autem cognitione hoc versabitur: si aut mora fuit per venditorem, aut non fuit præsens, cui redderetur: aut alia iusta caussa intercessit, cur intra diem redhibitum mãcipium non sit, quod magis displicuerat. In his autem actionibus eadem erunt obseruanda, quæ de partu, fructibus, accessionibusque, & quæ de mortuo redhibendo dicta sunt. Quod emptioni accedit, partem esse venditionis, prudentibus visum est.

A ... B ... C (marginal letters)

† *Huc ptinet quod Arist. lib. 3 Poli. ca. 10 ait, nationes alias aliis seruituti aptiores esse. q̃d & in orat. de prouin. cõsula. Cicero probat.*

XXXII. CAIVS *lib. 1.* ad edictum adiliũ curuliũ.

Itaque sicut superius venditor de morbo vitióve, & cæteris, quæ ibi comprehensa sunt, prædicere iubetur: & præterea in his caussis non esse mancipium, vt promittat, præcipitur: ita & cùm accedat alij rei homo, eadem & prædicere & promittere compellitur. quod non solùm hoc casu intelligendum est, quo nominatim adiicitur, accessurũ fundo hominem Stichum: sed etiam si generaliter omnia mancipia, quæ in fundo sint, accedant vẽditioni.

XXXIII. VLPIANVS *lib. 1. ad edictum adilium curulium.*

Proinde Pomponius ait, iustam caussam esse, vt quod in ven-

in véditione accessurum esse dictum est: tam integrũ præstetur, quàm illud præstari debuit, quod principaliter venit. nam iure ciuili, vt integra sint, quæ accessura esse dicta fuerunt, ex empto actio est: veluti si dolia accessura fundo dictum fuerit. sed hoc ita, si certum corpus accessurum fuerit dictum. nam si seruus cum peculio venierit: ea mancipia, quæ in peculio fuerint, sana esse præstare venditor non debet: quia non dixit, certum corpus accessurum, sed peculium tale. & quemadmodum certam quantitatem peculij præstare non debet, ita nec hoc. Eadem ratione fieri Pomponius ait, vt etiam si hæreditas, aut peculium serui venierit: locus edicto ædilium non sit circa ea corpora, quæ sunt in hæreditate, aut in peculio. Idem probat, & si fundus cum instrumento venierit, & in instrumento mancipia sint. puto hanc sententiam veram: nisi si aliud specialiter actum esse proponatur. Si vendita res redhibeatur, seruus quoque, qui ei rei accessit, licet nullum in eo vicium sit, redhibetur.

D E

XXXIIII. AFRICANVS lib. III. *Quæstionum.*

CVm eiusdem generis plures res simul veneunt (veluti comœdi, vel chorus) referre ait in vniuersos, an in singulos precium constituatur: vt scilicet interdum (vna, interdum) plures venditiones contractæ intelligantur. quod quæri vel eò pertinere ait: vt si quis eorũ fortè morbosus, vel viciosus sit, omnes simul redhibeantur. interdũ & si in singula capita precium constitutum sit, tamen vna emptio est, vt propter vnius vicium omnes redhiberi debeant: scilicet cùm manifestum erit, non nisi omnes quem empturum, vel venditurum fuisse: vt plerumque circa comœdos, vel quadrigas, vel mulas pares accidere solet: vt neutri, nisi omnes, habere expediat. F

De connexis idem est iudicium: & quod in vno disponitur, & in alio. Bartolus.

XXXV. VLPIANVS lib. I. *ad edictum ædilium curulium.*

PLerumque propter morbosa mancipia etiam nõ morbosa redhibentur, si separari non possint sine magno incommodo, vel ob pietatis rationem offensa. quid enim si filio retento, parentes redhibere maluerit, vel cõtrà? quod

& in fratribus, & in personas contubernio sibi coniunctas obseruare oportet.

A XXXVI. POMPONIVS *lib.* XXIII. *ad Sabinum.*

SI plura mancipia vno precio venierint, & de vno eorum ædilicia actione vtamur: ita demum pro bonitate eius æstimatio fiet, si confusè vniuersis mancipiis constitutum precium fuerit: Quod si singulorum mancipiorum constituto precio, vniuersa tanti venierunt, quantū ex consummatione singulorum fiebat: tunc cuiuscunq; mancipij precium (seu pluris, seu minoris id est) consequi debebit.

XXXVII. VLPIANVS *lib.* I. *ad edictum ædilium curulium.*

B PRæcipiunt ædiles, NE VETERATOR PRO NOVICIO VENEAT. & hoc edictum fallaciis venditorum occurrit. vbique enim curant ædiles, ne emptores à venditoribus circumueniātur. vt ecce plerique solent mancipia, quæ nouicia non sunt, quasi nouicia distrahere: ad hoc scilicet, vt pluris vendant. præsumptum est enim ea mācipia, quæ rudia sunt, simpliciora esse, & ad ministeria aptiora, & dociliora. trita verò mancipia & veterana difficile esse reformare. quia igitur venaliciarij sciūt, facilè decurri ad nouiciorum emptioné: idcirco interpolant veteratores, & pro nouiciis vendunt. quod ne fiat, hoc edicto ædiles denunciant. & ideo si quid ignorante emptore ita venierit: redhibebitur.

C XXXVIII. IDEM *lib.* II. *ad edictum ædilium curulium.*

AEdiles †aiunt. QVI IVMENTA VENDVNT, PALAM RECTÈ DICVNTO, QVID IN VNOQVOQVE EORVM MORBI VICII'VE SIT: VTI'QVE OPTIME ORNATA VENDENDI CAVSSA FVERINT, ITA EMPTORIBVS TRADVNTOR. SI QVID ITA FACTVM NON ERIT: DE ORNAMENTIS RESTITVENDIS, IVMENTI'SVE ORNAMENTORVM NOMINE REDHIBENDIS, IN DIEBVS SEXAGINTA: MORBI AVTEM, VICII'VE CAVSSA INEMPTIS FACIENDIS, IN SEX MENSIBVS: VEL QVAN-

†Hanc & alias huius edicti partes explicat Alex. ab Alex. lib. 4. genialium dierū. c. 4.

QVANTO MINORIS, CVM VENIERINT, FVERINT, IN ANNO IVDICIVM DABIMVS. SI IVMENTA SIMVL PARIA VENIERINT, ET ALTERVM IN EA CAVSA FVERIT, VT REDHIBERI DEBEAT: IVDICIVM DABIMVS, QVO VTRVMQVE REDHIBEATVR. Loquútur ædiles in hoc edicto de iumentis redhibendis. caussa autem huius edicti eadem est, quæ & mancipiorum redhibendorum: & ferè eadem sunt in his, quæ in mãcipiis, quod ad morbum viciúmve attinet. quidquid igitur illic diximus, huc erit trãsferendum. & si mortuũ fuerit iumentum: pari modo redhiberi poterit, quemadmodum mancipium. Iumentorum autem appellatione an omne pecus contineatur, videamus. E & difficile est, vt contineatur. nam aliud significat iumentum, aliud significatur pecoris appellatione. idcirco elogium huic edicto subiectum est, cuius verba hæc sunt. QVAE DE IVMENTORVM SANITATE DIXIMVS, DE CAETERO QVOQVE PECORE OMNI VENDITORES FACIVNTO. vnde dubitari desiit, an hoc edicto boues quoque continerentur. etenim iumentorum appellatione non contineri eos, verius est. sed pecoris appellatione continebuntur.

D

Sedenim sunt quædam, quæ in hominibus quidem morbum faciunt, in iumentis non adeo. vtputa si mulus castratus est, neque morbi, neque vicij quid habere videtur: quia F neque de fortitudine quid eius detrahitur, neque de vtilitate, cùm ad generãdum nunquam sit habilis. Cælius quoque scribit, nõ omnia animalia castrata ob idipsum viciosa esse: nisi propter ipsam castrationem facta sint imbecilliora. & ideo mulum non esse viciosum. Idem refert Ofilium existimasse, equum castratum sanum esse, sicuti spado quoque sanus esset. sed si emptor ignorauit, venditor scit: ex empto esse actionem. & verum est quod Ofilius.

Quæsitum est. si mula talis sit, vt transiungi non possit: an sana sit? & ait Pomponius, sanã esse. plerasque denique carucharias taleis esse, vt non possint transiungi. Idem ait. si nata sit eo ingenio aut corpore, vt alterum iugum nõ patiatur: sanam non esse. Non tantum autem ob morbum

viciúmve

viciúmve redhibitio locum habebit in iumentis: verum etiam ſi contra dictum promiſſúmve ſit, erit locus redhi-
A bitioni, exemplo mancipiorum. Vendendi autem cauſſa ornatum iumentum videri, Cælius ait: non ſi ſub tempus venditionis, hoc eſt biduo ante venditionem: ſed ſi in ipſa venditione ornatum ſit, aut ideo (inquit) vt venale cũ eſſet, ſic ornatum inſpiceretur. ſemperque cùm de ornaméntis agitur in actione & in edicto, adiiciendũ eſt, VENDENDI CAVSSA ORNATA DVCTA ESSE. poterit enim ornatum iumentum itineris cauſſa duci, deinde venire. Si plura iumenta venierint; non omnia erunt redhibenda propter vnius ornamentum. nam ſi vicioſum ſit vnum iugum: non tamen propter hæc cætera iuga red-
B hibebuntur. Si forte iugum mularum ſit, quarum altera vicioſa ſit: non ex precio tantùm vicioſæ, ſed ex vtriuſque erit componendum, quanto minoris ſit. Cùm enim vno precio vtræque venierint, nõ eſt ſeparandum precium: ſed quanto minoris, cùm veniret, vtrumque fuit, non alterum, quod erat vicioſum. Cùm autem iumenta paria veneunt: edicto expreſſum eſt, vt cùm alterũ in ea cauſſa ſit, vt redhiberi debeat, vtrumque redhibeatur. in qua re tam emptori, quàm venditori conſulitur, dum iumenta non ſeparantur. ſimili modo & ſi triga venierit: redhibenda erit tota. ſed & ſi quadriga: redhibeatur. ſed ſi duo paria mularum ſint, & vna mula vicioſa ſit, vel par: ſolum par red-
C hibebitur, alterum non. ſi tamen nondum ſint paria conſtituta, ſed ſimpliciter quatuor mulæ vno precio venierint: vnius erit mulæ redhibitio, non omnium. nam & ſi polia venierit: dicemus vnum equum, qui vicioſus eſt, nõ omnem poliam redhiberi oportere. hoc & in hominibus dicemus, pluribus vno precio diſtractis: niſi ſi ſeparari nõ poſſint, vtputa vel tragœdi, vel mimi,

XXXIX. PAVLVS *lib.* I. *ad edictum ædiliũ curuliũ.*

VEl fratres.

XL. VLPIANVS *lib.* II. *ad edictũ ædiliũ curuliũ.*

HI enim non erunt ſeparandi. Deinde aiunt ædiles: NE QVIS CANEM, VERREM, VEL MINOREM APRVM, LVPVM, VRSVM, PANTHERAM, LEONEM,

XLI. PAVLVS *lib. II. ad edictum ædiliũ curulium.*

ET generaliter, aliúdve quod nocens animal (siue solu- D
ta sint, siue alligata: siue contineri vinculis, quò minus
damnum inferant, non possint)

XLII. VLPIANVS *lib. II. ad edictũ ædiliũ curuliũ.*

QVÁ VOLGO ITER FIET, ITA HABVISSE VELIT, VT CVIQVAM NOCERE, DAMNV'MVE DARE POSSIT. SI ADVERSVS EA FACTVM ERIT, ET HOMO LIBER EX EA RE PERIERIT: SOLIDIS DVCENTIS. SI NOCITVM HOMINI LIBERO ESSE DICETVR: QVANTI BONVM ET AEQVVM IVDICI VIDEBITVR, CONDEMNETVR. CAETERARVM RERVM, E QVANTVM DAMNVM DATVM FACTV'MVE SIT, DVPLI.

XLIII. PAVLVS *lib. II. ad edictũ ædiliũ curulium.*

BOuem, qui cornu petit, viciosum esse plerique dicũt. Item mulas, quæ cessim eunt: ea quoque iumenta, quę sine caussa turbantur, & semetipsa eripiunt, viciosa esse dicuntur. Qui ad amicum domini deprecaturus confugit, non est fugitiuus. imo etiam si ea mente sit, vt non impetrato auxilio, domum non reuertatur, nondum fugitiuus est: quia non solũ consilij, sed & facti fugæ nomẽ est. Qui persuasu alterius à domino recessit, fugitiuus est: licet id non fuerit facturus citra consilium eius, qui persuasit. Si F seruus meus bona fide tibi seruiens fugerit, vel sciens se meum esse, vel ignorans: fugitiuus est, nisi animo ad me reuertendi id fecit. Mortis consciendæ caussa quid facit, qui propter nequitiam, malosque mores, flagitiúmve aliquod admissum, mortem sibi cõscire voluit: nisi dolorem corporis non sustinẽdo id fecerit. Si quis seruum emerit, & rapto eo vi bonorum raptorum actione quadruplum consecutus sit, deinde seruum redhibeat: reddere debebit, quod accepit. sed si per eum seruum iniuriam passus, iniuriæ nomine egerit: nõ reddet venditori. aliter forsitan, atque si loris ab aliquo cæsus, aut quæstione de eo habita, emptor egerit. Aliquando redhiberi mancipium debebit, licet æstimatoria, id est quanto minoris, agamus. nam si

adeo

adeo nullius sit precij, vt ne expediat quidẽ tale mãcipiũ
A habere domino (veluti si furiosum, aut lunaticum sit) licet æstimatoria actum fuerit: officio tamen iudicis continebitur, vt reddito mancipio, precium recipiatur. Si quis, cùm consilium inisset fraudandorum creditorum, redhibuerit, non redhibiturus aliàs, nisi vellet eos fraudare: tenetur creditoribus propter mancipium venditor. Pignus certè manebit obligatũ, etiam si redhibitus fuerit seruus: quemadmodum & si eum alienasset, aut vsumfructum eius: nec rectè redhibebit, nisi redemptum, & pignore liberatũ redhibeat. Si sub conditione homo emptus sit, redhibitoria actione ante conditionem existentem inutiliter agitur: quia nondum perfecta emptio, arbitrio iudicis perfecta
B fieri non potest. & ideo & si ex empto, vel vendito, vel redhibitoria antè actum fuerit: expleta conditione iterum agi poterit. Interdum etiam si pura sit venditio, propter iuris conditionem in suspenso est: veluti si seruus, in quo alterius vsusfruct⁹, alterius proprietas est, aliquid emerit. nam dum incertum est, ex cuius re precium soluat: pendet, cui sit adquisitũ. & ideo neutri eorũ redhibitoria cõpetit.

XLIIII. IDEM *lib.* II. *ad edictum ædiliũ curulium.*

IVstissime ædiles noluerunt hominem ei rei, quæ minoris esset, accedere: ne qua fraus, aut edicto, aut iuri ciuili fieret (vt ait Pedius) propter dignitatem hominum. alioquin eandem rationem fuisse & in cæteris rebus. ridicu-
C lum nanque esset fundum tunicæ accedere. cæterùm hominis venditioni quiduis licet adiicere. nam & plerumque plus in peculio est, quàm in seruo: & nonnunquam vicarius, qui accedit, pluris est, quàm is seruus, qui venit.

Proponitur actio ex hoc edicto in eum, cuius maxima pars in venditione fuit: quia plerumque venaliciarij ita societatem coëunt, vt quidquid agunt, in cõmune videantur agere. æquum enim ædilibus visum est, vel in vnũ ex his, cuius maior pars, aut nulla parte minor esset, ædilitias actiones competere: ne cogeretur emptor cum multis litigare: quãuis actio ex empto cum singulis sit pro portione, qua socij fuerunt. nam id genus hominũ ad lucrum, vel potius turpiter faciendum pronius est. In redhibitoria (vel æstimatoria) potest dubitari, an quia alienum seruum

vendidit,& ob euictionem,& propter morbum fortè, vel fugã ſimul teneri poſſit.nã poteſt dici, nihil intereſſe emptoris,ſanum eſſe,fugitiuum non eſſe eum,qui euictus eſt. ſed interfuit emptoris, ſanum poſſediſſe propter operas. neq; ex poſt facto decreſcit obligatio.ſtatim enĩ, vt ſeru' traditus eſt,cõmittitur ſtipulatio,quãti intereſt emptoris. D

XLV. CAIVS *lib. II. ad edictum ædiliũ curulium.*

Redhibitoria actio duplicem habet cõdemnationem. modò enim in duplum, modò in ſimplum condemnatur venditor.nam ſi neque precium, neque acceſſionem ſoluat: neque eum, qui eo nomine obligatus erit, liberet: dupli precij & acceſſionis condemnari iubetur. ſi verò reddat preciũ & acceſſiones, vel eum, qui eo nomine obligatus eſt,liberet: ſimpli. E

XLVI. POMPONIVS *lib. XXIII. ad Sabinum.*

Cvm mihi redhibes: furtis noxiſque ſolutũ eſſe, promittere non debes:præter quàm quod iuſſu tuo fecerat, aut eius,cui tu eum alienaueras.

XLVII. PAVLVS *lib. XI. ad Sabinum.*

SI hominem emptum manumiſiſti: & redhibitoriam,& quanto minoris denegandam tibi, Labeo ait: ſicut & duplæ actio periret.ergo & quod aduerſus dictũ promiſſúmve ſit,actio peribit. poſt mortem autẽ hominis ædilitiæ actiones manent.

XLVIII. POMPONIVS *lib. XXIII. ad Sabinum.*

SI tamen ſine culpa actoris,familíæve eius, vel procuraroris mortuus ſit. Audiẽdus eſt is,qui de vicio vel morbo ſerui quærens, retinere eum velit. Non nocebit emptori,ſi ſex mẽſium exceptione redhibitoria excluſus, velit intra annum æſtimatoria agere. Ei,qui ſeruum vinctum vendidit,ædilium edictum remitti æquum eſt. multo enim amplius eſt id facere, quàm pronunciare in vinculis fuiſſe. In ædilitiis actionibus exceptionem opponi æquum eſt: ſi emptor ſcierit de fuga,aut vinculis,aut cęteris rebus ſimilibus, vt venditor abſoluatur. Aedilitiæ actiones & hæredi & in hæredem competunt: vt tantum facta hæredum,quæ poſtea acceſſerunt, & quod expedire potuerunt,quærantur. Non ſolùm de mancipiis, ſed de omni animali hæc competunt: ita vt etiam ſi vſumfructum in ho- F

in homine emerim, competere debeant. Cùm redhibitoria actione de sanitate agitur: permittendum est de vno vicio agere, & prædicere, vt si quid aliud postea apparuisset, de eo iterum ageretur. Simpulariųm venditionum caussa ne sit redhibitio, in vsu est.

A

XLIX. VLPIANVS *lib.* VIII. *Disputationum.*

ETiam in fundo vendito redhibitionem procedere, nequaquam incertum est: veluti si pestilens fundus distractus sit. nam redhibendus erit. & benignius est dicere, vectigalis exactionem futuri temporis post redhibitioné aduersus emptorem cessare.

L. IVLIANVS *lib.* III. *ex Minicio.*

VAricosus sanus non est.

LI. AFRICANVS *lib.* III. *Quæstionum.*

B

CVm mancipium morbosum vel viciosum seruus emerit, & redhibitoria, vel ex empto dominus experiatur: omnimodo scientiam serui, non domini spectandam esse ait. vt nihil intersit, peculiari, an domini nomine emerit: & certum incertúmve mandante eo emerit: quia & illud ex bona fide sit, seruum, cum quo negocium fuerat gestum, deceptum nō esse: & rursus delictum eiusdem, quod in contrahédo admiserit, domino nocere debeat. sed si seruus mandatu domini hominem emerit, quem dominus viciosum esse sciret: non tenetur venditor. Circa procuratoris personam, cùm quidem ipse scierit morbosum vel viciosum esse: non dubitandum, quin quamuis ipse domino mandati vel negociorum gestorum actione sit obstrictus, nihilomagis eo nomine agere possit. at cùm ipse ignorans esse viciosum, mandatu domini, qui id sciret, emerit, & redhibitoria agat: ex persona domini vtilem exceptionem ei non putat opponendam.

C

LII. MARTIANVS *lib.* IIII. *Regularum.*

SI furtum domino seruus fecerit: non est necesse hoc in venditione serui prædicere, nec ex hac caussa redhibitio est. sed si dixerit hunc furem non esse: ex illa parte tenebitur, quod dixit, promisitve.

LIII. IABOLENVS *lib.* II. ἐπιστολῶν.

QVi tertiana febre aut quartana, aut podagra vexantur, quíve comitialem morbum habent: ne iis quidé

 diebus,

diebus, quibus morbis vacant, rectè ſani dicentur.

LIIII. PAPINIANVS *lib.* IIII. *Reſponſorum.* D

Actioni redhibitoriæ non eſt locus, ſi mãcipiũ bonis cõditionibus emptũ fugerit, quod antè nõ fugerat.

LV. IDEM *lib.* XII. *Reſponſorum.*

Cum ſex menſes vtiles, quibus experiundi poteſtas fuit, redhibitoriæ actioni præſtantur: licet non videbitur poteſtatem experiundi habuiſſe, qui vicium fugitiui latens ignorauit: non tamen idcirco diſſolutam ignorationem emptoris excuſari oportebit.

LVI. PAVLVS *lib.* III. *Quæſtionum.*

Latinus Larg⁹. quæro, an fideiuſſori redhiberi mãcipiũ poſſit? Reſpondit. ſi in vniuerſam cauſſam fideiuſſor ſit accept⁹: putat Marcellus poſſe & fideiuſſori redhiberi. E

LVII. IDEM *lib.* V. *Quæſtionum.*

SI ſeruus mancipium emit, & dominus redhibitoria agat: non aliter ei venditor daturus eſt, quàm ſi omnia præſtiterit, quæ hac actione cõtinentur: & quidem ſolida, non peculio tenus. nam & ſi ex empto dominus agat: niſi precium totum ſoluerit, nihil conſequitur. quod ſi ſeruus vel filius vendiderit: redhibitoria in peculium competit. in peculio autem & cauſſa redhibitionis continebitur. nec nos moueat, quod antè, quàm reddatur ſeruus, nõ eſt in peculio. nõ enim poteſt eſſe in peculio ſeruus, qui adhuc emptoris eſt. ſed cauſſa ipſius redhibitionis in peculio cõputatur. igitur ſi ſeruus emptus, quinq; milibus ſit: hæc quidem in peculio eſſe dicemus: ſed ita, ſi nihil domino debeat, aut ademptũ peculiũ non ſit. quod ſi plus domino debeat: eueniet, vt hominem præſtet, & nihil cõſequatur. F

LVIII. IDEM *lib.* V. *Reſponſorum.*

QVæro, an ſi ſeruus apud emptorem fugit, & in cauſſa redhibitionis eſſe pronunciatus fuit: non prius venditori reſtitui* debeat, quàm rerũ ablatarũ à ſeruo æſtimationem præſtiterit? PAVLVS RESPONDIT. venditorẽ cogendũ non tantum preciũ ſerui reſtituere, ſed etiã rerũ ablatarũ æſtimationẽ: niſi ſi pro his paratus ſit ſeruũ noxæ nomine relinquere. Itẽ quæro. ſi nolit ęſtimationẽ & precia rerũ reſtituere: an ſeruus reſtituẽdus aut retinẽdus ſit, & dãda actio de peculio, vel de pcio redhibiti

*In pãd. Flo. (non) debeat.

redhibiti serui ex duplæ stipulatione? PAVLVS RE-
A SPONDIT. de precio serui repetendo competere actio-
nem etiam ex duplæ stipulatione: de rebus per furtum ab-
latis iam respõsum esse. Seruũ emi dupla, qui rebus ab-
latis fugit. mox inuétus præsentibus honestis viris interro
gatus, an & in domo venditoris fugisset: Respondit, fugis-
se. quæro, an standum sit responso serui? PAVLVS RE-
SPONDIT. si alia indicia prioris fugæ non deficiunt:
tunc etiam serui responso credendum est.

LIX. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

CVm in ea caussa est venditum mancipium, vt redhi-
beri debeat: iniquum est, venditorem precium redhi
bendæ rei cõsequi. Si quis duos homines vno precio eme-
B rit, & alter in ea caussa sit, vt redhibeatur: deinde petatur
precium totũ: exceptio erit obiicienda. si tamen pars pre-
cij petatur, magis dicetur, non nocere exceptioné: nisi for
tè ea sit caussa, in qua propter alterius vicium vtrũq; man-
cipium redhibendum sit.

LX. PAVLVS *lib.* XLVIII. *ad edictum.*

FActa redhibitione omnia in integrum restituũtur: per-
inde ac si neque emptio, neque venditio intercessisset.

LXI. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

QVoties de seruitute agitur: victus tãtum debet præ-
stare, quanto minoris emisset emptor, si scisset hanc
seruitutem impositam.

C LXII. MODESTINVS *lib.* VIII. *Differentiarum.*

AD res donatas edictum ædilium curulium non perti-
nere dicendum est. Quid enim se restituturum dona-
tor repromittat, quando nullum precium interuenit? quid
ergo, si res ab eo, cui donata est, melior facta sit? nunquid
quanti eius, qui meliorem fecit, interest, donator conue-
niatur? quod minimè dicendum est: ne eo casu liberalita-
tis suę donator pœnam patiatur. itaque si qua res donetur:
necesse non erit, in ea re promittere, quæ in rebus venali-
bus ædiles repromitti iubent. sanè de dolo donator obli-
gare se & debet & solet: ne quod benignè contulerit, frau
dis consilio reuocet.

LXIII. IDEM *lib.* II. *ad edictum ædilium curulium.*

SCiendum est, ad venditiones solas hoc edictum perti-

 nere:

nere: non tantum mancipiorum, verùm cæterarum quoque rerum. Cur autem de locationibus nil edicatur, mirum videbatur: hæc tamen ratio redditur: vel quia nunquam iſtorum de hac re fuerat iuriſdictio: vel quia non ſimiliter locationes, vt venditiones fiunt. D

LXIIII. POMPONIVS *lib.* VII. ἐπιςολῶν.

LAbeo ſcribit. ſi vno precio plures ſeruos emiſti, & de vno agere velis: æſtimationem ſeruorum perinde fieri debere, atque fieret in æſtimatione bonitatis agri, cùm ob euictam partem fundi ageretur. Idem ait. ſi vno precio plures ſeruos vendidiſti, ſanóſque eſſe promiſiſti, & pars dumtaxat eorum minus ſana ſit: de omnibus aduerſus dictum promiſſum rectè agi. Ibidem ait. errare & fugere iumentum poſſe: nec tamen erronem aut fugitiuum eſſe, agi poſſe. E

LXV. VENVLEIVS *lib.* V. *Actionum.*

ANimi potius, quàm corporis vicium eſt, ſi ludos aſſiduè ſpectare velit, aut tabulas pictas ſtudioſè intueatur, ſiue etiam mendax ſit, aut ſimilibus viciis teneatur. Quoties morbus † ſonticus nominatur, eum ſignificari Caſſius ait, qui noceat. nocere autem intelligi, qui perpetuus ſit, nõ qui tempore finiatur. ſed & morbum ſonticum eum videri, qui inciderit in hominem, poſtquam is natus ſit. ſontes etenim nocentes dicuntur. Seruus tam veterator, quàm nouicius dici poteſt. ſed veteratorem nõ ſpacio ſeruiendi, ſed genere & cauſſa æſtimãdum, Cælius ait. nam quicunque ex venalicio nouiciorum emptus, alicui miniſterio præpoſitus ſit: ſtatim eum veteratorum numero eſſe. nouicium autem non tyronicio animi, ſed cõditione ſeruitutis intelligi. nec ad rem pertinere, latinè ſciat, nécne, loqui. nec ob id veteratorem eum eſſe, ſi liberalibus ſtudiis eruditus ſit. F


† Eodẽ modo definit Gellius li. 20. cap. 1.

DE EVICTIONE, ET DVPLAE *ſtipulatione.* Tit. II.

Si res empta in totum vel in parte euincatur, debetur euictio. & ſi euincatur pars pro indiuiſo: fit æſtimatio loci. Bartolus.

VLPIANVS *lib.* XXIII. *ad Sabinum.*

Siue



A Iue tota res euincatur, siue pars: habet regressum emptor ad vẽditorem. sed cùm pars euincitur, siquidem pro indiuiso: regressum habet pro quãtitate euictæ partis. quòd si certus locus sit euictus, non pro indiuiso portio fundi: pro bonitate loci erit regressus. quid enim, si quod fuit in agro preciosissimum, hoc euictũ est, aut quod fuit in agro vilissimum? æstimabitur loci qualitas, & sic erit regressus.

Si cautio duplæ omittatur, potest peti vt caueatur: & si venditor fuit in mora, perinde agitur, ac si foret promissum.

II. PAVLVS *lib. V. ad Sabinum.*

SI dupla non repromittetur, & eo nomine agetur: dupli condemnandus erit reus.

B *Vitium rei venditæ post contractum superueniens, non parit caussam euictionis.*

III. IDEM *lib. XV. ad Sabinum.*

CVm in venditione serui peculium semper exceptum esse intelligitur: is homo ex peculio summam quandam secum abstulerat. si propter hanc caussam furti cum emptore actum sit: non reuertetur emptor ad venditorem ex stipulatione duplæ: quia furtis noxisque solutum esse, pręstari debet venditionis tempore: hic autem actio postea esse cœpit.

Qui tenetur ad cautionem duplæ, non tenetur cum fideiussore: & ex contractu tutoris potest conueniri pupillus ad ea etiam, quæ C *sunt de natura contractus.*

IIII. VLPIANVS *lib. XXXII. ad edictum.*

ILlud quæritur an is, qui mancipium vendidit, debeat fideiussorem ob euictionem dare, quem vulgo auctorem secundum vocant? & est relatum, non debere: nisi hoc nominatim est actum. Si impuberis nomine tutor vendiderit: euictione secuta, ait Papinianus lib. tertio Responsorum, dari in eum, cuius tutela gesta sit, vtilem actionẽ. Sed addit. in id demum, quod rationibus eius acceptò latũ sit. Sed an in totum, si tutor soluẽdo non sit, videamus. quod magis puto. Neque enim malè contrahitur cum tutoribus.

Cùm venditur vniuersitas, non venit euictio rei particularis.

V. PAVLVS *lib. XXXIII. ad edictum.*

SEruí vẽditor peculium accessurum dixit. si vicarius euictus

uictus sit, nihil venditorem præstaturum, Labeo ait: quia siue nō fuerat in peculio, non accessit: siue fuerat, iniuriam à iudice emptor passus est. aliter, atque si nominatim seruum accedere dixisset. tunc enim præstare debere in peculio eum esse. D

Consuetudo quæ est in loco contractus, inspicitur. Bartolus.

VI. CAIUS *lib. X. ad edictum prouinciale.*

SI fundus venierit, ex cōsuetudine eius regionis, in qua negocium gestum est, pro euictione caueri oportet.

Si seruus venditus seipsum euicit in libertatem, datur actio etiam in eum qui venditori successit.

VII. IULIANUS *lib. XIIII. Digestorum.*

QVi à pupillo substitutū ei seruum emerit: agere cum substituto ex empto, & ex stipulatu de euictione potest: cùm neutram earum actionum aduersus pupillum habere potuerit. E

In caussa euictionis venit omne lucrum, quod emptor sensisset, si res eius effecta fuisset.

VIII. IDEM *lib. XV. Digestorum.*

VEnditor hominis emptori præstare debet, quāti eius interest, hominem venditoris fuisse. quare siue partus ancillæ, siue hęreditas, quam seruus iussu emptoris adierat, euicta fuerit: agi ex empto potest. & sicut obligatus est venditor, vt præstet habere licere hominem, quem vendidit: ita ea quoque, quæ per eum adquiri potuerunt, præstare debet emptori, vt habeat. F

IX. PAULUS *lib. XXXIII. ad edictum.*

SI vendideris mihi seruū Titij, deinde Titius hæredem me reliquerit: Sabinus ait, amissam actionem pro euictione: quoniam seruus non potest euinci, sed ad ex empto actionem decurrendum est.

X. CELSUS *lib. XXVIII. Digestorum.*

SI quis per fundum, quem cum alio communem haberet, quasi solus eius dominus esset, ius eundi agendi mihi vendiderit, & cesserit: tenebitur mihi euictionis nomine, cæteris non cedentibus.

Euictio procedens de plenitudine potestatis imperatoris, non officit venditori.

XI. PAULUS *lib. VI. Responsorum.*

Lucius

A LVcius Titius in Germania trãs Rhenum prædia emit, & partem precij intulit. cùm in residuam quantitatem hæres emptoris conueniretur: quæstionem retulit dicens, has possessiones ex præcepto principali partim distractas, partim veteranis in præmia adsignatas. quæro, an huius rei periculum ad venditorem pertinere possit? Paulus respondit, futuros casus euictionis post contractam euictionem ad venditorem non pertinere, & ideo secundum ea, quæ proponerentur, precium prædiorum peti posse. Ex his verbis stipulationis duplæ vel simplæ, EVM HOMINEM, QVO DE AGITVR, NOXA ESSE SOLVTVM: venditorem conueniri non posse propter eas noxas, quæ publicè coerceri solent.

B XII. SCAEVOLA *lib.* II. *Responsorum.*

QVidam ex parte dimidia hæres institutus, vniuersa prędia vendidit, & cohæredes precium acceperunt. euictis his, quæro, an cohæredes ex empto actione teneantur? Respondit. si cohæredes præsentes adfuerunt, nec dissenserunt: videri vnumquenque partem suam vendidisse.

XIII. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

BOnitatis æstimationem faciẽdam, cùm pars euincitur, Proculus rectè putabat, quæ fuisset venditionis tempore, non cùm euinceretur res:

XIIII. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

C NOn in dimidiam quantitatem precij.

XV. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

SEd & si quid postea alluuione accesserit: tempus, quo accedit, inspiciendum. Si vsusfructus euincatur: pro bonitate fructuum æstimatio facienda est. sed & si seruus euincatur: quanto minoris ob id prædium est, lis æstimanda est.

Illa quæ accidunt rei venditæ, veniunt solùm in actione ex empto. Bartolus.

XVI. POMPONIVS *lib.* XIX. *ad Sabinum.*

EVicta re vendita, ex empto erit agendum de eo, quod accessit: quemadmodũ & quæ empto fundo nominatim accesserunt, si euicta sint, in simplum præstantur. Duplæ stipulatio committi dicitur tunc, cùm res restituta est pe-

est petitori, vel damnatus est in litis æstimationé, vel possessor ab emptore conuentus absolutus est. D

Si res sit euicta ratione dominii, non potest agi quanto minoris etiam propter vitium: secus si non ratione domini, sed ad damnũ occasione vitii receptum indistinctè potest agi. Bar.

Si seruus, cuius nomine duplam stipulati sumus, euictus fuerit à nobis: an ob id, quod fugitiuus, vel non sanus fuit, agere nihilominus possimus, quæritur. Proculus videndũ ait, ne hic quoque intersit, vtrum tunc euictus sit, cũ meus factus non esset: an tum cũ meus factus esset. in eo enim casu, quo meus factus esset, statim mea interesse, quãto ob id deterior sit: & quam actionem semel ex stipulatu habere cœperim, eam nec euictione, nec morte, nec manumissione, nec fuga serui, nec vlla simili caussa amitti. at si in bonis meis factus nõ sit: nihil ob hoc, quod fugitiuus sit, pauperiorem esse: vtputa cũ in bonis meis non sit. Quod si sanum esse, erronem non esse, stipulatus essem: tantum mea interesse, quantum ad præsentem vsum pertineret, tametsi id in obscuro esset: vtpote ignorantibus nobis, quãdiu eũ habiturus essem: & an futurum esset, vt eum quisquam aut à me, aut ab eo, cui vendidissem, cuiúe similiter promisissem, euinceret. summam autem opinionis suæ hanc esse, vt tantum ex ea stipulatione consequar, quanti mea intersit: aut post stipulationem interfuerit, eum seruum fugitiuum non esse. E

Quem de euictione tenet actio, eundem agẽtem repellit exceptio. Bartolus. F

XVII. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad Sabinum.*

VIndicantem venditorem, quod ipse vendidit: exceptione doli submoueri posse, nemini dubiũ est: quãuis alio iure dominium quæsierit. improbè enim rem à se distractam euincere conatur. eligere autem emptor potest, vtrum rem velit retinere, intentione per exceptionem elisa: an potius re ablata, ex caussa stipulationis duplum consequi.

XVIII. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

SEd & si exceptio omissa sit, aut opposita ea, nihilominus euictus sit: ex duplæ quoque stipulatione (vel ex empto) potest conueniri.

XIX.

XIX. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad Sabinum.*

A SEd & si nulla stipulatio fuit interposita, de ex empto actione idem dicemus. Si homo liber, qui bona fide seruierat, venierit mihi à Titio: Titiusque eum hæredem scripserit quasi liberum, & ipse mihi sui faciat controuersiam: ipsum de se obligatum habebo.

Nota quod quando res euincitur facto emptoris etiam antecedēte emptione, non tenetur venditor. Bar.

XX. POMPONIVS *lib.* XIX. *ad Sabinum.*

FVndum meum obligaui. deinde alienaui tibi, vt eo nomine non obligareris. si eum à te postea emam, & satis pro euictione mihi des: excipiendum est à cautione, quod pro me obligatus sit: quia etiam non excepto eo, agendo
B eo nomine contra te, doli mali exceptione possim submoueri.

XXI. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad Sabinum.*

SI seruus venditus decesserit, antequam euincatur: stipulatio non committitur: quia nemo eum euincit, sed fatum humanæ sortis. de dolo tamen poterit agi, si dolus intercesserit. Inde Iulianus libro quadragesimotertio eleganter definit: duplæ stipulationem tunc committi, quoties res ita amittitur, vt eā emptori habere non liceat propter ipsam euictionem. & ideo ait. si emptor hominis, mota sibi controuersia, venditorem dederit procuratorem, isque victus litis æstimationem sustulerit: stipulationem
C duplæ non committi: quia nec mandati actionem procurator hic idemque venditor habeat, vt ab emptore litis æstimationem consequatur. cū igitur neque corpus, neque pecunia emptori absit: non oportet committi stipulationem. quamuis si ipse accepto iudicio victus esset, & litis æstimationem sustulisset: placeat committi stipulationem, vt ipse Iulianus eodem libro scripsit. neque enim habere licet eum, cuius precium (si quis non dedisset) ab aduersario auferretur. propriè enim hunc ex secunda emptione, id est ex litis æstimatione habere licet, non ex pristina. Idē Iulianus eodem libro scribit. si lite contestata fugerit homo culpa possessoris: damnandum quidem possessorē, sed non statim ad venditorem eum regressurum, & ex duplæ stipulatione acturum: quia interim non propter euictionē, sed pro-

ſed propter fugam ei hominem habere nō licet. Planè (inquit) cū adprehenderit poſſeſſionem fugitiui: tunc committi ſtipulationem. nam & ſi ſine culpa poſſeſſoris fugiſſet, deinde cautionibus interpoſitis abſolutus eſſet: non aliàs committetur ſtipulatio, quàm ſi adprehenſum hominem reſtituiſſet. vbi igitur litis æſtimationem obtulit: ſufficit adprehendere. vbi cauit: non prius, niſi reſtituerit. D

XXII. POMPONIVS *lib.I.ἐπιστολῶν.*

SI pro re pupilli, quam emit, litis æſtimationem tutor non ex pecunia pupilli, ſed ex ſuo præſtiterit: ſtipulatio de euictione pupillo aduerſus venditorem committitur. Si pro euictione fundi, quem emit mulier, ſatis accepiſſet, & eundem fundum in dotem dediſſet: deinde aliquis eum à marito per iudicium abſtuliſſet: poteſt mulier ſtatim agere aduerſus fideiuſſorē euictionis nomine, quaſi minorem dotem habere cœpiſſet, vel nullam: ſi tantum maritus obtuliſſet, quanti fundus eſſet. E

XXIII. VLPIANVS *lib.XXIX.ad Sabinum.*

SEd & ſi poſt mortem mulieris euincatur, regreſſus erit ad duplæ ſtipulationem: quia ex promiſſione maritus aduerſus hæredes mulieris agere poteſt, & ipſi ex ſtipulatu agere poſſunt.

XXIIII. AFRICANVS *lib.VI.Quæſtionum.*

NOn tamen ei cōſequens eſſe, vt ſi ipſi domino nuptura in dotem eum dederit, committi ſtipulationem dicamus: quamuis æquè indotata futura ſit mulier. quandoquidem & ſi verum ſit, habere ei non licere ſeruum: illud tamen verum non ſit, iudicio eum euictum eſſe. ex empto tamen contra venditorem mulier habet actionem. F

XXV. VLPIANVS *lib.X.ad Sabinum.*

SI ſeruum, cuius nomine duplam ſtipulatus ſis, manumiſeris: nihil ex ſtipulatione conſequi poteris: quia non euincitur, quò minus habere tibi liceat, quem ipſe antè voluntate tua perdideris.

XXVI. PAVLVS *lib.X.ad Sabinum.*

SEd hoc nomine, quod libertum quis non habeat: ex vēdito actionem habet, ſi ſcierit venditor alienum ſe vēdere. Sed & ſi ex cauſa fideicommiſſi emptor coactus fuerit eum manumittere, ex empto actionem habebit.

Si emptor

Si emptor fuit repulsus à vendicando propter exceptionem procedentem ex sua persona, non agit de euictione: secus si ex persona vẽditoris.

A

XXVII. POMPONIVS *lib.* XI. *ad Sabinum.*

HOc iure vtimur, vt si exceptiones ex persona emptoris obiectæ, obstant: venditor ei non teneatur. Si verò ad personam venditoris respiciant: contrà. certè nec ex empto, nec ex stipulatione duplæ, nec simplæ actio competit emptori: si exceptio ex facto ipsius opposita obstiterit.

XXVIII. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

SEd si ex vtriusque persona, & auctoris, & emptoris exceptiones obiiciantur: intererit, propter quam exceptionem iudex contrà iudicauerit: & sic aut committetur, aut non committetur stipulatio.

B

XXIX. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

SI rem, quam mihi alienam vendideras, à domino redemerim: falsum esse, quod Nerua respondisset, posse te à me precium consequi ex vendito egentem, quasi habere mihi rem liceret, Celsus filius aiebat: quia nec bonæ fideĩ conueniret, & ego ex alia caussa rem haberem. Si duplę stipulator ex possessore petitor factus & victus sit: quam rem, si possideret, retinere potuerit, petere autem vtiliter non potuerit: vel ipso iure promissor duplæ tutus erit, vel certè doli mali exceptione se tueri poterit. sed ita, si culpa, vel sponte duplæ stipulatoris possessio amissa fuerit.

C

Quolibet tempore venditori denunciari potest, vt de ea re agenda adsit: quia non præfinitur certum tempus in ea stipulatione: dum tamen ne prope ipsam condemnationem id fiat.

XXX. IDEM *lib.* X. *ad Sabinum.*

SI emptori, qui stipulatus sit FVRTIS NOXISQVE SOLVTVM ESSE, hæres exstiterit is, cuĩ seruus furtum fecerat: incipit ex stipulatu is actionem habere, quemadmodum si ipse alij præstitisset.

Stipulatus sanum esse, vel furem non esse, non continet quod verbum sonat, sed interesse. & tot sunt stipulationes, quot sunt illa quæ continet, & ex illa agi potest: quia continet interesse diuerse. Bar.

XXXI. VLPIANVS *lib.* XLII. *ad Sabinum.*

Si ita

SI ita quis stipulanti spondeat, sanum esse, furem non esse, vespillonem non esse, & cætera: inutilis stipulatio quibusdam videtur: quia si quid est in hac caussa, impossibile est, quod promittitur: si non est, frustra est. sed ego puto verius hanc stipulationem, SANVM ESSE, FVREM NON ESSE, VESPILLONEM NON ESSE? vtilem esse. hoc enim continet, quod interest horum quid esse, vel horum quid non esse. sed si cui horum fuerit adiectum, PRAESTARI: multò magis valere stipulationem. alioquin stipulatio, quę ab ædilibus proponitur, inutilis erit. quod vtique nemo sanus probabit. D

XXXII. IDEM *lib.* XLVI. *ad Sabinum.*

QVia dicitur, quoties plures res in stipulationem deducuntur, plures esse stipulationes: an & in duplæ stipulatione hoc idem sit, videamus. puta cũ quis stipulatur, FVGITIVVM NON ESSE, FVREM NON ESSE, ERRONEM NON ESSE, & cætera quoque, quæ ex edicto ædiliũ curuliũ promittuntur: vtrũ vna stipulatio sit, an plures. & ratio facit, vt plures sint. ergo & illud procedit, quod Iulianus libro vicesimo Digestorum scribit. egit (inquit) quãto minoris propter fugam serui. deinde agit propter morbum. id agẽdum est (inquit) ne lucrum faciat emptor, & bis eiusdem vicij æstimationẽ cõsequatur. fingamus emptum decem: minoris autem empturum fuisse duobus, si tantũ fugitiuum esse scisset emptor. hæc consecutum propter fugam, mox comperisse, quòd non esset sanus. similiter duobus minoris empturum fuisse, si de morbo non ignorasset. rursus consequi debebit duo. nam & si de vtroque simul egisset, quatuor esset consecuturus: quia eum fortè, qui neque sanus, & fugitiu' esset, sex tantũ esset empturus. secundum hoc sæpius ex stipulatu agi poterit. neque enim ex vna stipulatione, sed ex pluribus agitur. E F

XXXIII. IDEM *lib.* L. *ad Sabinum.*

SI seruum emero, & eundem vendidero, deinde emptori ob hoc fuero condemnatus: quia tradere non potui euictum, committitur duplæ stipulatio.

Si emptor desinat rem habere propter factum suum, non agit de euictione.

XXXIIII.

XXXIIII. POMPONIVS *lib.* XIX. *ad Sabinum.*

A SI mancipium ita emeris,ne prostituatur, & cũ prostitutum fuisset, vt liberum esset: si contra legem venditionis faciente te ad libertatem peruenerit: tu videris quasi manumisisse. & ideo nullum aduersus venditorem habebis regressum. Si communi diuidundo mecum actum, & aduersario seruus adiudicatus sit, quia probauit eũ cõmunem esse: habebo ex duplæ stipulatione actionem: quia non interest, quo genere iudicij euincatur, vt mihi habere non liceat. Duplæ stipulatio euictionem non vnam cõtinet, si quis dominiũ rei petierit, & euicerit. sed & si Seruiana actione experiatur.

XXXV. PAVLVS *lib.* II. *ad edictum ædiliũ curuliũ.*

B EVictus autem à creditore tũc videtur, cũ fere spes habendi abscissa est. itaque si Seruiana actione euictus sit, committitur quidem stipulatio: sed quoniam soluta à debitore pecunia, potest seruum habere: si soluto pignore venditor conueniatur, poterit vti doli exceptione.

XXXVI. IDEM *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

NAue aut domo empta, singula cæméta vel tabulæ emptæ non intelliguntur: ideoque nec euictionis nomine obligatur venditor, quasi euicta parte.

XXXVII. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictũ.*

EMptori duplam promitti à venditore oportet, nisi aliud conuenit: non tamen vt satisdetur (nisi si specialiter id actum proponatur) sed vt repromittatur. Quod C autem diximus, duplã promitti oportere, sic erit accipiédum: vt non ex omni re id accipiamus, sed de his rebus, quæ preciosiores sunt: si fortè margarita, aut ornamenta preciosa, vel vestis serica, vel quid aliud non contemptibile venierit. Per edictum autem curulium etiam de seruo cauere venditor iubetur. Si simplam pro dupla per errorem emptor stipulatus sit: re euicta, consecuturum eum ex empto, Neratius ait, quanto minus stipulatus sit: si modò omnia fecit emptor, quæ in stipulatione continentur. quod si non fecerit: ex empto id tamen consecuturum, vt ei promittatur, quod minus in superiorem stipulationem deductum est.

Venditor cogitur cedere actiones, quas habet pro re vendita con-

tra auctorem suum. Bar.

XXXVIII. IDEM *lib.* II. *Disputationum.* D

IN creditore, qui pignus vendidit, tractari potest, an re euicta vel ad hoc teneatur ex empto, vt quā habet aduersus debitorem actionem, eam prętet. (habet autem cōtrariam pignoraticiam actionē) & magis est, vt præstet. cui enim non æquum videbitur, vel hoc saltem consequi emptorem, quod sine dispendio creditoris futurum est.

Re euicta per restitutionem in integrum, agitur ex empto pro euictione. Bar.

XXXIX. IVLIANVS *lib.* XIIII. *Digestorum.*

MInor viginti quinque annis fundum vendidit Titio, & eum Titius Seio. minor se in ea venditione circūscriptum dicit: & impetrat cognitionem, non tantùm aduersus Titium, sed etiam aduersus Seium. Seius postulabat apud prætorem, vtilem sibi de euictione stipulationem in Titium dari. ego cū dandam putarem, respondi, iustam rē Seius postulat. nam si ei fundus prætoria cognitione ablatus fuerit: æquum erit, per eundem prætorem & euictionē restitui. E

Qui succumbit in rei vindicatione, non prohibetur Publicianam *intentare: & donec actio ad vindicandum superest, res euicta non dicitur.* Bar.

Si seruus tuus emerit hominem, & eundem vendiderit Titio, eiusque nomine duplam promiserit, & tu à venditore serui stipulatus fueris: si Titius seruū petierit, & ideo victus sit, quod seruus tuus in tradendo sine voluntate tua proprietatem hominis transferre non potuit: supererit Publiciana actio, & propter hoc duplæ stipulatio ei nō committetur. quarè venditor quoque tuus, agentem te ex stipulatu, poterit doli mali exceptione submouere. Sed si seru⁹ hominem emerit, & duplam stipuletur: deinde eum vendiderit, & ab emptore euictus fuerit: domino quidem aduersus vēditorem in solidum competit actio, emptori verò aduersus dominum dumtaxat de peculio. Denunciare verò de euictione emptor seruo, non domino debet. ita enim de euicto homine vtiliter de peculio agere poterit, sin autem seruus decesserit: tūc domino denunciandū est. F

Quilibet ex pluribus vēditoribus tenetur de euictione illius portionis

tionis quam ipse vendidit, de qua vendidit alter.

A Si à me bessem fundi emeris, à Titio trientem, deinde partem dimidiam fundi à te quis petierit: siquidem ex besse, quem à me acceperas, semis petitus fuerit: Titius non tenebitur. si verò triẽs, quem Titius tibi tradiderat, & sextans ex besse, quem à me acceperas, petitus fuerit: Titius quidem pro triente, ego pro sextante euictionem tibi præstabimus.

Ex venditione liberi hominis facta ignoranti agitur de euictione. Bal.

Pater sciens filium suum, quem in potestate habebat, ignoranti emptori vendidit. quæsitum est, an euictionis nomine teneatur? Respondi, qui liberum hominem sciens vel B ignorans tanquam seruum vendit: euictionis nomine tenetur. quarè etiam pater, si filium suum tanquam seruum vendiderit, euictionis nomine obligatur. Qui statuliberum tradit: nisi dixerit eum statuliberum esse, euictionis nomine perpetuò obligatur.

Qui dixit vsumfructum esse vnius cũ sit alterius: ex tali prædictione non releuatur. h. d. secus si exciperet, vt in glo.

Qui seruum vẽditum tradit, & dicit vsumfructum Seij in eo esse, cũ ad Sempronium pertineat: Sẽpronio vsumfructũm petente, perinde tenetur, ac si in tradẽdo dixisset, vsusfructus nomine aduersus Seium non teneri. At si re vera Seij vsusfructus fuit, legatus autem ita, vt cũ ad Seiũ C pertinere desisset, Sempronij esset: Sempronio vsumfructum petente, tenebitur: Seio agente, rectè defugiet.

Si venditor succedit emptori, liberantur fideiussores euictionis: & re ablata ei cui emptor legauit, de euictione non agitur.

XL. IDEM *lib.* XV. *Digestorum.*

SI is, qui satis à me de euictione accepit, fundum à me hærede legauerit: confestim fideiussores liberabuntur: quia etiam si euictus fuerit ab eo, cui legatus fuerat, nulla aduersus fideiussores actio est.

XLI. PAVLVS *lib.* II. *ad edictum ædilium curulium.*

SI ei, cui vendidi, & duplam promisi (cũ ipse eadem stipulatione mihi cauisset) hæres exstiterim: euicto homine, nulla ex parte stipulatio committitur. neque enim

mihi euinci videtur, cũ vendiderim eum: neque ei, cui me promissorem præstiti, quoniam parum commodè dicar ip- D
se mihi duplam pręstare debere. Item si domino serui hęres exstiterit emptor: quoniam euinci ei non potest, nec ipse sibi videtur euincere: non committitur duplæ stipulatio. his igitur casibus ex empto agendum erit.

Cũ emptor venditori, vel venditor emptori succedit: re euicta, contra auctorem venditoris potest haberi regressus: & successio loco solutionis habetur. Bar.

Si is, qui fundum emerit, & satis de euictione acceperit, eundem fundum vendiderit, & emptori suo hæres exstiterit: vel ex contrario, emptor venditori hæres exstiterit: an euicto fundo, cũ fideiussoribus agere possit, quæritur? existimo autem vtroque casu fideiussores teneri: quo- E
niam & cũ debitor creditori suo hæres exstitit, actio quędam inter hæredem & hæreditatem proponitur: & intelligitur maior hæreditas ad debitorem peruenire, quasi soluta pecunia, quam debebat hæreditati: & per hoc minus in bonis hæredis esse. & ex contrario, cũ creditor debitori suo hæres exstitit: minus in hæreditate habere videtur, tanquam ipsa hæreditas hæredi soluerit. Siue ergo is, qui de euictione satis acceperat, emptori, cui ipse vendiderat: siue emptor venditori suo hæres exstiterit: fideiũssores tenebuntur. & si ad eundem venditoris & emptoris hæreditas reciderit: agi cũ fideiussoribus poterit.

XLII. IDEM *lib.* XXXIII. *ad edictum.* F

SI prægnans ancilla tradita & vendita sit: euicto partu, venditor de euictione conueniri non potest: quia partus non est venditus.

XLIII. IVLIANVS *lib.* II. *Digestorum.*

VAccæ emptor, si vitulus, qui post emptionem natus est, euincatur: agere ex duplæ stipulatione non potest: quia nec ipsa, nec vsusfructus euincitur. nam quod dicimus, vitulum fructum esse vaccæ: nõ ius, sed corpus demonstramus. sic & prædiorum frumenta & vinum fructũ rectè dicimus: cũ constet, eadem hæc non rectè vsumfructum appellari.

XLIIII. ALFENVS *lib.* II. *Digestorum.*

SCapham non videri nauis esse respondit, nec quidquã coniun-

coniunctum habere. nam scapham ipsam per se paruam na-
A uiculam esse: omnia autem, quæ coniuncta naui essent, (veluti gubernacula, malus, antennæ, velum) quasi membra nauis esse.

Si euincatur pars fundi, licet in residuo remaneat integra mensura: de euictione agitur.

XLV. IDEM *lib.* III. *Digestorum.*

QVi fundum tradiderat iugerum centum, fines multo ampliores emptori demonstrauerat. si quid ex iis finibus euinceretur, pro bonitate eius emptori præstandum ait: quamuis id, quod relinqueretur, centum iugera haberet.

Si vsusfructus rei venditæ pertinet ad alium, tenetur venditor
B *emptori quatenus interest eius tempore quo agit vsumfructum non fuisse alterius venditionis tempore.*

XLVI. AFRICANVS *lib.* VII. *Quæstionum.*

FVndum cuius vsusfructus Attij erat, mihi vendidisti, nec dixisti vsumfructum Attij esse. hunc ego Mæuio, detracto vsufructu, tradidi. Attio capite minuto, non ad me, sed ad proprietatem vsumfructũ redire ait. neque enim potuisse constitui vsumfructum eo tempore, quo alienus esset. sed me posse te venditorem de euictione conuenire: quia æquum sit, eandem caussam meam esse, quæ futura esset, si tunc vsusfructus alienus non fuisset.

Qui cõstituit seruitutem in re aliena, personaliter obligatur euictionis nomine.

C Si per alienum fundum mihi viam cõstitueris: euictionis nomine te obligari ait. etenim quo casu si per propriũ constituentis fundum concessa esset via, rectè constitueretur: eo casu si per alienum concederetur, euictionis obligationem contrahi. Cũ tibi Stichum venderem, dixi eũ statuliberum esse, sub hac cõditione manumissum, SI NAVIS EX ASIA VENERIT: is autem, SI TITIVS CONSVL FACTVS FVERIT, manumissus erat. quærebatur, si prius nauis ex Asia venerit, ac pòst Titius consul fiat, atque ita in libertatem euictus sit: an euictionis nomine teneatur? Respondit, non teneri eum. etenim dolo malo emptorem facere: cùm prius exstiterit ea conditio, quam euictionis nomine exsoluerit. Item si

 post

post annum liberum fore dixi, qui post biennium libertatem acceperat, & post biennium in libertatem euincatur: vel decem dare iussum, dixerim quinque, & is decem datis ad libertatem peruenerit: magis esse, vt his quoque casibus non teneatur. D

XLVII. IDEM *lib. VI. Quæstionum.*

SI duos seruos quinis à te emam, & eorum alter euincatur: nihil dubij fore, quin rectè eo nomine ex empto acturus sim: quamuis alter decem dignus sit. nec referre, separatim singulos, an simul vtrumque emerim.

De dupla deducitur id, quod emptor consecutus est ratione particularis interesse. h. d. siue à vẽditore: vt hic: siue ab alio: vt. l. 11. §. fi. de doli excep.

XLVIII. NERATIVS *lib. II. Membranarum.* E

CVm fundus VTI OPTIMVS MAXIMVSQVE emptus est, & alicui seruitutis euictæ nomine aliquid emptor à venditore consecutus est, deinde totus fundus euincitur: ob eam euictionem id præstare debet, quod ex duplo reliquum est. Nã si aliud obseruauerimus: seruitutibus aliquibus, mox & proprietate euicta, duplo amplius emptor, quàm emit, consequetur.

XLIX. CAIVS *lib. VII. ad edictum prouinciale.*

SI ab emptore vsusfructus petatur: perinde is venditori denunciare debet, atque is, à quo pars petitur.

L. VLPIANVS *lib. XXV. ad edictum.*

SI pignora veneant per apparitores prætoris extra ordinem sententiam exsequentes: nemo vnquam dixit dandam in eos actionem re euicta. sed si dolo rem viliore precio proiecerint: tunc de dolo actio datur aduersus eos domino rei. F

LI. IDEM *lib. LXXX. ad edictum.*

SI per imprudẽtiam iudicis aut errorem emptor rei victus est: negamus auctoris damnum esse debere. aut quid refert, sordibus iudicis, an stulticia res perierit? iniuria enim, quæ emptori fit, auctorem non debet contingere.

Stipulatio de euictione potest committi contra hæredem venditoris: licet contra ipsum venditorem non potuerit committi. Itẽ & hæredi emptoris potest in plus committi, quam potuerit ipsi venditori.

Si Titius

Si Titius Stichum post mortem suam liberum esse iussum,vendiderit: mortuo deinde eo Stichus ad libertatem
A peruenerit : an stipulatio de euictione interposita teneat? & ait Iulianus,committi stipulationem.quamuis enim Titio hoc casu denunciari pro euictione non potuisset: hæredi tamen eius denunciari potuisse. Si quis locum vendiderit, & idem venditor ab hærede suo voluntate emptoris in eo sepultus fuerit: actio de euictione intercidit. hoc enim casu emptor proprietatem amittit. Non mirum autem est, vt euicto homine,de euictione teneatur heres,quamuis defunctus non similiter fuerit obstrictus : cũ & aliis quibusdam casibus plenior aduersus hæredem vel hæredi competat obligatio, quàm competierat defuncto.
B vt cùm seruus post mortem emptoris hæres institutus est, iussuque hæredis emptoris adiit hæreditatem. nam actione ex empto præstare debet hæreditatem : quamuis defuncto in hoc tantum fuit vtilis ex empto actio, vt seruus traderetur. Si plures mihi in solidum pro euictione teneantur,deinde post euictionem cum vno fuero expertus: si agam cum cæteris,exceptione me esse repellendum,Labeo ait.

LII. IDEM *lib.* LXX. *ad edictum.*

SCiendum est,nihil interesse, ex qua caussa duplæ stipulatio fuerit interposita : vtrum ex caussa emptionis,an ex alia,vt committi possit.

C LIII. PAVLVS *lib.* XXV. *ad edictum.*

SI fundo tradito pars euincatur, si singula iugera venierint certo precio : tunc nõ pro bonitate, sed quãti singula venierint, quæ euicta fuerunt, præstandum: etiam si ea,quæ meliora fuerunt, euicta sint. Si cùm possit emptor auctori denunciare,non denunciasset:ideoque victus fuisset,quoniam parum instructus esset: hoc ipso videtur dolo fecisse,& ex stipulatu agere non potest.

LIIII. CAIVS *lib.* XXIX. *ad edictum prouinciale.*

QVi alienam rem vendidit : post longi temporis præscriptionem vel vsucapionem, desinit emptori de euictione teneri.

Si ex mendacio vel taciturnitate venditoris emptor decipiatur, agit de euictione.

Si hæres ſtatuliberũ,qui ſub conditione pecuniꝑ dandæ liber eſſe iuſſus eſt, vendiderit: & maiorem pecuniam in conditione eſſe dixerit,quàm dare ei iuſſus eſt: ex empto tenetur:ſi modò talis eſt cõditio, vt ad emptoré tranſiret, id eſt, ſi hæredi dare iuſſus eſt ſeruus. nã ſi alij dare iuſſus eſt: quãuis verã pecuniæ quãtitaté dixerit: tamé ſi nõ admonuerit alij dare iuſſum,euictionis nomine tenebitur. D

Sententia lata contra abſentem,non præiudicat vẽditori, niſi abſens fuerit legitimè defenſus. Pau.de caſt.

L V. VLPIANVS *lib. II. ad edictum ædiliũ curulium.*

SI ideo contra emptoré iudicatum eſt, quod de fuit: nõ committitur ſtipulatio.magis enim propter abſentiam victus videtur, quàm quod malam cauſſam habuit. Quid ergo ſi ille quidem,contra quem iudicatum eſt,ad iudiciũ non adfuit: alius autem adfuit,& cauſſam egit?quid dicemus? vtputa acceptum quidem cùm pupillo tutore authore fuit iudicium: ſed abſente pupillo tutor cauſſam egit, & iudicatum eſt contra tutorem.quare non dicemus committi ſtipulationem? etenim actam eſſe cauſſam palam eſt: & ſatis eſt ab eo,cui ius agendi fuit, cauſſam eſſe actam. E

Prꝑſenti autem venditori denunciandum eſt. ſiue autem abſit,ſiue præſens ſit,& per eum fiat,quò minus denuncietur: committetur ſtipulatio.

Simpliciter obligatus ad promittendum, non tenetur ad ſatiſdandum.

LVI. PAVLVS *lib. II. ad edictum ædiliũ curulium.* F

SI dictum fuerit in vendendo, vt ſimpla promittatur, vel triplum, aut quadruplum: ex empto perpetua actione agi poterit. non tamen (vt vulgus opinatur) etiam ſatiſdare debet, qui duplam promittit: ſed ſufficit nuda repromiſſio, niſi aliud conuenerit. ¶ Si compromiſero, & contra me data fuerit ſententia: nulla mihi de euictione actio danda eſt aduerſus venditorem.nulla enim neceſſitate cogente id feci. In ſtipulatione duplæ,cùm homo venditur,partis adiectio neceſſaria eſt: quia non poteſt videri homo euictus, cũ pars ei⁹ euicta eſt. Si cùm poſſet vſucapere emptor,nõ ceperit: culpa ſua hoc feciſſe videtur. vnde ſi euictus eſt ſeruus, non tenetur venditor. Si præſente promiſſore,qui de euictione ꝓmiſit,& nõ ignorante,

rante, procuratori denunciatum sit: nihilominus promis-
A sor tenetur. Simili modo tenetur & qui curauit, ne sibi de-
nunciari posset. sed & si nihil venditore faciente, emptor
cognoscere, vbi esset, non potuit: nihilominus committi-
tur stipulatio. Pupillo etiã sine tutoris authoritate pos-
se denunciari (si tutor non appareat) ex duplæ stipulatio-
ne, benignius receptum esse, Trebatius ait.

*Dicitur esse in culpa ille, qui minus subtiliter pquirit de iure au-
ctoris sui.* Bartolus. *& licet sentẽtia lata sit cõtra emptorem: si ta-
men res nõ est ablata, nec auferri potest, non agit de euictione.*

LVII. CAIVS *lib.* II. *ad edictum ædiliũ curulium.*

HAbere licere rẽ videtur emptori, & si is, qui empto-
rem in euictione rei vicerit, ante ablatam vel abdu-
B ctam rem sine successore decesserit, ita vt neque ad fiscum
bona peruenire possint, neque priuatim à creditoribus di-
strahi. tunc enim nulla cõpetit emptori ex stipulatu actio:
quia rem ei habere licet. Quod cùm ita est: videamus, num
& si ab eo, qui vicerit, donata legatáue res fuerit emptori,
æquè dicendum sit, ex stipulatu actionẽ non nasci: scilicet
si antè, quàm abduceret vel auferret, donauerit aut legaue-
rit. Alioquin semel commissa stipulatio resolui nõ potest.

*Quando seruus legatur in genere, & traditur alienus, agitur
ex testamento re euicta.* Bartolus.

LVIII. IABOLENVS *lib.* I. ἐπιϛολῶν.

HAeres seruum non nominatim legatum tradidit, &
C de dolo repromisit. postea seruus euictus est. agere
cum hærede legatarius ex testamẽto poterit, quamuis hę-
res alienum esse seruum ignorauerit.

LIX. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

SI res, quam à Titio emi, legata sit à me: non potest le-
gatarius, conuentus à domino rei, venditori meo de-
nunciare: nisi cessæ ei fuerint actiones, vel quodam casu
hypothecas habeat.

LX. IABOLENVS *lib.* II. *ex Plautio.*

SI in venditione dictum non sit, quantum venditorẽ pro
euictione præstare oporteat: nihil venditor præstabit,
præter simplam, euictionis nomine: & ex natura ex empto
actionis, hoc quod interest.

LXI. MARCELLVS *lib.* VII. *Digestorum.*

Si quod

SI quod à te emi, & Titio vendidi, voluntate mea tradideris: de euictione te mihi teneri, sicuti si acceptã rem tradidissem, placet. D

LXII. CELSVS *lib.* XXVII. *Digestorum.*

SI rem, quæ apud te esset, vendidissem tibi: quia pro tradita habetur, euictionis nomine me obligari placet. Si ei, qui vendidit, plures hæredes exstiterunt: vna de euictione obligatio est, omnibusque denunciari, & omnes defendere debent. si de industria non venerint in iudiciũ, vnus tamen ex his litem sustineat: propter denunciationis vigorem, & prædictam absentiam, omnibus vincit, aut vincitur: recteque cum cæteris agam, quod euictionis nomine victi sunt. Si fundum, in quo vsusfructus Titio relictus erat, quoad viueret, detracto vsufructu ignorãti mihi vendideris, DONEC TITIVS CAPITE DEMINVTVS FVERIT, & aget Titius ius sibi esse vtendi fruendi: competit mihi aduersus te ex stipulatione de euictione actio. Quippe si verum fuisset, quod mihi dixeras in venditione: rectè negarem Titio, ius esse vtendi fruẽdi. E

LXIII. MODESTINVS *lib.* V. *Responsorum.*

HErennius Modestinus respondit. non obesse ex empto agenti, quod denunciatio pro euictione interposita non esset: si pacto ei remissa esset denunciandi necessitas. Caia Seia fundum à Lucio Titio emerat, & quæstione motã fisci nomine auctorem laudauerat: & euictione secuta fundus ablatus, & fisco adiudicatus est vẽditore præsente. quæritur, cùm emptrix non prouocauerit, an venditorem possit cõuenire? HERENNIVS MODESTINVS RESPONDIT. siue quod alienus fuerit, cùm veniret, siue quod tunc obligatus euictus est: nihil proponi, cur emptrici aduersus vẽditorẽ actio nõ cõpetat. HERENNIVS MODESTINVS RESPONDIT. si emptor appellauit, & bonam caussam vicio suo ex præscriptione perdidit: ad auctorem reuerti non potest. F

Deminutio contingens in re post emptionem perfectam, deminuit obligationem de euictione, si postea pars pro indiuiso euincatur: secus si tota. sed augmentum non augetur siue tota siue pars euincatur: & si contingat deminutio, & postea augmentum: non inspicitur augmentum secuta partis euictione. Bartolus.

LXIIII. PAPINIANVS *lib.* VII. *Quæstionū.*

A EX mille iugeribus traditis, ducenta flumen abstulerat. si postea pro indiuiso ducenta euincantur: duplæ stipulatio pro parte quinta, non quarta præstabitur. nam quod periit, damnū emptori, non venditori attulit. Si totus fundus, quem flumen deminuerat, euictus sit: iure non deminuetur euictionis obligatio: non magis, quàm si incuria fundus, aut seruus traditus deterior factus sit. nam & ex contrario non augetur quantitas euictionis, si res melior fuerit effecta. Quod si modo terræ integro, qui fuerat traditus, ducenta iugera per alluuionem accesserint, ac postea pro indiuiso pars quinta totius euicta sit: perinde pars quinta præstabitur, ac si sola ducenta de illis mille iuge-
B ribus, quæ tradita sunt, fuissent euicta: quia alluuionis periculum non præstat venditor. Quæsitum est. si mille iugeribus traditis, periissent ducenta: mox alluuio per aliam partē fundi ducenta attulisset, & postea pro indiuiso quinta pars euicta esset: pro qua parte auctor teneretur? dixi, consequens esse superioribus, vt neque pars quinta mille iugerū, neque quarta debeatur euictionis nomine: sed perinde teneatur auctor, ac si de octingentis illis residuis sola centum sexaginta fuissent euicta. nam reliqua quadraginta, quæ de vniuerso fundo decesserunt, pro rata nouæ regionis esse intelligi. Cæterum cùm pro diuiso pars aliqua fundi euincitur: tametsi certus numerus iugerum tra-
C ditus sit, tamen non pro modo, sed bonitate regionis præstatur euictio. Qui vnum iugerum commune pro indiuiso solum habuit, & tradidit: secundum omnium sententias, non totum dominium tradidit, sed partem dimidiam iugeri: quemadmodum si certum locum, aut fundum similiter tradidisset.

Euicta re per negligentiam quorundam ex venditoribus, agitur contra omnes, etiam contra non negligentem: sed ei contra negligētem propria actione succurritur. Item pro eo quod quis soluit nomine proprio, contra alterum actio non ceditur.

LXV. IDEM *lib.* VIII. *Quæstionum.*

REm hæreditariam pignori obligatam hæredes vendiderūt, & euictionis nomine pro partib⁹ hæreditariis spopōderunt: & cū alter pignus ꝑ parte sua liberasset,

rem

rem creditor euicit, quærebatur, an vterque hæredum con- D
ueniri possit? idque placebat propter indiuisam pignoris caussam. nec remedio locus esse videbatur, vt per doli exceptionem actiones ei, qui pecuniam creditori dedisset, præstarentur: quia non duo rei facti proponerentur. sed familiæ erciscundæ iudicium eo nomine vtile est. nam quid interest, vnus ex hæredibus in totum liberauit pignus, an verò pro sua dumtaxat portione: cùm cohæredis negligentia damnosa non debet esse alteri.

Succumbens in rei vindicatione directa non agit de euictione si superest sibi Publiciana, vel vtilis rei vindicatio.

LXVI. IDEM *lib.* XXVIII. *Quæstionum.*

SI cùm venditor admonuisset emptorem, vt Publiciana, vel potius ea actione, quæ de fundo vectigali proposi- E
ta esset, experiretur, emptor id facere supersedit: omnimodo nocebit ei dolus suus, nec cõmittetur stipulatio. Non idem in Seruiana quoq; actione probari potest. hæc enim, etsi in rem actio est, nudam tamen possessionem auocat, & soluta pecunia venditori dissoluitur. vnde fit vt emptori suo nomine non competat. Si is, qui reipublicæ caussa abfuit, fundum petat: vtilis possessori pro euictione competit actio. Item si priuatus à milite petat: eadem æquitas est emptori restituendæ pro euictione actionis.

Si emptori res abest propter factum suum, non propter euictionẽ, licet postea propter euictionem sibi absit æstimatio, non committitur stipulatio dupla, sed agit ex empto.

SI secundus emptor venditorem eundémq; emptorem F
ad litem hominis dederit procuratorem, & non restituto eo, damnatio fuerit secuta: quodcunque ex caussa iudicati præstiterit procurator, vt in rem suam datus, ex stipulatu consequi non poterit. sed quia damnum euictionis ad personam pertinuit emptoris, qui mandati iudicio nihil percepturus est: non inutiliter ad percipiendam litis æstimationem agetur ex vendito.

Ex caussa diuisionis debetur euictio, in qua venit interesse sicut ex caussa venditionis.

Diuisione inter cohæredes facta, si procurator absentis interfuit, & dominus ratam habuit: euictis prædiis, in dominum actio dabitur, quæ daretur in eum, qui negociũ ab-

sentis

ſentis geſſit: vt quanti ſua intereſt, actor conſequatur: ſcilicet vt melioris aut deterioris agri facti cauſſa finem
A pretij, quo fuerat tempore diuiſionis æſtimatus, deminuat, vel excedat.

Qui tenetur ad quantitatem reſpectu certæ ſpeciei, offerendo ſpeciem non auditur, niſi conſeruet partem alteram indemnem.

LXVII. IDEM *lib.* X. *Reſponſorum.*

EMptori poſt euictioné ſerui, quem dominus abduxit, venditor eundem ſeruum poſt tempus offerendo, quò min' præſtet, quod emptoris intereſt, nō rectè defenditur.

Qui de euictione non tenetur, etiam re euicta à precii petitione non repellitur.

LXVIII. IDEM *lib.* XI. *Reſponſorum.*

B CVm ea cōditione pignus diſtrahitur, ne quid euictione ſecuta creditor præſtet: quamuis precium emptor non ſoluerit, ſed venditori cauerit: euictione ſecuta, nullam emptor exceptioné habebit, quò minus precium ſoluat. Creditor, qui pro pecunia nomen debitoris per delegationem ſequi maluit: euictis pignoribus, quæ prior creditor accepit, nullā actioné cū eo, qui liberat' eſt, habebit.

Exceptio indeterminatè facta, porrigitur ad communem caſum; ſed facta determinatè, non porrigitur vltra caſum expreſſum. Item ſi venditor mētitur in conditione ſpeciei, tenetur ad duplam. Si verò in quantitate hominis, ſolùm ad intereſſe tenetur ex empto.

LXIX. SCAEVOLA *lib.* II. *Quæſtionum.*

C QVi libertatis cauſſam excepit in venditione: ſiue iam tunc, cùm traderetur, liber homo fuerit: ſiue conditione, quæ in teſtamento propoſita fuit, impleta ad libertatem peruenerit: nō tenebitur euictionis nomine. Qui autem in tradēdo ſtatuliberum dicit: intelligitur hāc ſpeciem dumtaxat libertatis excipere, quæ ex teſtamento impleta conditione ex præterito poſſit obtingere. & ideo ſi præſens teſtamento libertas data fuerit, & venditor ſtatuliberum pronunciauerit: euictionis nomine tenetur. rurſus qui ſtatuliberum tradit, ſi certam conditionem pronunciauerit, ſub qua dicit ei libertatem datam: deterioré conditionem ſuam feciſſe exiſtimabitur: quia non omnem cauſſam ſtatulibertatis, ſed eam dumtaxat, quam pronunciauit, excepiſſe videtur. veluti ſi hominem dixerit decem dare

iuſſum,

iussum, isque post annum ad libertatem peruenerit, quia
hoc modo libertas data fuerat, STICHVS POST AN D
NVM LIBER ESTO: euictionis obligatione tenebi-
tur. Quid ergo si iussum decem dare, pronũciat viginti da-
re debere: nonne mentitur in conditione? verum est, hunc
quoque in conditione mentiri. & ideò quidam existimaue-
runt, hoc quoque casu euictionis stipulationem contrahi.
sed authoritas Seruij præualuit, existimantis hoc casu ex
empto actionem esse: videlicet quia putabat eum, qui pro-
nunciasset seruum viginti dare iussum, conditionem exce-
pisse, quæ esset in dando.

Si seruo relicta sit libertas, si rationem reddiderit, videtur purè
relicta, si nulla reliqua supersint: ideo si tanquam statuliber venda-
tur, venditor tenetur. sed si supersint, videtur relicta sub conditione, si E
illa reddiderit: & ideo si maior summa per venditorem exprimatur,
ex empto tenetur. secus si tantam summam exprimat.

Seruus rationib' redditis liber esse iussus est. hunc hæ-
res tradidit, & dixit, centum dare iussum. si nulla reliqua
sunt, quæ seruus dare debeat, & per hoc adita hæreditate
liber factus est: obligatio euictionis contrahitur, eò quod
liber homo tanquam statuliber traditur. Si centum in re-
liquis habet, potest hæres videri non esse mentitus: quo-
niam rationes reddere iussus, intelligitur summam pecu-
niæ, quæ ex reliquis colligitur, iussus dare. cui consequẽs
est, vt si minus, quàm centum in reliquis habuerit (veluti
sola quinquaginta) & cùm eam pecuniã dederit, ad liber- F
tatem peruenerit: de reliquis quinquaginta actio ex empto
competat. Sed & si quis in venditione statuliberũ per-
fusoriè dixerit, conditionem autem libertatis cælauerit:
empti iudicio tenebitur, si id nescierit emptor. hic enim
exprimitur eum, qui dixit statuliberum, & nullam condi-
tionem pronunciauerit: euictionis quidem nomine non te-
neri, si conditione impleta seruus ad libertatem peruene-
rit, sed empti iudicio teneri, si modo conditionem, quam
sciebat propositam esse, cælauit. sic & qui fundum tradide
rit, & cùm sciat certam seruitutem deberi, perfusoriè dixe
rit, ITINERA, ACTVS, QVIBVS SVNT, VT
ITA SINT: rectè recipit, & euictionis quidem nomine
se liberat: sed quia decepit emptorem, empti iudicio tene-
tur. In

tur. In fundo vendito cùm modus pronunciatus deest:
A sumitur portio ex precio, quod totum colligendum est ex omnibus iugeribus dictis.

LXX. PAVLVS *lib.* V. *Quæstionum.*

Victa re, ex empto actio non ad precium dumtaxat recipiendum, sed ad id, quod interest, competit. ergo & si minoris esse cœpit, damnum emptoris erit.

Si res euincatur à genero emptoris, cui in dotem tradiderat, committitur etiam si dos sit reuersura.

LXXI. IDEM *lib.* XVI. *Quæstionum.*

Pater filiæ nomine fundum in dotem dedit. euicto eo, an ex empto actio, vel duplæ stipulatio committatur, quasi pater damnum patiatur, nō immeritò dubitatur. non
B enim sicut mulieris dos est, ita patris esse dici potest: nec conferre fratribus cogitur dotem à se profectam, manente matrimonio. sed videamus, ne probabilius dicatur, committi hoc quoque casu stipulationem. interest enim patris filiam dotatam habere, & spem quādoque recipiendæ dotis: vtique si in potestate sit. quòd si emancipata est: vix poterit defendi, statim committi stipulationem: cum vno tantum casu dos ad eum regredi possit. nūquid ergo tunc demum agere possit, cùm mortua in matrimonio filia potuit dotem repetere, si euictus fundus non esset? an & hoc casu interest patris dotatam filiam habere, vt statim conuenire promissorem possit? quod magis paterna affectio inducit.

C *Licet vnum sit instrumentum, & vna venditio, si tamen corpora rerum venditarum sint diuersa, vno euicto agitur, ac si essent plura instrumenta, & plures emptiones.*

LXXII. CALLISTRATVS *lib.* II. *Quæstionum.*

Cum plures fundi specialiter & nominatim, vno instrumento emptionis interposito, venierint: non vtique alter alterius fundi pars esse videtur, sed multi fundi vna emptione continentur. & quemadmodum si quis complura mancipia vno instrumento emptionis interposito, vendiderit: euictionis actio in singula capita mācipiorum spectatur. & sicuti si aliarum quoque rerum complurium vna emptio facta sit: instrumentum quidem emptionis interpositum vnum est, euictionum autem tot actiones, quot & species rerū emptione comprehensæ sunt. ita & in proposito:

poſito: non vtique prohibebitur emptor, euicto ex his vno fundo, venditorem conuenire: quod vna cautione emptionis complures fundos mercatus comprehenderit. D

Hæres poteſt ex perſona propria venire contra alienationem factam per defunctum mero iure. ſed ſi obtineat, de euictione tenetur. Item ſi pars velit, poteſt eum per exceptionem repellere.

LXXIII. PAVLVS *lib.* VII. *Reſponſorum.*

SEia fundos Mæuianum & Seianum, & cæteros doti dedit. eos fundos vir Titius viua Seia ſine controuerſia poſſedit. poſt mortẽ deinde Seiæ Sempronia hæres Seiæ quæſtionem pro prædij proprietate facere inſtituit. quæro, cùm Sempronia ipſa ſit hæres Seiæ, an iure controuerſiam facere poſſit? Paulus reſpondit. iure quidem proprio, non hæreditario Semproniam, quæ Seiæ (de qua quæritur) hæres exſtitiſſet, controuerſiam fundorum facere poſſe: ſed euictis prædiis, eandẽ Semproniam hæredem Seiæ conueniri poſſe, vel exceptione doli mali ſubmoueri. E

LXXIIII. HERMOGENIANVS *lib.* II. *iuris* ἐπιτομῶν.

SI plus vel minus, quàm precij nomine datum eſt, euictione ſecuta dari conuenerit: placitum cuſtodiendum eſt. Et ſi iuſſu iudicis rei iudicatæ pignus captum per officium diſtrahatur, pôſt euincatur: ex empto contra eum, qui precio liberatus eſt, non quanti intereſt, ſed de precio dumtaxat, eiúſque vſuris, habita ratione fructuum, dabitur: ſcilicet ſi hos ei, qui euicit, reſtituere non habebat neceſſe. Mota quęſtione, interim non ad precium reſtituendum, ſed ad rem defendendam, venditor conueniri poteſt. F

Qui nomen, quale fuit, vendidit: dumtaxat vt ſit, non vt exigi etiam aliquid poſſit, ſed & dolum præſtare cõgruit.

Venditor non tenetur ad intereſſe licet res vendita debeat ſeruitutem, niſi fuerit vendita vt libera: nec etiam tenetur, licet eidem nõ debeatur, niſi dictum fuerit deberi.

LXXV. VENVLEIVS *lib.* XVI. *Stipulationum.*

QVod ad ſeruitutes prædiorum attinet: ſi tacitè ſecutæ ſunt, & vindicentur ab alio: Q. Mutius & Sabinus exiſtimant, venditorem ob euictionem teneri non poſſe. Nec enim euictionis nomine quenquam teneri in eo iure, quod tacitè ſoleat accedere; niſi VTI OPTIMVS MA-

MVS MAXIMVSQVE ESSET, traditus fuerit fundus. tunc enim liberum ab omni seruitute præstandum. si
A verò emptor petat viam, vel actum: vẽditorem teneri non posse, nisi nominatim dixerit, accessurum iter vel actum. tunc enim teneri eum, qui ita dixerit. & vera est Quinti Mutij sentẽtia: vt qui OPTIMVM MAXIMVMQVE fundum tradidit, liberum præstet: non etiam deberi aliâs seruitutem, nisi hoc specialiter ab eo expressum sit.

LXXVI. IDEM *lib.* XVII. *Stipulationum.*

SI alienam rem mihi tradideris, & eãdem pro derelicto habuero: amitti auctoritatem (id est, actionem pro euictione) placet.

B DE EXCEPTIONE REI VENDITÆ. Tit. III.

Veniens contra venditionem à se factam, vel ab alio suo mandato, repellitur exceptione rei vẽditæ & traditæ, si tradiderat. Et idem in hærede etiam si veniat ex persona sua propria. Sed si emptor tempore emptionis erat seruus, tempore quo agitur liber, habet exceptionem in factum. Item si res non fuit à venditore tradita, sed emptor aliunde possessionem nactus est, habet exceptionem rei venditæ. Prædicta vera, nisi venditor iustam habeat caussam petendi.

VLPIANVS *lib.* LXXVII. *ad edictum.*

MArcellus scribit. si alienum fundum vendideris, & tuum postea factum petas: hac te exce-
C ptione rectè repellendum. sed & si dominus fundi hæres venditori existat: idẽ erit dicendum. Si quis rem meam mandatu meo vendidit: vindicanti mihi rem venditã nocebit hęc exceptio: nisi probetur me mandasse, ne traderetur, ante quàm precium soluatur. Celsus ait. si quis rem meam vendiderit minoris, quàm ei mãdaui, non videtur alienata: & si petam eam, non obstabit mihi hæc exceptio. quod verum est.

Ex contractu gesto cum seruo datur ei manumisso exceptio in factum.

Si seruus merces peculiariter emerit, deinde dominus eum prius, quàm proprietatem rerum nancisceretur, testamento liberum esse iusserit, eique peculium prælegauerit, & venditor à seruo merces petere cœperit: exceptio in fa-

ctum locum habebit: quia is tunc seruus fuisset, cùm contraxisset. D

Hac exceptio datur interdum etiam re non tradita, sed aliter sine vitio possessionis adprehensa. Item interdum etiam re tradita non competit, scilicet si subest iusta caussa vindicandi.

Si quis rem emerit, non autem ei fuerit tradita, sed possessionem sine vicio fuerit nactus: habet exceptionem contra venditorem: nisi fortè vēditor iustam caussam habeat, vt rem vindicet. nam & si tradiderit possessioné, fuerit autem ei iusta caussa vindicandi: replicatione aduersus exceptionem vtetur.

Qui primò emit rem à non domino, præfertur ei qui secūdò emit ab eodem postea facto domino, licet in secundum fuerit translatum dominium, & non in primum. E

II. POMPONIVS *lib.* II. ἐπιστολῶν.

SI à Titio fundum emeris, qui Sempronij erat, isque traditus tibi fuerit: precio autem soluto, Titius Sempronio hæres exstiterit, & eundem fundum Mæuio vendiderit, & tradiderit: Iulianus ait, æquius esse, priorem te tueri: quia & si ipse Titius fundū à te peteret, exceptione submoueretur: & si ipse Titius eū possideret, Publiciana peteres.

III. HERMOGENIANVS *lib.* VI. iuris ἐπιτομῶν.

EXceptio rei venditæ & traditæ non tantùm ei, cui res tradita est, sed & successoribus eius, & emptori secundo (& si res ei nō fuerit tradita) proderit. interest enim emptoris primi, secundo rem non euinci. pari ratione venditoris etiam successorib⁹ nocebit: siue in vniuersum ius, siue in eam dumtaxat rem successerint. F

DIGESTORVM SEV PANdectarum Liber XXII.

Vide commentariū, Quod non oporteat fœnerari, apud Plutarchū in opusculis.

DE VSVRIS, ET FRVCTIBVS, & caussis, & omnibus accessionibus, & mora. Tit. I.

PAPINIANVS

PAPINIANVS *lib.* III. *Reſponſorum.*

A 

VM iudicio bonę fidei diſceptatur, arbitrio iudicis vſurarum modus ex more regionis, vbi contractum eſt, coſtituitur: ita tamen, vt legem non offendat. Socius ſi ideo condénandus erit, quod pecuniam cõmunem inuaſerit, vel in ſuos vſus conuerterit: omnimodo, etiã mora non interueniente, præſtabuntur vſuræ. Nec tamen iudex iudicij bonæ fidei rectè iubebit interponi cautiones: vt ſi tardius ſententiæ condemnatus paruerit, futuri temporis pendantur vſuræ: cùm in poteſtate ſit actoris iudicatum exigere.

B PAVLVS NOTAT. quid enim pertinet ad officium iudicis poſt cõdemnationem futuri temporis tractatus? PAPINIANVS. circa tutelæ reſtitutioné pro fauore pupillorum latior interpretatio facta eſt. nemo enim ambigit hodie: ſiue iudex accipiatur, in diem ſentétiæ: ſiue ſine iudice tutela reſtituatur, in eum diem, quo reſtituit: vſuras pręſtari. planè ſi tutelæ iudicio nolentem experiri, tutor vltro conuenerit, & pecuniam obtulerit, eámque obſignatã depoſuerit: ex eo tempore non præſtabit vſuras.

In actionibus stricti iuris veniunt vſuræ à tẽpore litis conteſtatæ.

II. IDEM *lib.* VI. *Quæſtionum.*

VVlgo receptum eſt, vt quamuis in perſonam actum
C ſit, poſt litem tamen conteſtatam cauſſa pręſtetur. cuius opinionis ratio redditur: quoniam quale quidque eſt, cùm petitur, tale dari debet: ac propterea poſt ea captos fructus, partúmque editum reſtitui oportet.

Si mora non præcedit, reus non tenetur de fructibus percipiendis intra tempus quod datur iudicatis: ſecus ſi mora iudicis præceſſiſſet. Bartolus.

III. IDEM *lib.* XX. *Quæſtionum.*

IN fideicommiſſi perſecutione, cùm poſt iudicis ſententiam moram feciſſet hæres, iuſſit Imperator Marcus Antoninus (intermiſſo legitimo tempore, quod condemnatis præſtatur) vt vſque ad ſententiam commoda fideicommiſſarius accipiat. Quod decretum ita accipi oportet, ſi ante iudicis ſententiam mora non interuenit. tam & ſi

non facilè euenire poſſit, vt mora non præcedente, perueniatur ad iudicem. ſed puta falcidiæ legis rationem interueniſſe. cæterùm ſi ante quàm ad iudicem perueniretur, in mora hæres fuit: exinde fructuum præſtandorum neceſſitate adſtrictus eſt: quia qua tandem ratione, cùm ex ſententia victus eſt, legitimi temporis ſpacio fructibus liberabitur hic: cùm ea temporis intercapedo iudicato dilationem dare, nō lucrum adferre debeat? In his quidem iudiciis, quæ non ſunt arbitraria, nec bonæ fidei: poſt litē conteſtatam actori cauſſa præſtanda eſt in eum diem, quo ſententia dicitur. Certè poſt rem iudicatam tempus à fructibus dependendis immune eſt. D

Quando quis rogatur reſtituere quidquid ſupererit ex hæreditate: item quando dilatio gratia fideicommiſſarii apponitur, veniunt fructus in reſtitutionem. Bartolus. E

Nonnunquam euenit, vt quanquam fructus hæreditatis aut pecuniæ vſura nominatim relicta non ſit, nihilominus debeatur: vtputa ſi quis rogetur poſt mortem ſuam, quidquid ex bonis ſupererit, Titio reſtituere. vt enim ea, quæ bona fide deminuta ſunt, in fideicommiſſi cauſſa non comprehenduntur, ſi pro modo cæterorum quoque bonorum deminuantur: ita quod ex fructibus ſupererit, iure voluntatis reſtitui oportebit. Cùm Pollidius à propinqua ſua hæres inſtitutus, rogatus fuiſſet, filiæ mulieris, quidquid ex bonis eius ad ſe perueniſſet, cùm certam ætatem puella compleſſet, reſtituere: idq́ue ſibi ideo placuiſſe teſtamento comprehendiſſet, ne filiæ tutoribus, ſed potius neceſſitudini res committerentur: eundémque Pollidium fundum retinere iuſſiſſet: præfectus prętorio ſuaſi, fructus, qui bona fide à Pollidio ex bonis defunctæ percepti eſſent, reſtitui debere: ſiue quod fundum ei tantùm prælegauerat, ſiue quod lubrico tutelæ fideicommiſſi remedium mater prætulerat. F

In debito ſpecierum non veniunt vſuræ, niſi per venditionem ſpecies fuerunt in peculium redigendæ. Bartolus.

Si auro vel agento facto per fideicommiſſum relicto, mora interuenerit: an vſurarum æſtimatio facienda ſit, tractari ſolet. Planè ſi materiam iſtam ideo reliquit, vt ea diſtracta pecunia fideicommiſſa ſolueretur, aut alimēta præſtarentur:

ſtarentur : non oportere fruſtrationem impunitam eſſe reſpõdi. Quod ſi fortè ideo reliquit, vt his vaſis vteretur: nõ
A ſine rubore deſiderabuntur vſuræ. ideóque non exigentur.

Licet in ſtipulatione rem dari, & in ſtipulatione rẽ tradi non veniant fructus, tamẽ niſi ſimul iungãtur, fructuum ratio habetur. ſed ſi contractus venditionis præceßit: ſecundũ illã iudicatur. Bartolus.

IIII. IDEM *lib.* XXVI. *Quæſtionum.*

SI ſtipulatus ſis, REM DARI, VACVAMQVE POSSESSIONEM TRADI: fruct⁹ poſtea captos actiõe incerti ex ſtipulatu propter inferiora verba cõſecuturum te, ratio ſuadet. an idem de partu ancillæ reſpõderi poſſit, conſiderandum eſt. Nam quod ad verba ſuperiora pertinet: ſiue factum rei promittendi, ſiue effectum per traditionem dominij transferendi continent: partus non con-
B tinetur. verùm ſi emptor à venditore nouandi animo ita ſtipulatus eſt: factũ tradendi ſtipulatus intelligitur: quia non eſt veriſimile, plus venditorem promiſiſſe, quàm iudicio empti præſtare compelleretur. Sed tamen propter illa verba, VACVAMQVE POSSESSIONEM TRADI: poteſt dici, partus quoq; ratione committi ſtipulationem. etenim ancilla tradita, partum (poſtea editum) in bonis ſuis reus ſtipulandi habere potuiſſet. Si poſt contractã emptionem, ante interpoſitam ſtipulationem partus editus, aut aliquid per ſeruum venditori adquiſitum eſt: quod ex ſtipulatu conſequi non poterit, iudicio empti cõſequetur.
C id enim, quod non transfertur in cauſſam nouationis, iure priſtino peti poteſt.

V. IDEM *lib.* XXVII. *Quæſtionum.*

GEneraliter obſeruari conuenit: bonæ fidei iudicium non recipere præſtationes, quæ contra bonos mores deſiderantur.

Ex diuturna præſtatione vſurarum præſumitur contracta obligatio ſuper vſuris & ſuper ſorte: & quatenus eſt neceſſe ad illam præſtationem redigendam, importat præſtandi neceßitatem. Bartolus.

VI. IDEM *lib.* XXVIII. *Quæſtionum.*

CVm de in rem verſo cum hęrede patris vel domini ageretur, & vſurarum quæſtio moueretur: Imperator ideo ſoluendas vſuras iudicauit, quòd eas ipſe dominus, vel pater longo tempore præſtitiſſet. Imperator quoque

noſter Seuerus filiæ Flauij Athenagoræ, cuius bona fuerant publicata, de fiſco ideo numerari decies centena dotis nomine iuſſit, quòd ea patrem præſtitiſſe dotis vſuras allegaſſet. D

VII. IDEM *lib.* II. *Reſponſorum.*

DEbitor vſurarius creditori pecuniam obtulit, & cùm eam accipere noluiſſet, obſignauit ac depoſuit. ex eo die ratio non habebitur vſurarum. quod ſi poſtea conuentus, vt ſolueret, moram fecerit: numi ſteriles ex eo tempore non erunt.

VIII. IDEM *lib.* VI. *Reſponſorum.*

Ca.39. infrà eodem.

EQuis per fideicommiſſum relictis, poſt moram fœtus quoque præſtabitur, vt fructus: ſed fœtus ſecundus, vt cauſſa, ſicut partus mulieris. E

Stipulatio vſurarum in eo quod eſt vltra legitimum modum, non valet: in alio ſic. Bartolus.

IX. IDEM *lib.* XI. *Reſponſorum.*

†De modo legitimo vſuræ Alexã. ab Alexan. lib. I. Genia. die. ca.7. circa finem.

PEcuniæ fœnebris, intra diem certum debito non ſoluto, dupli ſtipulatum in altero tanto ſupra† modum legitimarum vſurarum reſpondi non tenere. Quare pro modo cuiuſcunque temporis ſuperfluo detracto, ſtipulatio vires habebit. Vſurarum ſtipulatio, quamuis debitor non conueniatur, committitur: nec inutilis legitimæ vſuræ ſtipulatio videtur ſub ea conditione concepta, SI MINORES AD DIEM SOLVTAE NON FVERINT? non enim pœna, ſed fœnus vberius ratione ſortis promittitur. Si tamẽ poſt mortem creditoris nemo fuit, cui pecunia ſolueretur: eius temporis inculpatam eſſe moram conſtitit. Ideo ſi maiores vſuræ pro prioribus petantur: exceptio doli non inutiliter opponetur. F

X. PAVLVS *lib.* II. *Quæſtionum.*

PArtum poſt litem conteſtatam editum reſtituere poſſeſſor debet: quem nõ deberet reſtituere, ſi cùm mater peteretur, iã natus fuiſſet: niſi ſpecialiter & ꝑ hoc egiſſet.

Non fit compenſatio damni prouenientis ex culpa adminiſtratoris cum lucro proueniente ex lege vel cõſuetudine, licet propter ipſius contractum: ſed cum proueniente ex contractu & diligentia adminiſtratoris ſic.

XI. IDEM *lib.* XXV. *Quæſtionum.*

Caius

A CAius Seius, qui rempublicam gerebat, fœnerauit pecuniam publicam ſub vſuris ſolitis. fuit autem conſuetudo, vt intra certa tempora non illatis vſuris, grauiores infligerentur. quidam debitores ceſſauerunt in ſoluendis vſuris, quidam plus intulerũt: & ſic effectum eſt, vt omne quod vſurarum nomine competebat, etiam pro his, qui ceſſauerant in vſuris, ſuppleatur. Quæſitum eſt, an illud, quod amplius ex conſuetudine pœnæ nomine à quibuſdam exactum eſſet, ipſi Seio proficere deberet, an reipublicæ lucro cedere? reſpondi. ſi Caius Seius à debitoribus vſuras ſtipulatus ſit: eas ſolas reipublicæ præſtari oportere, quæ ſecundum formam ab his exigi ſoleant, etiã ſi omnia nomina idonea ſint. quod ſi ſeruus publicus obli-
B gationẽ vſurarum reipublicæ adquiſiit: æquum eſſe (quãuis ipſo iure vſuræ reipublicæ debeantur) tamen pro defectis nominibus compenſationes maiorum vſurarum fieri: ſi non ſit parata reſpublica vniuerſorum debitorum fortunam ſuſcipere. eadem ferè in tutoribus Marcellus refert.

Diuiſa negligentia atque mora, diuidit præſtationem vſurarum & pœnæ. Fran.

XII. IDEM *lib.* IIII. *Reſponſorum.*

SEia mutuam pecuniã accepit à Septitio. de vſuris ita conuenit, niſi ſua quæque die vſuræ ſupraſcriptæ exſoluerentur, vel poſt tertium menſem: tunc in maiores v-
C ſuras Seia teneretur: & deinceps per ſingulas pẽſiones (ſi conditione data vſuræ non ſoluerentur) ea conditio obſeruaretur, donec omnis ſumma debita hoc nomine exſolueretur. quæro, an hæc verba, ET DEINCEPS PER SINGVLAS PENSIONES (SI CONDITIONE DATA VSVRAE NON SOLVANTVR) EA CONDITIO OBSERVARETVR: eò pertineant, vt quamuis commiſſa ſit fortè prima ſtipulatio: non tamen in ampliorem quantitatem vſurarum conueniri poſſit, quàm eius penſionis nomine, quæ egreſſa ſit diem præſtitutum? Paulus reſpondit. plures conditiones continere eam ſtipulationem, quæ de grauioribus vſuris præſtandis ſubiecta eſſet, vt per ſingulas penſiones conditio ſpectaretur non illatarum ſuis temporibus leuiorum vſu-

 rarum.

rarum.& ideo posse euitari pœnam sequentium pensionū.

Creditor recipiendo sponte minores vsuras per longum tempus, videtur remittere maiores. Sola etiam patiētia operatur liberationē à debito odioso facit extra de censitis.c.olim. D

XIII. SCAEVOLA *lib.I.Responsorum.*

QVi semisses vsuras promiserat, per multos annos minores præstitit.hæres creditoris semisses petit. cùm per debitorem nō steterit, quò minus minores soluat: quæro, an pacti vel doli exceptio obstet? respondi.si in exsoluendis ex more vsuris per tanta tempora mora per debitorem non fuit: posse secundum ea, quæ proponerentur, obstare exceptionem.

Gestor non tenetur ad vsuras pro pecunia ociosa: nisi dominus cōsueuerit fœnerare. E

Quæsitum est, an iudicio negociorum gestorū vel mādati pro pecunia ociosa vsuras præstare debeat, cū dominus nullam pecuniam fœnerauit? respondi. si eam pecuniā depositam habuisset, idque ex consuetudine mandantis fecisset: non debere quidquam vsurarum nomine præstare.

XIIII. PAVLVS *lib.XIIII.Responsorum respondit.*

MOra in soluēdo fideicommisso facta, partus quoque ancillarum restituendos. Hæres rogatus erat, post mortem suam sine reditu hęreditatem restituere.quęsitum est, an partus ancillarum etiam viuo hærede nati, restituēdi essent propter verba testamenti, quibus de reditu solo deducendo testator sensisset? PAVLVS respondi. ante diem fideicommissi cedentem partus ancillarum editos fideicommisso non contineri. Neratium quoque libro primo referre eum, qui similiter rogatus esset, vt mulierē restitueret, partum eius restituere cogendum non esse: nisi tunc editus esset, cū in fideicommisso restituendo moram fecisset. neq; interesse existimo, specialiter ancilla, an hæreditas in fideicommisso sit. F

Vsuræ fructuum non debentur, sicut nec vsuræ vsurarum: ne sit accessio accessionis. Bart.

XV. IDEM *lib.XVI.Responsorum respondit.*

NEque eorum fructuum, qui post litem contestatā in officio iudicis restituendi sunt, vsuras præstari oportere: neque

re: neque eorum, qui prius percepti, quaſi à malę fidei poſ
A ſeſſore condicuntur.

XVI. IDEM *lib. I. Decretorum.*

Liberalitatis in rempublicam factæ vſuræ non exigũtur. Cũ vſuræ precij fundi ab eo, qui à fiſco emerat, peterentur, & emptor negaret traditam ſibi poſſeſſionem: Imperator decreuit, iniquum eſſe vſuras ab eo exigi, qui fructus non percepiſſet.

Pro tempore, quo cucurrerunt vſuræ minores, non committitur ſtipulatio de maioribus. Bart.

XVII. IDEM *lib. V. ſingulari de vſuris.*

CVm quidam cauiſſet, ſe quotannis quincunces vſuras præſtaturum: & ſi quo anno non ſoluiſſet, tunc to
B tius pecunię ex die, qua mutuatus eſſet, ſemiſſes ſoluturũ: & redditis per aliquot annos vſuris, mox ſtipulatio commiſſa eſſet: diuus Marcus Fortunato ita reſcripſit. præſidẽ prouinciæ adi: qui ſtipulationem, de cuius iniquitate queſtus es, ad modum iuſtæ exactionis rediget. hæc conſtitutio ad infinitum modum excedit. Quid ergo? ſic temperãda res eſt, vt in futurum dumtaxat ex die ceſſationis creſcant vſuræ.

Taciturnitas longi temporis tollit actionem perſonalem competentem ad vſuras. Fran.

Diuus Pius ita reſcripſit, parum iuſtè vſuras præteritas petis, quas omiſiſſe te, longi tẽporis interuallum indicat:
C qui eas à debitore tuo, vt gratioſior apud eum videlicet eſſes, petendas non putaſti. In tacito fideicommiſſo omne emolumentum hæredi auferendum, & fiſco præſtandum, diuus Pius reſcripſit. ergo & vſurarum emolumentũ auferetur hæredi.

Vſuræ non præſtantur propter lucrum, ſed propter moram: qua ceſſante non poſſunt peti.

Si pupillo tutorem non habenti, fideicommiſſum ſolui non potuit: non videri moram per hæredem factam, diu⁹ Pius reſcripſit. ergo nec ei debetur, qui quod reipublicæ cauſſa abfuerit, vel ex alia cauſſa iuſta impeditus, ex qua reſtitutio indulgetur, petere non potuit. Quid enim poteſt imputari ei, qui ſoluere, etiam ſi vellet, non potuit? Nec ſimile videri poteſt, quod placuit: minoribus etiam

in his

in his ſuccurri, quæ non adquiſierunt. vſuræ enim nõ propter lucrum petentium, ſed propter moram non ſoluentium infliguntur. D

In contractibus bonæ fidei veniunt vſuræ ex die conuentionis: qua ceſſante veniunt ex die moræ.

Ex locato qui conuenitur: niſi conuenerit, vt tardius pecuniæ illatæ vſuras deberet: non niſi ex mora vſuras præſtare debet. Fiſcus ex ſuis contractibus vſuras non dat, ſed ipſe accipit: vt ſolet à foricariis, qui tardius pecuniam inferunt: item ex vectigalibus. Cũ autem in locum priuati ſucceſſit, etiam dare ſolet. Si debitores, qui minores ſemiſſibus vſuras præſtabant, fiſci eſſe cœperunt: poſtquam ad fiſcum tranſierunt, ſemiſſes cogendi ſunt præſtare. Eos, qui ex adminiſtratione rerum ciuitatum conueniuntur, vſuris obnoxios eſſe, ſatis notum eſt. Idem obſeruatur in operum curatoribus, ſi pecunia apud eos remãſit. Sed in ea, quam redemptoribus commiſerunt: etiam ſi negligenter dederint, vſura eis remittitur. hæc autem ita ſunt, ſi nulla fraus arguitur. alioquin etiam vſuræ adplicabuntur. Si dies non ſit ab his, qui ſtatuas vel imagines ponendas legauerunt, præfinitus: à præſide tempus ſtatuendum eſt: & niſi poſuerint hæredes, vſuras reipublicæ vſque ad tertiã centeſimæ pendent. E

Dies etiam incertus à principio, ſed ex poſt facto certificatus interpellat.

XVIII. IDEM *lib.* XXXIIII. *ad edictum.* F

EVictis agris, ſi initio conuẽnit, vt venditor precium reſtitueret: vſuræ quoque poſt euictionem præſtabũtur, quamuis emptor poſt dominij litem inchoatam fructus aduerſario reſtituerit. Nam in cõmodum medij temporis emptoris damnum eſt. Poſt traditam poſſeſſionẽ defuncto vẽditore, cui ſucceſſor incertus fuit: medij quoque tẽporis vſuræ precij, quod in cauſſa depoſiti non fuit, præſtabuntur.

Non debet quis condemnari ad fructus rei, in qua fructus nõ cadunt: ſed ad commoditatem, quæ ex ea percipitur: quia loco fructuũ habetur. Bar.

XIX. CAIVS *lib.* VI. *ad leges duodecim tabularũ.*

VIdeamus, an in oĩbus rebus petitis, in fructus quoque con-

que condemnandus ſit poſſeſſor. quid enim, ſi argentum, aut veſtimentū, aliamúe ſimilem rem? quid præterea, ſi vſumfructū, aut nudā proprietatē, cū alien' vſusfructus ſit, petierit? neq; enim nudæ proprietatis (quod ad proprietatis nomen attinet) fructus vllus intelligi poteſt: neq; vſusfructus rurſum fructus elegāter cōputabitur. Quid igitur, ſi nuda proprietas petita ſit? ex quo perdidit fructuarius vſumfructū, æſtimabitur in petitione fructus. Itē ſi vſusfructus petitus ſit: Proculus ait, in fructus perceptos condēnari. Præterea Gallus Aelius putat, ſi veſtimenta, aut ſcyphus petita ſint: in fructu hoc numerādū eſſe, quod locata ea re mercedis nomine capi potuerit. Iter quoque & actus ſi petitus ſit: vix eſt, vt fructus vlli poſſint æſtimari: niſi ſi quis commodum in fructibus numeraret, quod habiturus eſſet petitor, ſi ſtatim eo tēpore, quo petiſſet, ire agere non prohiberetur. quod admittendum eſt.

B

XX. PAVLVS *lib.* XXII. *ad Sabinum.*

Vſuras illicitas ſorti miſtas, ipſas tantùm non deberi conſtat. cæterùm ſortem non viciare.

Qui differt ſolutionem ex iuſta cauſſa, nō committit moram: ſecus ſi ex ficta. Bar.

XXI. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

Sciendum eſt: non omne, quod differendi cauſſa optima ratione fit, moræ adnumerandum. Quid enim, ſi amicos adhibendos debitor requirat, vel expediendo debito, vel fideiuſſoribus rogandis, vel exceptio aliqua allegetur? mora certè facta non videtur.

C

XXII. PAVLVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

SI modò idipſum non fraudandi cauſſa ſimuletur.

XXIII. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictū.*

SEd & ſi reipublicæ cauſſa abeſſe ſubito coactus ſit, vt defenſionem ſui mandare non poſſit, moram facere nō videbitur: ſiue etiam in vinculis hoſtiumúe poteſtate eſſe cœperit. Aliquando & in re mora diſcerni ſolet: ſi forte non exſtat, qui conueniatur.

XXIIII. PAVLVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

SI quis ſolutioni quidem moram fecit, iudicium autem accipere paratus fuit: non feciſſe videtur moram, vtiq; ſi iuſtè ad iudicium prouocauit. Cū reus moram facit, & fide-

& fideiussor tenetur. Mora videtur creditori fieri: siue ipsi, siue ei, cui mandauerat, siue ei, qui negocia eius gerebat, mora facta sit. nec hoc casu per liberam personam adquiri videtur, sed officium impleri. Sicuti cùm quis furtum mihi facientem deprehendit, negocium meum agens: manifesti furti actionem mihi parat. Item cùm procurator interpellauerit promissorem hominis, perpetuam facit stipulationem. D

XXV. IVLIANVS *lib.* VII. *Digestorum.*

QVi scit fundum cum alio sibi communem esse: fructus, quos ex eo percipit, inuito vel ignorãte socio: non maiore ex parte suos facit, quàm ex qua dominus prædij est. nec refert, ipse, an socius, an vterque eos seuerit: quia omnis fructus non iure seminis, sed iure soli percipitur. & quemadmodum si totum fundum alienum quis sciẽs possideat, nulla ex parte fructus suos facit, quoquo modo sati fuerint: ita qui cõmunem fundũ possidet, non faciet fructus suos pro ea parte, qua fundus ad socium eius pertinebit. In alieno fundo, quem Titius bona fide mercatus fuerat, frumẽtum seuit. an Titius bonæ fidei emptor perceptos fructus suos faciat? respondi, quo ad fructus, qui ex fundo percipiuntur: intelligi debet propius eos iis accedere, quę serui operis suis adquirũt: quoniam in percipiendis fructibus magis corporis ius, ex quo percipiũtur, quàm seminis, ex quo oriuntur, inspicitur. & ideo nemo vnquam dubitauit, quin si in meo fundo frumentum tuum seueris: segetes, & quod ex messibus collectũ fuerit, meum fieret. Porro bonæ fidei possessor in percipiendis fructibus id iuris habet, quod dominis prædiorum tributum est. Præterea cùm ad fructuarium pertineant fructus à quolibet sati: quanto magis hoc in bonæ fidei possessore recipiendum est, qui plus iuris in percipiendis fructibus habet? cùm fructuarij quidam non fiant, ante quàm ab eo percipiantur: ad bonæ fidei autem possessorem pertineant, si quoquo modo à solo separati fuerint. Sic & eius, qui vectigalem fundum habet, fructus fiunt, simul atque à solo separati sunt. Bonæ fidei emptor (seuit, &) ante quàm fructus perciperet, cognouit fundum alienum esse. an perceptione fructus suos faciat, quæritur? respõdi. bonæ fidei E F

næ fidei emptor, quo ad percipiẽdos fructus, intelligi debet, quandiu euictus fundus non fuerit. nam & seruus alienus, quem bona fide emero, tamdiu mihi ex re mea, vel ex operis suis adquirit, quandiu à me euictus non fuerit.

A

XXVI. IDEM *lib.* VI. *ex Minicio.*

VEnationem in fructu fundi negauit esse, nisi fructus fundi ex venatione constaret.

Moram sibi commissam transmittit quis ad hæredem. Bartolus.

XXVII. AFRICANVS *lib.* VIII. *Quæstionum.*

CVm patrifamiliâs mora facta sit, iam in hærede eius non quæritur mora. nam tunc hæredi proximo iure hæreditario ea competit. ideoque ad cæteros quoque deinceps transmittitur.

B

XXVIII. CAIVS *lib.* II. *Rerum quotidianarum.*

IN pecudum fructu etiam fœtus est, sicut lac, pili, & lana. Itaque agni, & hœdi, & vituli statim pleno iure sunt bonæ fidei possessoris & fructuarij. Partus † verò ancillæ in fructu nõ est. Itaq; ad dominũ proprietatis pertinet. absurdum enim videbatur hominẽ in fructu esse, cùm omnes fructus rerum natura hominum gratia comparauit.

† *In hunc locũ* Cice. *lib.* I. *de finibus bono. & malo.*

XXIX. MARTIANVS *lib.* XIIII. *Institutionum.*

PLacuit (siue supra statutum modũ quis vsuras stipulatus fuerit, siue vsurarum vsuras) quod quidem illicitè adiectum est, pro non adiecto haberi, & licitas peti posse.

XXX. PAVLVS *lib.* III. *Responsorum.*

C

ETiam ex nudo pacto debentur ciuitatibus vsuræ creditarum ab eis pecuniarum.

XXXI. VLPIANVS *lib.* I. *Responsorum.*

QVod in stipulatiõe sic adiectũ est, ET VSVRAS, SI QVAE COMPETIERINT: nullius esse momenti, si modus certus non adiiciatur.

Mora regulariter non contrahitur re ipsa, sed per interpellationẽ factam congruo loco & tempore: quæ an legitimè facta sit, committitur iudicis arbitrio. & si remissa fuerit, tollitur mora.

XXXII. PAPINIANVS *lib.* IIII. *Responsorum.*

MOra fieri intelligitur non ex re, sed ex persona: id est, si interpellatus opportuno loco, non soluerit. quod apud iudicem examinabitur. Nam (vt & Pomponius, libro duodecimo Epistolarum scripsit) difficilis est huius

rei

rei definitio. Diuus quoque Pius Tullio Balbo rescripsit: an mora facta intelligatur, neque constitutione vlla, neque iuris authorum quæstione decidi posse: cùm sit magis facti, quàm iuris. Et non sufficit ad probationẽ moræ, si seruo debitoris absentis denunciatum sit à creditore procuratoréve eius: cùm etiam si ipsi (inquã) domino denũciatum est, cæterùm cùm postea is sui potestatem faceret, omissa est repetendi debiti instantia: non protinus per debitorem mora facta intelligatur. D

Pater ex sua mora non tenetur ad vsuras. facit. l. cùm filius. in prin. infrà de verborum obligatione. Bartolus.

In bonæ fidei contractibus ex mora vsuræ debentur. Quid ergo si & filiusfamilias & pater ex persona eius teneatur (siue iussu eius contractum est, siue in rem versum est patris, vel in peculium) cuius persona circa morã spectabitur? & si quidem pater dumtaxat conuenitur ex mora sua: non tenetur. in filium tamen dabitur actio in hoc, vt quò minus à patre actor consecutus est, filius præstet. Quòd si filius moram fecerit: tunc actor vel cum ipso in solidum, vel cum patre dumtaxat de peculio actionem habebit. Sed si duo rei promittendi sint: alterius mora alteri non nocet. Item si fideiussor solus moram fecerit: non tenetur, sicuti si Stichum promissum occiderit: sed vtilis actio in hunc dabitur. E

XXXIII. VLPIANVS *lib. sing. de officio curatoris reipublicæ.* F

SI bene collocatæ sunt pecuniæ publicæ in sorté, inquietari debitores nõ debent, & maximè si parient vsuras. si nõ parient: prospicere reipublicæ securitati debet præses prouinciæ: dummodo non acerbum se exactorem, nec contumeliosum præbeat, sed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum instantia humanum. nam inter insolentiã iniuriosam, & diligentiam non ambitiosam multum interest. Præterea prospicere debet, ne pecuniæ publicæ credãtur sine pignoribus idoneis vel hypothecis.

XXXIIII. IDEM *lib. XI. ad edictum.*

VSuræ vicem fructuum obtinent, & merito non debét à fructibus separari: & ita in legatis, & fideicommissis, & in tutelæ actione, & in cæteris iudiciis bonæ fidei seruatur.

seruatur. hoc idem in cæteris obuentionibus dicemus.

XXXV. PAVLVS *lib.* VII. *ad edictum.*

A Lite contestata vsuræ currunt.

XXXVI. VLPIANVS *lib.* I. *ad edictum.*

PRædiorum vrbanorum pensiones pro fructibus accipiuntur.

XXXVII. IDEM *lib.* XI. *ad edictum.*

ET in contraria negociorũ gestorum actione vsuræ veniunt: si mutuatus sim pecuniam, vt creditorem tuum absoluam, qui aut in possessionem mittendus erat bonorũ tuorum, aut pignora vénditurus. quod si domi habens, propter eandem caussam solui: puto verum, si liberaui te magno incommodo, debere dici vsuras venire. eas autem, B quæ in regione frequentantur, vt est in bonæ fidei iudiciis constitutum. sed si mutuatus dedi: hæ vsuræ venient, quas ipse pendo: vtique si plus tibi præstauerim cõmodi, quàm vsuræ istæ colligunt.

Si actione stricti iuris peto quod est, vel fuit meum, veniunt fructus à tempore moræ. sed si peto mihi debitum, tunc à tempore contestatæ litis, sed in actionibus bonæ fidei semper veniunt à tempore moræ. Bartolus.

XXXVIII. PAVLVS *lib.* V. *ad Plautium.*

VIdeam⁹ generatim, quãdo in actione, quæ est in personam, etiam fructus veniant. & quidem si fundus ob rem datus sit, veluti dotis caussa: renunciata adfinitate, fru- C ctus quoque restituendi sunt: vtique si qui percepti sunt eo tempore, quo sperabatur adfinitas. sed & posteriores, si iu re mora fiat ab illo, qui reddere debet, omnimodo restituendi sunt. Sed & si per mulierem stet, quò minus nuptiæ contrahantur: magis est, vt debeat fructus recipere. Ratio autem hæc est: quòd si sponsus non conueniebatur ad restituendos fructus, licuerat ei negligere fundum.

Item si indebitum solui, & repeto: fructus quoque repetere debebo. Idemq́ue est, si mortis caussa fundus sit donatus, & reualuerit, qui donauerat, atque ita condictio nascatur. In Fauiana quoq; actione & Pauliana: per quã, quæ in fraudem creditorum alienata sunt, reuocantur: fructus restituũtur. nam prætor id agit, vt perinde sint omnia, atque si nihil alienatũ esset. quod non est iniquum. Nam & verbum

Iul. Paul⁹ lib. 3. Fabiã legem vocat.

verbum RESTITVAS, quod in hac re prætor dicit: plenam habet significationem, vt fructus quoque restituantur. & ideo cùm restitui prætor vult (veluti in interdicto VNDE VI) etiam fructus sunt restituendi. Item si vi metúsve caussa rem tradam: non aliter mihi restituisse videtur, quàm si fructus restituat: nec mora mea mihi aliquid aufert. Si actionem habeam ad id consequendum, quod meũ non fuit (veluti ex stipulatu:) fructus nõ consequor, etiã si mora facta sit. quod si acceptum est iudiciũ: tunc Sabinus & Cassius ex æquitate fructus quoq; restituendos putant. sed & vt caussa post acceptum iudicium restituatur, puto rectè dici. Ex caussa etiam emptionis fructus restituendi sunt. sed etiam in societate fructus communicandi sunt. Si possessionem naturalem reuocem, proprietas mea manet. videamus de fructibus. & quidem in deposito & cõmodato fructus quoque præstandi sunt, sicut diximus. In interdicto quoq; QVOD VI AVT CLAM magis est, vt omnis caussa & fructus restituatur. D E

Ante matrimonium quoque fructus percepti dotis fiunt, & cum eo restituũtur. eadem ratio est in fructib⁹ prędiorum vrbanorum. Item si diuidere tecum fundum velim, tu nolis, & colam: an fructus diuidi debeant post deductionem impensarum? & puto diuidendos. In cæteris quoque bonæ fidei iudiciis fructus omnimodo præstantur. Si dos prælegata fuerit: ante nuptias percepti fructus in caussa legati veniunt. F

XXXIX. MODESTINVS *lib.* VIII. *Differentiarũ.*

Ca. 8 supra eod. EQuis per fidei cõmissum legatis, post moram hæredis fœtus quoq; debentur. Equitio autem legato, etiam si mora non intercedat, incremento gregis fœtus accedunt.

XL. IDEM *lib.* IIII. *Regularum.*

IN eum diem, quo creditor pignora distraxit, rectè vsuræ fiet computatio.

Vsuræ quæ currebant ante sententiam, currunt etiam post eam pendente appellatione frustratoria: & potest iudex appellationis in illis condemnare.

XLI. IDEM *lib.* II. *Responsorum.*

TVtor cõdemnatus per appellationem traxerat exsecutioné sententiæ. Herennius Modestinus respõdit. eum,

eum, qui de appellatione cognouit, potuiſſe (ſi fruſtratoriam morãdi cauſſa appellationem interpoſitam animad-
A uertiſſet) etiam de vſuris medij temporis eum cõdemnare.

Per oblationem partis debiti, non deſinunt currere vſuræ totius. intellige quod offerebat partem debiti proprietatis: ſed ſi totum, licet non vſuras, cogeretur creditor recipere. C. de ſol. l. i. in princip. coniuncto ſi. l. quod eſt contra Cy. ibi. & l. exhibitus.

Lucius Titius cùm centum & vſuras aliquanti temporis deberet: minorem pecuniam, quam debebat, obſignauit. quæro, an Lucius Titius pecuniæ, quam obſignauit, vſuras præſtare non debeat? Modeſtinus reſpondit. ſi non hac lege mutua pecunia data eſſet, vt liceret & particulatim exſoluere: nõ retardari totius ei9 debiti vſurarũ præ-
B ſtationem, ſi (cùm creditor paratus eſſet totum ſuſcipere) debitor, qui in exſolutione totius ceſſabat, ſolam partem depoſuit. Ab Aulo Agerio Caius Seius mutuam quandam quantitatem accepit. hoc chirographo ille ſcripſit ſe accepiſſe. & accepi ab illo mutuos & numeratos decem, quos ei reddam kalendis Iuliis proximis, cum ſuis vſuris placitis inter nos. quæro, an ex eo inſtrumento vſuræ peti poſſint, & quæ? Modeſtinus reſpondit. ſi nõ appareat, de quibus vſuris conuentio facta ſit, peti eas non poſſe.

XLII. IDEM *lib.* XI. *Reſponſorum.*

HErennius Modeſtinus reſpõdit. fructus, qui poſt adquiſitũ ex cauſſa fideicõmiſſi dominiũ ex terra per-
C cipiuntur, ad fideicõmiſſarium pertinere: licet maior pars anni ante diem fideicõmiſſi cedentẽ præteriſſe dicatur.

Ceßionarius poteſt petere illud, quod poterat cedens etiam iure ſpeciali.

XLIII. IDEM *lib.* XVIII. *Reſponſorum.*

HErennius Modeſtinus reſpõdit. eius temporis, quod ceſſit, poſt quàm fiſcus debitum percepit: eum, qui mandatis à fiſco actionib9 experitur, vſuras: quæ in ſtipulatum deductæ non ſunt, petere poſſe.

XLIIII. IDEM *lib.* X. πανδεκτῶν.

POenam pro vſuris ſtipulari nemo ſupra licitum modum vſurarum poteſt.

XLV. POMPONIVS *lib.* XII. *ad Qu. Mutium.*

FRuctus percipiẽdo vxor vel vir ex re ſibi donata, ſuos

facit illos tantum,quos ſuis operis adquiſierit (veluti ſerendo). Nam ſi pomum decerpſerit, vel ex ſylua ceciderit: non fit eius, ſicuti nec cuiuſlibet bonæ fidei poſſeſſoris: quia non ex facto eius is fructus naſcitur. D

XLVI. VLPIANVS *lib.* XIIII. *ad edictum.*

QVod in fructus redigendos impenſum eſt,non ambigitur ipſos fructus deminuere debere.

XLVII. SCAEVOLA *lib.* V. *Digeſtorum.*

PAratum iudicium accipere, ſi ab aduerſario ceſſatum eſt,moram facere non videri.

XLVIII. IDEM *lib.* XXII. *Digeſtorum.*

MAritus vxori ſuæ vſumfructum tertiæ partis, & cũ liberos habuiſſet,proprietatem legauit.eam vxoré hæredes falſi teſtamenti & aliorũ criminum accuſauerũt. E qua re impedita eſt legatorũ petitio. Interea filius mulieris natus,eoque conditio legati exſtitit.quæſitum eſt. cùm teſtamentum falſum non eſſe apparuerit, an etiam fructus mulieri præſtari debeant?reſpondit.præſtandos.

XLIX. IABOLENVS *lib.* IIII. *ex poſterioribus Labeonis.*

Ca.71.de reg.iur. FRuctus rei eſt,vel pignori dare licere.

DE NAVTICO FOENORE. Tit.II.

MODESTINVS *lib.* XI. πανδεκτῶν.

TRaiectitia pecunia eſt, quæ trans mare vehitur. cæterùm ſi eodem loco conſumatur: non F erit traiectitia. Sed videndum,an merces ex ea pecunia cõparatæ,in ea cauſſa habentur. & intereſt, vtrum etiam ipſæ periculo creditoris nauigent.tunc enim traiectitia pecunia fit.

Proteſtatio de non poſſe interpellare,pro interpellatione habetur.

II. POMPONIVS *lib.* III. *ex Plautio.*

LAbeo ait.ſi nemo ſit,qui à parte ꝓmiſſoris interpellari traiectitiæ pecuniæ poſſit:idipſum cõteſtatione cõplecti debere,vt pro petitione id cederet.

III. MODESTINVS *lib.* IIII. *Regularum.*

IN nautica pecunia ex eo die periculum ſpectat ad creditorem,ex quo nauem nauigare conuenit.

Pro pecunia traiectitia deberi poteſt vſura centeſima quouſq; periculum

riculum pertinet ad creditorem, non vltra:nec pro operis serui missi
A *caussa traiectitia pecunia potest deberi maior vsura quā legitima.*

IIII. PAPINIANVS *lib.* IIII. *Responsorum.*

NIhil intereſt, traiectitia pecunia ſine periculo creditoris accepta ſit, an poſt diem conſtitutum, & conditione impleta, periculum eſſe creditoris deſierit. vtrubiq; igitur maius legitima vſura fœnus non debebitur. ſed in priore quidem ſpecie ſemper, in altera verò diſcuſſo periculo. nec pignora vel hypothecæ titulo maioris vſuræ tenebuntur. Pro operis ſerui, traiectitiæ pecuniæ gratia ſecuti, quod in ſingulos dies in ſtipulatum deductum eſt, ad finem centeſimæ, non vltra duplum debetur. In ſtipulatione fœnoris poſt diem periculi ſeparatim interpoſita,
B quod legitimæ vſuræ deerit, per alteram ſtipulationem vſurarum ſupplebitur.

Quando agitur vt creditor non repetat quod dedit, existente vel non existente aliqua conditione, propter periculum quod suscepit, ad similitudinem pecunia traiectitia potest stipulari cētesimam vsurā: & etiam ex nudo pacto debentur: nisi cadat in contractum innominatum, vel fuerit datio ob caussam: qua secuta cessat repetitio.

V. SCAEVOLA *lib.* III. *Responsorum.*

PEriculi precium eſt, & ſi conditione quauis pœnali non exiſtente, recepturus ſis, quod dederis, & inſuper aliquid præter pecuniam: ſi modò in aleæ ſpeciem non cadat, veluti ea, ex quibus conditiones naſcuntur: vt ſi ma-
C numittas, ſi illud non facias, ſi non conualuero & cætera. Sed nec dubitabis, ſi piſcatori erogaturo in apparatum, plurimum pecuniæ dederim, vt ſi cœpiſſet, redderet: & athletæ, vnde ſe exhiberet, exerceretq́;, vt ſi viciſſet, redderet. In his enim omnibus, & pactum ſine ſtipulatione ad augendam obligationem prodeſt.

Perempta obligatione principali, frustra quaritur hypothecaria. Bartolus.

VI. PAVLVS *lib.* XXV. *Quaestionum.*

FOenerator pecuniam vſuris maritimis mutuam dando, quaſdam merces in naui pignori accepit. ex quibus ſi non potuiſſet totum debitum exſolui: aliarum etiam mercium aliis nauibus impoſitarum, propriiſque fœneratoribus obligatarū, ſi quid ſuperfuiſſet, pignori accepit. quæ-

situm est. naue propria perempta, ex qua totum solui potuit, an id damnum ad creditorem pertineat, intra præstitutos dies: amissa naue: an ad cæterarum nauium superfluum admitti possit? respōdit. aliâs quidem pignoris deminutio ad damnum debitoris, non etiam ad creditorem pertinet. sed cùm traiectitia pecunia ita datur, vt non aliâs petitio eius creditori competat, quàm salua nauis intra statuta tempora peruenerit: ipsius crediti obligatio, non existente conditione, defecisse videtur. ideoque pignorum persecutio perempta est etiam eorum, quæ non sunt amissa. si nauis intra præstitutos dies perisset: & conditionē stipulatiōis deficere videri. ideo sine caussa de pignorū persecutione, quæ in aliis nauibus fuerunt, quæri. quando ergo ad illorum pignorum persecutionem creditor admitti poterit? tunc scilicet, cùm cōditio obligationis exstiterit, aut alio casu pignus amissum fuerit, vel vilius distractum: vel si nauis postea perierit, quàm dies præfinitus periculo exactus fuerit. D E

VII. IDEM *lib.* III. *ad edictum.*

IN quibusdam contractibus etiam vsuræ debentur, quēadmodum per stipulationem. Nam si dedero decem traiectitia, vt salua naue sortem cum cæteris vsuris recipiam: dicendum est, posse me sortem cum vsuris recipere.

VIII. VLPIANVS *lib.* XXVII. *ad edictum.*

SEruius ait. pecuniæ traiectitiæ pœnam peti non posse: si per creditorem stetisset, quò minus eam intra tempus præstitutum accipiat. F

IX. LABEO *lib.* I. *πιθανῶν à Paulo epitomatorum.*

SI traiectitiæ pecuniæ pœna (vti solet) pmissa est: quāuis eo die, qui primus soluendæ pecuniæ fuerit, nemo vixerit, qui pecuniam eam deberet: tamen perinde committi pœna potest, ac si fuisset hæres debitoris.

De probationū diuisiōe & variis pbationū generibus Quintil. lib. 5. Instit. ora. cap. 1.

DE PROBATIONIBVS ET *præsumptionibus.* Tit. III.



PAPINIANVS *lib.* IIII. *Quæstionum.*

QVoties quæreretur, genus vel gentem quis haberet, néc ne: cum probare óportere.

II. PAVLVS *lib.* LXIX. *ad edictum.*

Ei incum-

EI incumbit probatio,qui dicit,non qui negat.

A *Tacitum fideicommissum etiam in testamento intelligitur repetitum,cùm eadem persona est instituta.*

III. PAPINIANVS *lib.* IX. *Responsorum.*

Cvm tacitum fideicommissum ab eo datur, qui tam in primo,quàm in secundo testamento pro eadem parte,vel postea pro maiore hæres scribitur : probatio mutatæ voluntatis ei debet incumbere,qui conuenitur:cùm secreti suscepti ratio plerumque dominis rerum persuadet, eos ita hæredes scribere,quorum fidem elegerunt.

IIII. PAVLVS *lib.* VI. *Responsorum.*

EMptorem probare debere,eum seruum, de quo quæritur,ante quàm emeret,fugisse.

B *In negatiua iuris ei qui negat incumbit probatio.h.d.* Barto. *fallit in minore: vt in spe. de proba.* §.*probare autem.versi. negatiua autem iuris.*

V. IDEM *lib.* IX. *Responsorum.*

AB ea parte, quæ dicit aduersarium suum aliquo iure prohibitum esse : specialiter lege vel constitutione id probari oportet.Ideoq; respondit,si quis neget emãcipationẽ ritè factam,ipsum pręstare debere probationem.

VI. SCAEVOLA *lib.* II. *Responsorum.*

PAtronus manifestè docere debet,libertum in fraudem suam aliquid dedisse,vt partem eius,quod in fraudem datum esset,posset auocare.

C VII. PAVLVS *lib.* II. *Sententiarum.*

Cvm ꝓbatio prioris fugæ deficit,serui quæstioni credendum est.in se enim interrogari, non pro domino aut in dominum videtur.

Filius in dubio præsumitur esse in potestate patris : nisi contrà probetur.

VIII. IDEM *lib.* XIIII. *ad Plautium.*

SI filius in potestate patris se esse neget,prætor cognoscit,vt prior doceat filius:& quia pro pietate,quam patri debet,hoc statuendum est: & quia se liberum esse quodammodo cõtendit. ideo enim & qui proclamat ad libertatem,prior edocere iubetur.

IX. CELSVS *lib.*I. *Digestorum.*

SI pactum factum sit, in quo hæredis mentio non fiat:

quæritur, an id actum sit, vt ipsius dũtaxat debitoris persona artaretur? Sed quamuis verum est, quod qui excipit, D
probare debeat, quod excipitur: attamen de ipso dumtaxat, ac non de hærede eius quoque conuenisse: petitor, non qui excipit, probare debet: quia plerumque tam hæredib⁹ nostris, quàm nobismetipsis cauemus.

X. MARCELLVS *lib.* III. *Digestorum.*

CEnsus, & monumenta publica potiora testibus esse, senatus censuit.

Ex præsenti præsumitur in præteritum.

XI. CELSVS *lib.* XI. *Digestorum.*

NOn est necesse pupillo ꝓbare, fideiussores pro tutore datos, cùm accipiebantur, idoneos non fuisse. nam probatio exigẽda est ab his, quorum officij fuit prouide- E
re, vt pupillo caueretur.

Cùm eadem quãtitas relinquitur in codicillis, quæ relicta fuit in testamento, videtur animo duplicãdi relicta, nisi probetur cõtrariũ.

XII. IDEM *lib.* XII. *Digestorum.*

QVinquaginta testamento tibi legata sunt. idem scriptum est postea in codicillis. refert duplicare legatũ voluerit, an repetere: & an oblitus se in testaméto legasse, id fecerit. ab vtro ergo probatio eius rei exigéda est? prima fronte æquius videtur, vt petitor probet, quod intendit. sed interdũ probationes quædam & à reo exiguntur. nam si creditum petatur, ille respondeat, solutam esse pecuniam: ipse hoc probare cogendus est. & hic F
igitur, cùm petitor duas scripturas ostendit, hæres posteriorem inanem esse, ipse hæres id adprobare iudici debet.

Quando testes producti super ætate à diuersis partibus contrariantur, illis creditur qui verisimilia deponunt.

XIII. IDEM. *lib.* XIII. *Digestorum.*

CVm de ætate hominis quæreretur, Cæsar noster in hęc verba rescripsit. & durum & iniquum est, cùm de statu ætatis alicuius quęritur, & diuersę professiones proferuntur: ei potissimùm stare, quæ noceat. sed caussa cognita veritatem excuti oportet: & ex èo potissimùm annos computari, ex quo præcipuè fidem in ea re constare, credibilius videtur.

Ei incumbit onus probandi, qui non est in quasi possessione illius iuris

iuris quod asserit: quod est verum in iuribus circa personam. secus in
A *iuribus realibus.* Bartolus.

XIIII. VLPIANVS *lib.* II. *de officio consulis.*

CIrca eum, qui se ex libertinitate ingenuum dicit, referendum est, quis actoris partibus fungatur. Et siquidem in possessione libertinitatis fuit: sine dubio ipsum oportebit ingenuitatis caussam agere, doceréq; se ingenuũ esse. Sin verò in possessione ingenuitatis sit, & libertinus esse dicatur scilicet eius, qui ei controuersiam mouet: hoc probare debet, qui eum dicit libertũ suum. quid enim interest, seruum quis suum, an libertum contendat? Si quis autem fiducia ingenuitatis suę vltro in se suscipiat probationes, ad hoc vt sententiam ferat pro ingenuitate facientem,
B hoc est, vt se ingenuum esse pronuncietur: an obtemperari ei debeat, tractari potest. & non ab re esse opinor, moré geri probanti se ingenuum, & sententiam secundum se dandam: cùm nulla captio iuris intercedat.

Confeßio non mutat veritatem, nec nocet quò minus poßit cõtrarium probari: & illi incumbit onus probandi qui agit, non ei qui in poßeßione est.

XV. MODESTINVS *lib.* XII. *Responsorum.*

QVidã quasi ex Seia susceptus Caio Seio, cùm Caius fratres haberet, hęreditatem Caij inuasit: & fratribus eiusdem, quasi ex mãdato defuncti, fideicommissa soluit, & cautionem accepit. qui postea cognito, quod fi-
C lius fratris eorum non fuisset: quærebãt, an cum eo de hæreditate fratris propter emissam ab eis manũ, possint quasi cum filio agere? Modestinus respondit. cautione exsoluti fideicommissi statum eius, qui probari posset à fratribus defuncti filius non esse, minime confirmatum esse: sed hoc ipsum tamen à fratribus probari debere.

XVI. TERENTIVS CLEMENS *lib.* IIII. *ad L. Iuliam & Papiam.*

ETiam matris professio de ætate filiorum recipitur. sed & aui recipienda est.

XVII. CELSVS *lib.* VI. *Digestorum.*

CVm de lege Falcidia quæritur: heredis probatio est, locum habere legem Falcidiam. Quod cùm probare non potest: meritò condemnabitur.

Cùm operæ artificiales petuntur, possessio iuris patronatus nō releuat ab onere probandi. Bartolus. D

XVIII. VLPIANVS *lib.* VI. *Disputationum.*

QVoties operæ quasi à liberto petuntur: probationes ab eo, qui se patronum dicit, exiguntur. & ideo Iulianus scripsit: licet patron' in præiudicio possessor esse videatur: verùm partibus actoris non libertum fungi debere, sed eum, qui se patronū esse contendat. Qui dolo dicit factū aliquid (licet in exceptione:) docere debet, dolum admissum esse. Interrogationis factæ probationem actori imponi debere, id est ei, qui in iure interrogatū dixit respondisse, se solum hæredem esse: sed & si tacuisse dicatur interrogatus, æquè tantumdem erit dicendū: imposita probatione non ei, qui excepit, se non respondisse, sed actori. E

XIX. IDEM *lib.* VII. *Disputationum.*

IN exceptionibus dicendum est, reum partibus actoris fungi oportere, ipsúmque exceptionem velut intentionem implere. vtputa si pacti conuenti exceptione vtatur: docere debet pactū conuentum factū esse. Cùm quis promisit iudicio se sisti, & reipublicæ caussa abfuisse dicatur, & ob id non stetisse: vel dolo malo aduersarij factum, quò minus sisteretur: vel valetudinem sibi impedimento fuisse, vel tempestatem: probare id eum oportet. Sed & si procuratoria quis exceptione vtatur, eo quod nō licuisset aduersario dare, vel fieri procuratorem: probare id oportet obiicientem exceptionem. idem erit dicendum, & si ea pecunia petatur, quæ pensata dicitur. Hoc amplius. si iudicatæ rei, vel iurisiurādi cōditio delata dicatur de eo, quod tunc petitur: siue in alea gestum esse contendatur: eum implere probationes oportet. F

Violenta possessio non releuat possessorem ab onere probandi. cōcordat. C. eodem. l. ius eius.

XX. IVLIANVS *lib.* LXIII. *Digestorum.*

SI quis liberum hominem vi rapuerit, siue vinculis habuerit: is indignissimè commodum possessoris consequetur: quia probari non poterit, hominem eo tēpore, quo primùm lis ordinaretur, in libertate fuisse.

XXI. MARTIANVS *lib.* VI. *Institutionum.*

Verius

A VErius eſſe exiſtimo: ipſum qui agit, id eſt legatarium probare oportere, ſciſſe defunctum alienam ſe rem vel obligatam legare: nõ hæredem probare oportere, ignoraſſe alienã rem vel obligatã: quia ſemper neceſſitas probandi incumbit illi, qui agit.

XXII. VLPIANVS *lib.* I. *Reſponſorum.*

EVm, qui voluntatem mutatam dicit, probare hoc debere.

XXIII. MARTIANVS *lib. ſingulari ad formulam hypothecariam.*

ANte omnia probandũ eſt, quod inter agentem & debitorem cõuenit, vt pignori hypothecæúe ſit. ſed & ſi hoc probet actor: illud quoque probare debet, rem pertinere ad debitorem eo tempore, quo conuenit de pignore: B aut ad eum, cuius voluntate hypotheca data eſt.

XXIIII. MODESTINVS *lib.* III. *Regularum.*

SI chirographum cãcellatum fuerit: licet præſumptione debitor liberatus eſſe videtur: in eam tamen quantitatem, quam manifeſtis probationibus creditor ſibi adhuc deberi oſtendit, rectè debitor conuenitur.

Ex hac. l. nota tria. Primò quòd præſumptio in genere tollitur per præſumptionẽ in ſpecie. Itẽ nota caſum pro opinione quorundã in. l. nemo. infra de exceptioni. quòd duæ exceptiões cõtrariæ poſſunt proponi in eodẽ iudicio: reprobata opinione Dy. *in ca. nullus plurib⁹. de re iud. lib. ſexto. Tertiò nota, quòd ille qui ſoluit indebitũ, debet probare duo, ſcilicet indebitum eſſe: & ſe per errorem ſoluiſſe.* Bartolus. C

XXV. PAVLVS *lib.* III. *Quæſtionum.*

CVm de indebito quæritur, quis probare debet, non fuiſſe debitum: res ita tẽperanda eſt. vt ſi quidem is, qui accepiſſe dicitur rem vel pecuniam indebitã, hoc negauerit: & ipſe, qui dedit, legitimis probationib⁹ ſolutionẽ adprobauerit: ſine vlla diſtinctione ipſum, qui negauit ſeſe pecuniam accepiſſe (ſi vult audiri) compellendum eſſe ad probationes preſtandas, quòd pecuniam debitam acceperit. per enim abſurdum eſt, eum, qui ab initio negauit pecuniam ſuſcepiſſe: poſtquam fuerit conuictus accepiſſe, probationẽ non debiti ab aduerſario exigere. Sin verò ab initio quidem confiteatur ſuſcepiſſe pecunias, dicat autem non indebitas ei fuiſſe ſolutas: præſumptionem videlicet

pro

pro eo esse, qui accepit, nemo dubitat. Qui enim soluit, nũquam ita resupinus est, vt facilè suas pecunias iactet, & indebitas effundat: & maximè si ipse, qui indebitas dedisse dicit, homo diligens est & studiosus paterfamiliâs, cuius personã incredibile est in eo aliquo facilè errasse. & ideo eum, qui dicit indebitas soluisse: compelli ad probationes, quod per dolum accipientis, vel aliquam iustam ignorantiæ caussam indebitum ab eo solutum sit: & nisi ostẽderit, nullam eum repetitionem habere. Sin autem is, qui indebitum queritur, vel pupill', vel minor sit, vel mulier, vel fortè vir quidem perfectæ ætatis, sed miles, vel agricultor, & forensium rerum expers, vel aliâs simplicitate gaudens, & desidiæ deditus: tunc eum, qui accepit pecunias, ostendere bene eas accepisse, & debitas ei fuisse solutas: & si nõ ostenderit, eas redhibere. sed hoc ita, si totam summã indebitam fuisse solutã is, qui dedit, cotendat. Si aũt pro parte queritur, quod pars pecuniæ solutæ debitã non est, vel quod ab initio quidem debitum fuerit, sed vel dissoluto debito postea ignarus iterum soluit, vel exceptione tutus errore eas pecunias dependit: ipsum hoc omnimodo ostendere, quod vel plus debito persoluit, vel iam solutam pecuniam per errorem repetita solutione dependit, vel tutus exceptione nesciens suam proiecit pecuniam: secundum generalem regulam, quæ eos, qui opponendas esse exceptiones affirmant, vel soluisse indebita contendunt, hæc ostendere exigit. In omnibus autem visionibus (quas proposuimus) licentia concedenda est ei, cui onus probationis incumbit, aduersario suo de rei veritate iusiurandum inferre, prius ipso pro calumnia iurante: vt iudex iuramenti fidem secutus, ita sententiam suam possit formare, iure scilicet referendæ religionis eius seruando. Sed hæc vbi de solutione indebiti quæstio est. Sin autem cautio indebitè exposita esse dicatur, & indistinctè loquatur: tunc eum, in quem cautio exposita est, cõpelli debitum ostẽdere, quod in cautionẽ deduxit: nisi ipse specialiter, qui cautionem exposuit, caussas explanauit, pro quibus eandem conscripsit. Tunc enim stare eum oportere suæ cõfessioni: nisi euidentissimis probationibus in scriptis habitis, ostendere paratus sit, sese hæc indebitè promisisse.

D E F

Præsumptionem

Præsumptionem donationis inducunt, ratio sanguinis, taciturnitas longi temporis, & sæpius facta compensatio. & si quod istorum deficeret, secus esset: vt no. infra de adi. lega. l. libertis. §§. i. vbi glo. declarat hanc legem. Bartolus.

A

XXVI. PAPINIANVS *lib.* XX. *Quæstionum.*

PRocula cùm magnæ quantitatis fideicōmissum à fratre sibi debitum, post mortem eius in ratione cum hęredibus pensare vellet: ex diuerso autem allegaretur, nunquam id à fratre, quandiu vixisset, desideratum, cùm variis ex caussis sępè in rationem fratris pecunias ratio Proculæ soluisset: diuus Commodus, cùm super eo negocio cognosceret, non admisit compensationem, quasi tacitè fideicommissum fratri fuisset remissum.

B

Quando quis legat alteri tanquam illi debitum: nec vt debitum petitur nisi probetur debitum, nec vt legatum si legati erat incapax: & talis confessio debiti videtur facta in fraudem legati.

XXVII. SCAEVOLA *lib.* XXXIII. *Digestorum.*

QVi testamentum faciebat, ei, qui vsque ad certum modum capere poterat, legauit licitam quantitatem. deinde ita locutus est. Titio centum do lego, quæ mihi pertulit: quæ ideo ei non caui, quòd omnes fortunas & substantiam, si quam à matre susceperat, in sinu meo habui sine vlla cautione. itē eidem Titio reddi & solui volo de substantia mea centū quinquaginta, quę ego ex reditib⁹ prædiorū eius, quorū ipse fructū percepi, & distraxi: item de kalēdario, si qua à matre receperat Titius, in rem meam conuerti. quæro, an Titius ea exigere potest? respōdi. si Titius suprà scripta ex ratione sua ad testatorem peruenisse probare potuerit: exigi. videri enim eo, quod ille plus capere nō poterat, in fraudē legis hoc in testamēto adiecisse.

C

Qui vult probare memoriam exstare, non habet probare diem vel consulem, sed sufficit testimonium de auditu. Item qui vult probare memoriam non exstare, probare debet quod hæc est omnium opinio, quod non exstat.

XXVIII. LABEO *li.* VIII. πιθανῶν *à Paulo epitomatorū.*

SI arbiter animaduertere debeat, an operis facti memoria exstet: hoc ei quærendum est, an aliquis meminerit, id opus factum esse. PAVLVS. imò cùm ab arbitro quæritur, memoria facti operis exstet, nec ne: non hoc quæritur, num

tur,num aliquis meminerit,quo die aut quo consule factũ sit:sed num hoc aliquo modo probari possit, quàm pridẽ id opus factum sit : & ita hoc, quod Græci dicere solent ἐν πλάτει. potest enim hoc memoria teneri,nõ intra annũ (puta)factum:cũ interim nemo sit eorum,qui meminerit, quibus consulibus id viderit : sed cũ omnium hæc est opinio,nec audisse,nec vidisse, cũ id opus fieret, neque ex his audisse,qui vidissent, aut audissent : & hoc infinitẽ similiter sursum versum accideret:tum memoria facti operis non exstaret. D

XXIX. SCAEVOLA *lib.* IX. *Digestorum.*

IMperatores Antoninus & Verus AA. Claudio Apollinari rescripserunt in hæc verba. Probationes, quæ de filiis dantur,nõ in sola adfirmatione testium consistunt:sed & epistolas,quæ vxoribus missæ allegantur(si de fide earum consistat)non nullam vicem instrumentorum obtinere decretum est. Mulier grauida repudiata, filium enixa absente marito,spurium in actis professa est. quæsitum est, an is in potestate patris sit:& matre mortua intestata, iussu eius hæreditatem matris adire possit, nec obsit professio à matre irata facta?respondit. veritati locũ superfore. E

XXX. IDEM *lib.* I. *Responsorum Festo respondit.*


SI ancilla fuit:ad libertatem perductam nõ videri, neque per fideicõmissi relicti sibi probationẽ, nec quod alimenta sunt,vt nutrici,præstita.

XXXI. IDEM *lib.* II. *Respondit Materno Sabino.* F

COmmemorationem in chirographo pecuniarũ, quæ ex alia caussa deberi dicũtur,factam:vim obligationis non habere.

DE FIDE INSTRVMENTORVM, *& amißione eorum.* Tit. IIII.

PAVLVS *lib.* II. *Sententiarum.*



INstrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus caussa instrui potest. & ideo tam testimonia, quàm personæ instrumentorum loco habentur.

II. IDEM *lib.* V. *Sententiarum.*

Quicunque

A QVicunque à fisco conuenitur, non ex indice & exẽplo alicuius scripturæ, sed ex authentico conueniẽdus est: vt ita contractus fides possit ostendi. cæterùm calumniosam scripturam vim in iudicio obtinere non conuenit.* *Quam scripturã in iudicio vim obtinere conueniat Ci. in oratio. pro Roscio Comœdo.

Socius eiusdem criminis nõ potest alium socium accusare, sed an contra eum testificari, uide quod no. extra de testi. c. veniens. & .C. de testi. quoniam liberi.

III. IDEM *lib.* II. *Responsorum respondit.*

REpetita quidem die cautionem interponi nõ debuisse: sed falsi crimen, quantum ad eos, qui in hoc consenserunt, contractum non videri: cũ inter præsentes & conuenientes res actitata sit, magisq́ue debitor, quàm creditor deliquerit. B

Ius pignoris & hypothecæ solo consensu contrahitur.

IIII. CAIVS *lib. Singulari de formula hypothecaria.*

IN re hypothecæ nomine obligata, ad rem non pertinet, quibus fit verbis: sicuti est in his obligationibus, quæ consensu contrahuntur. & ideo sine scriptura si conuenit, vt hypothecæ sit, & probari poterit: res obligata erit, in qua conuenerunt. fiunt eni de his scripturæ, vt quod actum est, per eas facilius probari possit. & sine his autem valet, quod actum est, si habeat probationem: sicuti & nuptiæ sunt, licet testatio sine scriptis habita est. *c.4. de pi.*

V. CALLISTRATVS *lib.* II. *Quæstionum.*

C SI res gesta sine literarum quoque consignatione veritate factum suũ præbeat: nõ ideo minus valebit, quod instrumentum nullum de ea intercessit.

VI. VLPIANVS *lib.* L. *ad edictum.*

SI de tabulis testamenti deponendis agatur, & dubitetur, cui eas deponi oportet: semper seniorem iuniori, & amplioris honoris inferiori, & marem fœminæ, & ingenuum libertino praeferemus.

DE TESTIBVS. Tit. V.

ARCADIVS *qui & Charisius, lib. singulari de testibus.*



TEstimoniorũ vsus frequens ac necessarius est, & ab his præcipuè exigendus, quorum fides non vacillat. Adhiberiq́ue testes possunt non solùm

solũ in criminalibus caussis, sed etiam in pecuniariis litibus, sicubi res postulat: & hi, quibus non interdicitur testimonium, nec vlla lege à dicẽdo testimonio excusantur. D

Quanquam quibusdam legibus amplissimus numerus testium definitus est: tamen ex cõstitutionibus principum hæc licentia ad sufficientem numerum testium coartatur: vt iudices moderẽtur, & eum solũ testium numerum, quõ necessarium esse putauerint, euocari patiantur: ne effrenata potestate ad vexãdos homines, superflua multitudo testium protrahatur.

II. MODESTINVS *lib.* VIII. *Regularum.*

IN testimoniis autẽ fides, dignitas, mores, grauitas examinanda est. & ideo testes, qui aduersus fidem testationis suæ vacillant, audiendi non sunt. E

III. CALLISTRATVS *lib.* IIII. *de cognitionibus.*

** In hunc locũ Cic. in orat. pro Fõteio & in ora. pro Flac. Quintil. li. 5. insti. orato. ca. 1. Vale Maxi. lib. 8. capi. 5.*

TEstium* fides diligenter examinanda est, ideoq̃ue in persona eorum exploranda erunt. in primis conditio cuiusque: vtrum quis decurio, an plebeius sit: & an honestæ & inculpatæ vitæ, an verò quis notatus & reprehensibilis: an locuples, vel egens sit, vt lucri caussa quid facile admittat: vel an ei inimicus sit aduersus quem testimoniũ fert: vel amicus ei, pro quo testimonium dat. Nã si careat suspitione testimonium vel propter personam, à qua fertur, quod honesta sit: vel propter caussam, quod neque lucri, neque gratiæ, neque inimicitiæ caussa fiat: admittendũ est. Ideoq̃ue diuus Hadrianus Iunio Varo legato prouinciæ Ciliciæ rescripsit: eum, qui iudicat, magis scire posse, quanta fides habẽda sit testibus. Verba epistolæ hæc sunt. Tu magis scire potes, quanta fides habenda sit testibus. quin & cuius dignitatis, & cuius existimationis sint: & qui simpliciter visi sunt dicere, vtrum vnum eundemq̃ue & præmeditatum sermonem attulerint: an ad ea, quæ interrogaueras, ex tempore verisimilia responderint. Eiusdẽ quoque principis exstat rescriptum ad Valerianum Verũ de excutienda fide testium in hæc verba. Quæ argumenta, ad quem modũ, probandæ cuique rei sufficiant: nullo certo modo satis definiri potest. Sicut non semper, ita sæpe sine publicis monumentis cuiusque rei veritas deprehenditur: aliâs numerus testium, aliâs dignitas & authoritas, F

aliâs

aliâs veluti cōſentiens fama cōfirmat rei,de qua quęritur, fidé.hoc ergo ſolū tibi ſcribere poſſum ſummatim : non
A vtique ad vnam probationis ſpecié cognitioné ſtatim alligari debere,ſed ex ſentētia animi tui te exiſtimare oportere,quid aut credas,aut parum probatum tibi opineris.

Idem diuus Hadrianus Iunio Rufino proconſuli Macedoniæ reſcripſit,teſtibus ſe,non teſtimoniis crediturū. Verba epiſtolæ ad hanc parté pertinentia hæc ſunt.Quod crimina obiiciebat apud me Alexander Apro,& non probabat,nec teſtes producebat, ſed teſtimoniis vti volebat, quibus apud me locus non eſt: (nam ipſe eos interrogare ſoleo)ipſum remiſi ad prouinciæ præſidem, vt is de fide teſtium quæreret:& ſi non impleſſet,quod intendebat,relegaretur. Caninio quoque Maximo in hæc verba idé
B princeps reſcripſit. Alia eſt authoritas præſentium teſtiū, alia teſtimoniorum,quæ recitari ſolent. tecum ergo delibera, vt ſi detinere eos velis des eis impendia. Lege Iulia de vi cauetur, ne hac lege in reum teſtimonium dicere liceat ei,qui ſe ab eo parenteúe eius liberauerit:quiúe impubes erit:quiq́ue iudicio publico damnatus erit, qui eorum in integrum reſtitutus non erit:quiúe in vinculis,cuſtodiaúe publica erit:quiúe ad beſtias,vt depugnet,ſe locauerit:quæúe palam quæſtum faciat,feceritúe:quiúe ob teſtimonium dicendum,vel non dicendum, pecuniam accepiſſe iudicatus vel conuictus erit. nam quidam propter
C reuerentiam perſonarum, quidam propter lubricum conſilij ſui,alij verò propter notam & infamiam vitæ ſuæ,admittendi non ſunt ad teſtimonij fidem.

*In iis quæ ſpectant ad litis ordinationem,debemus inſpicere cōſuetudinem loci vbi agitur:vt hic,&c.C.de iura.cal.l.ii.circa finem: ſecus in iis quæ pertinent ad litis deciſionem.dixi in. l.fundus,ſupra de emct.& in.l.i.ſupra de vſuris.*Bar.

Teſtes non temere euocandi ſunt per longum iter : & multo minus milites auocandi ſunt à ſignis, vel muneribus,perhibendi teſtimonij cauſſa . idq́ue diuus Hadrianus reſcripſit.Sed & diui fratres reſcripſerunt . Quod ad teſtes euocandos pertinet: diligentiæ iudicantis eſt explorare,quæ cōſuetudo in ea prouincia,in qua iudicat, fuerit. nam ſi probabitur,ſæpe in aliam ciuitatem teſtimonij gratia ple-

tia pleroſque euocatos: non eſt dubitandum, quin euocandi ſint, quos neceſſarios in ipſa cognitione deprehẽderit, qui iudicat. D

IIII. PAVLVS *lib.* II. *ad L. Iuliam & Papiam.*

LEge Iulia iudiciorum publicorum cauetur, ne inuito denuncietur, vt teſtimoniũ litis dicat aduerſus ſocerũ, generum, vitricũ, priuignũ, ſobrinũ, ſobrinã, ſobrinoúe natum, eoſúe, qui priore gradu ſint. item ne liberto ipſius liberorumúe eius, parentum, viri, vxoriſúe. Et vt nec patroni, patronæúe aduerſus libertos: neque liberti aduerſus patronum cogantur teſtimonium dicere.

V. CAIVS *lib.* IIII. *ad L. Iuliam & Papiam.*

IN legibus, quibus excipitur, ne gener aut ſocer inuitus teſtimonium dicere cogatur: generi appellatione ſponſum filiæ quoq; contineri placet: itẽ ſoceri, ſponſæ patrẽ. E

VI. LICINIVS RVFINVS *lib.* II. *Regularum.*

IDonei non videntur eſſe teſtes, quibus imperari poteſt, vt teſtes fiant.

VII. MODESTINVS *lib.* III. *Regularum.*

SErui reſponſo tunc credendum eſt, cùm alia probatio ad eruendam veritatem non eſt.

VIII. SCAEVOLA *lib.* III. *Regularum.*

INuiti teſtimonium dicere non coguntur ſenes, valetudinarij, vel milites, vel illi, qui cũ magiſtratu reipublicæ cauſſa abſunt, vel quibus venire non licet.

IX. PAVLVS *lib.* I. *ad Sabinum.* F

TEſtis idoneus pater filio, aut filius patri non eſt.

X. POMPONIVS *lib.* I. *ad Sabinum.*

NVllus idoneus teſtis in re ſua intelligitur.

XI. IDEM *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

AD fidem rei geſtæ faciendam etiam non rogatus teſtis intelligitur.

XII. VLPIANVS *lib.* XXXVII. *ad edictum.*

VBi numerus teſtium non adiicitur, etiã duo ſufficiẽt. pluralis enim locutio duorum numero contenta eſt.

Nota quod cauſſa euitandæ abſurditatis debet fieri extenſio legis ad caſum non expreſſum, habentem ſimilem rationem. Bar.

XIII. PAPINIANVS *lib. ſingulari de adulteris.*

QVæſitum ſcio, an in publicis iudiciis calumniæ dãnati,

nati, testimonium iudicio publico perhibere possint? sed
A neque lege Rhemmia prohibetur: & lex Iulia de vi, & repetundarum, & peculatus, eos homines testimonium dicere non vetuerunt. veruntamen quod legibus omissum est, non omittetur religione iudicantium: ad quorum officiũ pertinet, eius quoque testimonij fidem, quod integræ frontis homo dixerit, perpendere.

XIIII. IVLIANVS *lib. singulari de ambiguitatibus.*

SCio quidem tractatum esse, an ad testamentum faciẽdum adhiberi possit adulterij damnatus. Et sanè iustè testimonij officio interdictum ei existimo. Ergo neque iure ciuili testamentũ valere, ad quod huiusmodi testis processit: neque iure prætorio, quod ius ciuile subsequitur:
B & neq; hæreditas adiri, neq; bonorũ possessio dari possit.

XV. PAVLVS *lib.* III. *Sententiarum.*

REpetundarum damnatus, nec ad testamentum, nec ad testimoniũ adhiberi potest. Hermaphroditus an ad testamentum adhiberi possit, qualitas incalescentis sexus ostendit.

XVI. IDEM *lib.* V. *Sententiarum.*

QVi falsa vel varia testimonia dixerunt, vel vtrique parti prodiderunt: à iudicibus cõpetenter puniãtur.

XVII. VLPIANVS *lib. singulari Regularũ.*

PAter & filius, qui in potestate eius est, item duo fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt: testes vtri-
C que in eodem testamento, vel eodẽ negocio fieri possunt: quoniã nihil nocet ex vna domo plures testes alieno negocio adhiberi.

XVIII. PAVLVS *lib.* II. *de adulteriis.*

EX eo, quod prohibet lex Iulia de adulteriis testimonium dicere condemnatam mulierem: colligitur etiã mulieres in iudicio testimonij dicendi ius habere.

XIX. VLPIANVS *lib.* VIII. *de officio proconsulis.*

INuiti testimonium nõ dicunt publicani. item is, qui nõ detrectandi testimonij caussa aberit. item is, qui quid exercitui præbendum conduxerit. Sed nec pupillis testimonium denunciari potest.

XX. VENVLEIVS *lib.* II. *de iudiciis publicis.*

IN testimonium accusator citare non debet eum, qui in

ee iudicio

iudicio publico reus erit, aut qui minor viginti annis erit.

XXI. ARCADIVS *qui & Chariſius lib. ſingulari de teſtibus.* D

OB carmen famoſum dãnatus inteſtabilis fit. Illud quoque incunctabile eſt, vt ſi res exigat, non tantùm priuati, ſed etiam magiſtratus (ſi in præſenti ſint) teſtimonium dicant. Item ſenatus cenſuit, prætorem quoque dare debere teſtimonium in iudicio adulterij cauſſa. Si ea rei conditio ſit, vt arenariũ teſtem, vel ſimilem perſonam admittere cogamur: ſine tormentis teſtimonio eius credendum non eſt. Si teſtes omnes eiuſdem honeſtatis & exiſtimationis ſint, & negocij qualitas ac iudicis mot⁹ cũ his cõcurrat: ſequẽda ſunt omnino teſtimonia. Si verò ex his quidam aliud dixerint (licet impari numero) credendum E quidem eſt, ſed quod naturæ negocij cõuenit, & quod inimicitiæ aut gratiæ ſuſpitione caret: confirmabitque iudex motũ animi ſui ex argumẽtis & teſtimoniis, quę rei aptiora, & vero proximiora eſſe cõpererit. Non enim ad multitudinẽ reſpici oportet, ſed ad ſynceram teſtimoniorum fidem, & teſtimonia, quibus potius lux veritatis adſiſtit.

XXII. VENVLEIVS *lib. II. de officio proconſulis.*

CVrent magiſtratus cuiuſque loci teſtari volentibus, & ſeipſos, & alios teſtes vel ſignatores præbere: quò facilius negocia explicentur, & probatio rei ſalua ſit.

XXIII. IDEM *lib. I. de iudiciis publicis.*

PRoduci teſtis non poteſt, qui antè in eum reum teſtimonium dixit. F

XXIIII. PAVLVS *lib. V. Sententiarum.*

TEſtes eos, quos accuſator de domo produxit, interrogari non placuit.

XXV. ARCADIVS *lib. ſingulari de teſtibus.*

MAndatis cauetur, vt præſides attendant, ne patroni in cauſſa, cui patrocinium præſtiterunt, teſtimonium dicant. quod & in exſecutoribus negociorum obſeruandum eſt.

DE IVRIS ET FACTI IGNOrantia. Tit. VI.

PAVLVS *lib. XLIIII. ad edictum.*

Ignorantia


A Gnorãtia vel iuris vel facti est. nam si quis nesciat decessisse eum, cuius bonorum possessio defertur: non cedit ei tempus. sed si sciat quidem defunctum esse cognatum, nesciat autem proximitatis nomine bonorum possessioné sibi deferri: aut se sciat scriptum hæredem, nesciat autem, quod scriptis hæredibus bonorum possessionem prætor promittat: cedit ei tempus, quia in iure errat. Idem & si frater consanguineus defuncti credat matrem potiorem esse.

Si quis nesciat se cognatũ esse: interdum in iure, interdum in facto errat. nam si & liberum se esse, & ex quibus natus sit, sciat, iura autem cognationis habere nesciat: in iure errat. at si fortè expositus, quorum parentum sit, ignoret: fortasse & seruiat alicui, putans se seruum esse: in facto
B magis, quàm in iure errat. Item si quis sciat, alij quidem bonorum possessionem delatam esse, nesciat autem ei tempus præteriisse bonorum possessionis: in facto errat. Idem est, & si putet eum bonorum possessionem accepisse. sed si sciat eum non petiisse, tépusque ei præteriisse, ignoret autem sibi ex successorio capite bonorum possessionem cõpetere: cedet ei tempus, quia in iure errat. Idem dicemus, si ex asse hæres institutus, non putet se bonorum possessioné petere posse ante apertas tabulas. quod si nesciat esse tabulas: in facto errat.

II. NERATIVS *lib.* V. *Membranarum.*

C IN omni parte error in iure non eodem loco, quo facti ignorantia, haberi debebit: cùm ius finitum esse & possit & debeat, facti interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallat.

III. POMPONIVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

PLurimum interest, vtrum quis de alterius caussa & facto non sciat, an de iure suo ignoret. sed Cassius ignorantiam Sabinum ita accipiendam existimasse refert, non deperditi & nimium securi hominis.

IIII. IDEM *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

IVris ignorantia in vsucapione negatur prodesse, facti verò ignorantiam prodesse constat.

V. TERENTIVS CLEMENS *lib.* II. *ad L. Iuliam & Papiam.*

INiquissimum videtur, cuiquam scientiam alterius, quã suam, nocere: vel ignorantiam alterius prodesse. D

VI. VLPIANVS *lib* XVIII. *ad* L. *Iuliã & Papiã.*

NEc supina ignorantia ferenda est factum ignorantis, nec scrupulosa inquisitio exigenda. Sciētia enim hoc modo æstimāda est: vt neq; negligētia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit, neq; delatoria curiositas exigat.

VII. PAPINIANVS *lib.* XIX. *Quæstionum.*

IVris ignorantia non prodest adquirere volentibus, suũ verò petentibus non nocet.

VIII. IDEM *lib.* I. *Definitionum.*

ERror facti ne maribus quidem in damnis vel compēdiis obest: iuris autem error nec fœminis in compendiis prodest. cæterùm omnibus iuris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet. E

IX. PAVLVS *lib. singulari de iuris & facti ignorantia.*

REgula est. iuris quidem ignorantiam cuique nocere, facti verò ignorantiam nō nocere. Videamus igitur, in quibus speciebus locum habere possit: antè præmisso, quod minoribus vigintiquinq; annis ignorare permissum est. quod & fœminis in quibusdam propter sexus infirmitatem datur. & ideo, sicubi non est delictum, sed iuris ignorantia: non læduntur. Hac ratione si minor vigintiquinque annis filiofamiliâs crediderit: subuenitur ei, vt nō videatur filiofamiliâs credidisse. Si filiusfamiliâs miles à commilitone hæres institutus, nesciat sibi etiam sine patre licere adire: per constitutiones principales ius ignorare potest. & ideo dies ei actionis cedit. Sed facti ignorantia ita demum cuique non nocet, si non ei summa negligentia obiiciatur. Quid enim si omnes in ciuitate sciant, quod ille solus ignorat? Et rectè Labeo definit, scientiam neque curiosissimi (neque negligentissimi) hominis accipiendam: verùm eius, qui eam rem diligenter inquirendo, notam habere possit. Sed iuris ignorantiam non prodesse, Labeo ita accipiendum existimat: si iuriscōsulti copiã habeat, vel sua prudentia instructus sit: vt cui facile sit scire, ei detrimento sit iuris ignorantia. quod rarò accipiendum est. Qui ignorauit venditorem rei dominum esse: plus in re est, quàm in existimatione mētis. & ideo tametsi F

existi-

existimet se non à domino emere: tamen si à domino ei tra
A datur, dominus efficitur. Si quis ius ignorans, lege Falcidia vsus non sit: nocere ei, dicit epistola diui Pij. Sed & imperatores Seuer⁹ & Antoninus in hæc verba rescripserunt. Quod ex caussa fideicommissi indebitum datum est, si non per errorem solutũ est, repeti nõ potest. Quamobrẽ Cargiliani hæredes, qui cũ ex testamento eius pecuniã ad opus aquæductus reipublicæ Cyrenensium relictam soluerint: non solũ cautiones non exegerunt, quæ interponi solent, vt quod amplius cepissent municipes, quàm per legem Falcidiam licuisset, redderent: verumetiam stipulati sunt, ne ea summa in alios vsus conuerteretur, & scientes prudẽtesque passi sunt eam pecuniam in opus aquæduct⁹
B impendi: frustra postulant reddi sibi à republica Cyrenẽsium, quasi plus debito dederint: cũ sit vtrumque iniquũ, & pecuniam, quæ ad opus aquæductus data est, repeti: & rempublicam ex corpore patrimonij sui impendere in id opus, quod totum alienæ liberalitatis gloriam repræsentet. Quod si ideo repetitionẽ se eius pecuniæ habere dicunt, quod imperitia lapsi, legis Falcidiæ beneficio vsi nõ sint: sciant ignorantiam facti, non iuris prodesse: nec stultis solere succurri, sed errantibus. *Et licet municipum mentio in hac epistola fiat: tamen & in qualibet persona idem obseruabitur. sed nec quod in opere aquæductus relicta esse pecunia proponitur, in hunc solũ casum cessare
C repetitionem, dicendum est. nam initium constitutionis generale est. demonstrat enim, si nõ per errorem solutum sit fideicommissum, quod indebitum fuit, non posse repeti. Item & illa pars æquẽ generalis est: vt qui iuris ignorantia legis Falcidiæ beneficio vsi non sint, possint repetere. vt secundum hoc possit dici: etiam si pecunia, quæ per fideicõmissum relicta est, quæque soluta est, non ad aliquid faciendum relicta sit: & licet consumpta non sit, sed exstet apud eum, cui soluta est: cessare repetitionem.

X. PAPINIANVS *lib.* VI. *Responsorum.*

IMpuberes sine tutore agentes, nihil posse de facto vel de iure scire intelliguntur.

DIGESTORVM SEV PANDE*ctarum liber uicesimus tertius.* D

De iure & more veterum sponsaliorum Gel, li.4.ca.4.

DE SPONSALIBVS. Tit. I.

FLORENTINVS *lib.*III.*Institutionum.*



SPONSALIA sunt, mẽtio & repromissio futurarum nuptiarum.

II. VLPIANVS *lib. singulari de sponsalibus.*

SPonsalia dicta sunt à spondendo. E nam moris fuit veteribus stipulari,& spondere sibi vxores futuras.

III. FLORENTINVS *lib.* III.*Institutionum.*

VNde & sponsi sponsæque appellatio nata est.

*Contrahuntur sponsalia nudo consensu inter præsentes, vel inter absentes per epistolam.*Bal.

IIII. VLPIANVS *lib.*XXXV.*ad Sabinum.*

SVfficit nudus cõsensus ad constituenda sponsalia. Denique constat & absenti absentem desponsari posse, & hoc quotidie fieri.

V. POMPONIVS *lib.*XVI.*ad Sabinum.* F

HAec ita,si scientibus his,qui absunt, sponsalia fiant: aut si postea ratum habuerint.

VI. VLPIANVS *lib.*XXXV.*ad Sabinum.*

SI puellæ tutores ad infringenda sponsalia nunciũ miserint: non putarim suffecturum ad dissoluendam nuptiarum spem hunc nuncium:non magis, quàm sponsalia posse eos solos constituere.nisi fortè omnia ista ex voluntate puellæ facta sint.

*Tantũ valet id quod fit cũ scriptura,quantũ id quod fit sine scriptura.*Baldus.

VII. PAVLVS *lib.*XXXV.*ad edictum.*

IN spõsalibus nihil interest, vtrũ testatio interponatur, an aliquis sine scriptura spõdeat. In sponsalibus etiã consen-

consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis deside-
A ratur. intelligi tamen semper filiæ patrem consentire, nisi euidenter dissentiat, Iulianus scribit.

Quædam impediunt facienda, quæ non impediunt iam facta.

VIII. CAIVS *lib.* XI. *ad edictum prouinciale.*

FVror, quin sponsalibus impedimento sit, plus quàm manifestum est; sed postea interueniens, sponsalia non infirmat.

IX. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

QVæsitum est apud Iulianũ, an spõsalia sint ante duodecimum annũ, si fuerint nuptiæ collatæ? Et semper Labeonis sententiã probaui existimãtis, siquidem præcesserint sponsalia: durare ea, quamuis in domo
B loco nuptæ esse cœperit. Si verò non præcesserint: hoc ipso, quod in domum deducta est, nõ videri sponsalia facta, quam sententiam Papinianus quoque probat.

X. IDEM *lib.* III. *Disputationum.*

IN potestate manente filia, pater sponso nuncium remittere potest, & sponsalia dissoluere. Enimuero si emancipata est: non potest, neque nuncium remittere, neque quæ dotis caussa data sunt, condicere. ipsa enim filia nubendo efficit dotem esse, condictionemq́ue exstinguit, quæ caussa non secuta nasci poterat. Nisi fortè quis proponat, ita dotem patrem pro emancipata filia dedisse: vt si nuptiis non consentiret, repeteret, quæ dederat. tunc enim habebit
C repetitionem.

Sponsalia consensu filiæ contrahuntur: quæ filia patri consentire debet, licet contradicere posset, si haberet iustam caussam contradicendi. Bartolus.

XI. IVLIANVS *lib.* XVI. *Digestorum.*

SPonsalia, sicut nuptiæ, consensu contrahentium fiunt: & ideo sicut nuptiis, ita sponsalibus filiamfamiliâs cõsentire oportet.

XII. VLPIANVS *lib. singulari de sponsalibus.*

SEd ea, quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur. Tunc autem solum dissentiendi à patre licentia filiæ conceditur: si indignum moribus, vel turpem sponsum pater ei eligat.

XIII. PAVLVS *lib.* V. *ad edictum.*

Filiofamiliâs dissentiente, sponsalia eius nomine fieri non possunt. D

XIIII. MODESTINVS *lib.* IIII. *Differentiarũ.*

In sponsalibus† contrahendis ætas contrahentium definita nõ est, vt in matrimoniis. Quapropter à primordio ætatis sponsalia effici possunt: si modò id fieri ab vtraque persona intelligatur, id est, si non sint minores, quàm septẽ annorum.

†Quæ ætas matrimoniis definienda, Plato dialo. sexto de legib' circa finem.

XV. IDEM *lib. singulari de enucleatis casibus.*

Tutor factam pupillam suã, nec ipse vxorem ducere, nec filio suo in matrimonio adiungere potest. Scias tamen, quod de nuptiis tractamus, & ad spõsalia pertinere.

Cùm aliquid prohibetur, videtur esse omne illud prohibitum, per quod peruenitur ad illud. Et quando aliquid permittitur, videntur esse omnia permissa per quæ peruenitur ad illud. Bal. E

XVI. VLPIANVS *lib.* III. *ad L. Iuliã & Papiã.*

Oratio imperatorum Antonini & Cõmodi, quæ quasdam nuptias in personã senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil locuta est: rectè tamen dicitur, etiam sponsalia in his casibus ipso iure nullius esse momenti: vt suppleatur, quod orationi deest.

Sponsus debet exspectare sponsam etiam vltra quadriẽniũ, si iusta & necessaria caussa interueniat. Bartolus.

XVII. CAIVS *lib.* I. *ad L. Iuliam & Papiam.*

Saepe iustæ ac necessariæ caussæ non solũ annum, vel biennium, sed etiam per triennium, & quadriennium, & vlterius trahunt sponsalia: veluti valetudo sponsi sponsæve, vel mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quæ ex necessitate fiunt. F

Sponsalia possunt contrahi inter præsentes vel absentes per nuncium vel per epistolam. Baldus.

XVIII. VLPIANVS *lib.* VI. *ad edictum.*

In sponsalibus constituendis parui refert, per se & coram, an per nuncium, vel per epistolam, an per aliũ hoc factum sit. & ferè plerumque conditiones interpositis expediuntur.

In hũc titulũ Alex. ab Alexã.

DE RITV NVPTIARVM. Tit. II.

MODESTINVS *lib.* I. *Regularum.*

Nuptiæ

A NVptiæ sunt coniunctio maris & fœminæ, consortium omnis vitæ, diuini & humani iuris cōmunicatio.

lib. 1. genia. die. c. 24. vbi diffusè diuersos in contrahendis nuptiis gētiū mores declarat. Idē etiam lib. 2. ca. 5

II. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictū.*

NVptiæ consistere nō possunt, nisi consentiant omnes: id est qui coëunt, quorumq́; in potestate sunt.

Inter fratres consobrinos nuptiæ contrahuntur, etiam si solus consensus interuenerit. Bal.

III. IDEM *lib.* I. *ad Sabinum.*

SI nepotem ex filio, & neptem ex altero filio in potestate habeam: nuptias inter eos me solo authore contrahi posse, Pomponius scribit, & verum est.

Nuptiæ imperfectæ propter defectum ætatis contractæ, adueniente legitima ætate perficiuntur. Bal. B

IIII. POMPONIVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

MInorem annis duodecim nuptam tunc legitimā vxoré fore, cū apud virū impleffet duodecim annos.

Verba de futuro prolata matrimoniū inducunt, si mulier ducatur ad domum viri. secus si vir vadat ad domum vxoris. Bartolus.

V. IDEM *lib.* IIII. *ad Sabinum.*

MVlierem absenti per literas eius, vel per nuncium posse nubere placuit, si in domum eius deduceretur: eam verò, quæ abesset, ex literis vel nuncio deduci à marito non posse. deductione enim opus esse in mariti, nō in vxoris domum: quasi in domicilium matrimonij.

C VI. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

DEnique Cinna scribit: eum, qui absentem accepisset vxorem, deinde rediens à cœna iuxta Tyberim perisset: ab vxore lugendum, responsum esse.

VII. PAVLVS *lib.* I. *ad L. Iuliam.*

IDeoq́ue potest fieri, vt in hoc casu aliqua virgo, & dotem, & de dote habeat actionem.

VIII. POMPONIVS *lib* .V. *ad Sabinum.*

LIbertinus libertinam matrem aut sororem vxorem ducere non potest: quia hoc ius moribus, non legibus introductum est.

IX. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

SI nepos vxorem velit ducere auo furente: omnimodo patris authoritas erit necessaria. Sed si pater furiat,

auus

auus ſapiat: ſufficit aui voluntas. Is, cuius pater ab hoſtibus captus eſt (ſi non intra triennium reuertatur) vxorem ducere poteſt. D

X. PAVLVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

SI ita pater abſit, vt ignoretur, vbi ſit, & an ſit: quid faciendum ſit, merito dubitatur. Et ſi trienniũ effluxerit, poſtquam apertiſſimè pater fuerit ignotus, vbi degat, & an ſuperſtes ſit: non prohibentur liberi vtriusque ſexus matrimonium vel nuptias legitimas contrahere.

XI. IVLIANVS *lib.* XVI. *Digeſtorum.*

SI filius eius, qui apud hoſtes eſt, vel abeſt, ante trienniũ captiuitatis vel abſentiæ patris vxorem duxerit, vel ſi filia nupſerit: puto rectè matrimonium vel nuptias cõtrahi: dummodo eam filius ducat vxorem, vel filia tali nubat, vt eius conditionem certum ſit patrem nõ repudiaturum. E

Non vitiatur matrimoniũ, licet perueniat ad eum caſum, à quo incipere non poteſt. Bal.

XII. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad Sabinum.*

SI qua mihi vxor fuit, deinde à me repudiata nupſit Seio, quem ego poſtea adrogaui: non ſunt nuptiæ inceſtæ. Inter me & ſponſam patris mei nuptiæ non poſſunt contrahi: quanquam nouerca mea propriè non dicatur. Sed & per contrarium ſponſa mea patri meo nubere non poterit: quãuis nurus non propriè dicatur. Si vxor mea poſt diuortium alij nupſerit, & filiam ſuſceperit: putat Iulianus hanc quidem priuignam non eſſe, verùm nuptiis eius abſtinendum. Adoptiuæ ſororis filiam poſſum vxorem ducere. cognata enim mea non eſt filia eius: quia auunculus nemo fit per adoptionem: & hæ demum cognationes contrahuntur in adoptionibus, quæ legitimæ ſunt, id eſt, quæ agnatorum ius habent. pari ratione & ſororem patris mei adoptiui poſſum ducere, ſi non fuit eodem patre nata. F

XIII. IDEM *lib.* XXXIIII. *ad Sabinum.*

SI patrona tã ignobilis ſit, vt ei honeſtæ ſint, vel liberti ſui nuptiæ: officio iudicis ſuper hoc cognoſcentis, hæ prohiberi non debent.

Filius adoptiuus non poteſt vxorem ducere eam, quæ fuit vxor

patris

patris sui, etiam si sit emancipatus. Item sufficit alium virum fuisse, quo ad nuptias impediendas. Baldus.

A XIIII. PAVLVS *lib. XV. ad Sabinum.*

ADoptiuus filius si emancipetur: eam, quæ patris adoptiui vxor fuit, ducere non potest: quia nouercæ locum habet. Item si quis filium adoptauerit: vxorem eiusdem, quæ nurus loco est, ne quidem post emancipationem filij vxorem ducere potest: quoniam aliquando nurus eius fuit. Seruiles quoque cognationes hoc iure obseruandæ sunt. Igitur suam matrem manumissus non ducet vxorem. tantumdem iuris est & in sorore & sororis filia. Idem è contrario dicendum est, vt pater filiam non possit ducere: & si ex seruitute manumissi sint, & dubitetur patrē eum B esse. Vnde nec vulgo quæsitam filiam pater naturalis potest vxorem ducere; quoniam in contrahendis matrimoniis naturale ius & pudor inspiciendus est. contra pudorem autem est, filiam suam vxorem ducere. Idem tamen quod in seruilibus cognationibus constitutum est, & in seruilibus adfinitatibus seruandum est: veluti, vt eam, quę in contubernio patris fuerit, quasi nouercam, non possim ducere: & contrà, eam, quæ in contubernio filij fuerit, patrem quasi nurum nō ducere. æquè nec matrem eius, quam quis in seruitute vxorem habuit, quasi socrum. cùm enim cognatio seruilis intelligitur: quarè non & adfinitas intelligatur? Sed in re dubia rectius & modestius est, huiusmodi nuptiis abstinere.

C *Videtur velle, quod appellatione nurus non contineatur pronurus: & eodem modo de socru, nouerca, & priuigna, nisi quantum ad hanc caussam, scilicet ad impediendum matrimonium. vt hoc textu ibi: sed quo ad hanc caussam, sed in contrarium videtur veritas, de quo habuistis in. l. i. in fi. cum. l. sequen supra de postulan.* Bal.

Nunc videamus, quomodo nouerca & priuigna, & socrus, & nurus intelligantur: vt sciamus, quas non liceat ducere. Quidam nouercam per se patris vxorem, & nurum filij vxorem, & priuignam vxoris ex alio marito filiam intelligunt. sed (quo ad hanc caussam) verius est, nec aui vxorem, nec proaui duci posse. & duas ergo vel plures nouercas ducere nō poterit. nec mirū. nam & is, qui adoptiuꝰ est, nec naturalis patris, nec adoptiui vxorē ducere potest.

& si

& ſi plures vxores pater adoptiuus habuit, nullam earum ducere poſſum. Itaque ſocrus appellatione non tantùm vxoris meæ mater, ſed & auia & proauia intelligitur: vt nullam earum ducere poſſim. Nurus quoque appellatione non tantum vxor filij, ſed & nepotis, & pronepotis continetur: licet quidã has pronurus appellent. Priuigna quoq; nõ ſolùm ea mihi intelligitur, quæ vxoris meæ filia eſt, ſed & neptis, & proneptis: vt nullã earum ducere poſſim. Item eius matrem, quam ſponſam habui, non poſſe me vxorẽ ducere, Auguſtus interpretatus eſt. fuiſſe enim eam ſocrum. D

XV. PAPINIANVS *lib.* IIII. *Reſponſorum.*

VXorem quondam priuigni coniũgi matrimonio vitrici non oportet: nec in matrimonium nouercam ei conuenire, qui priuignæ maritus fuit. E

XVI. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

ORatione diui Marci cauetur, vt ſi ſenatoris filia libertino nupſiſſet, nec nuptiæ eſſent. quã & ſenatuſconſultum ſecutum eſt. Nepote vxorem ducente, & filius conſentire debet. neptis verò ſi nubat: voluntas & authoritas aui ſufficit. Furor matrimonium contrahi non ſinit: quia conſenſu opus eſt. ſed rectè contractum non impedit.

XVII. CAIVS *lib.* XI. *ad edictum prouinciale.*

PEr adoptionem quæſita fraternitas eò vſque impedit nuptias, donec manet adoptio. Ideòque eam, quam pater meus adoptauit, & emancipauit, potero vxorem ducere. Aequè & ſi me emãcipato, illam in poteſtate retinuerit: poterimus iungi matrimonio. Itaque volenti generum adoptare: ſuadetur, vt filiam emancipet. Similiter ſuadetur ei, qui nurum velit adoptare, vt emancipet filium. Amitam quoq;, & materteram, item magnam quoque amitam, & matertерã magnam prohibemur vxorem ducere: quamuis magna amita & matertera quarto gradu ſint. Vtique autem amitam & amitam magnam prohibemur vxorem ducere: & ſi per adoptionem nobis coniunctæ ſunt. F

XVIII. IVLIANVS *lib.* XVI. *Digeſtorum.*

NVptiæ inter eaſdem perſonas (niſi volentibus parentibus) renouatæ, iuſtæ non habentur.

Filia poteſt cogere patrem officio iudicis, vt eam maritet, & dotem det.

tem det.Bartolus.

A XIX. MARTIANVS *lib.* XVI. *Institutionum, cap.53.legis Iuliæ.*

QVi liberos, quos habent in potestate, iniuria prohibent vxorem ducere, vel nubere: vel qui dotem dare non volunt: ex constitutione diuorum Seueri & Antonini per proconsules præsidésque prouinciarum coguntur in matrimonium collocare, & dotare. prohibere autem videtur, & qui conditionem non quærit.

Curator datur rebus, non personæ. Baldus.

XX. PAVLVS *lib. Singulari ad orationem D. Seueri & diui Marci.*

B SCiendum est, ad officium curatoris non pertinere, nubat pupilla, an nõ: quia officium eius in administratione negociorum constat. & D. Seuerus & Antoninus rescripserunt in hæc verba. ad officium curatoris administratio rerum pupillæ pertinet: nubere autem suo arbitrio potest.

XXI. TERENTIVS CLEMENS *lib.* III. *ad L. Iuliam & Papiam.*

NOn cogitur filiusfamiliâs vxorem ducere.

XXII. CELSVS *lib.* XV. *Digestorum.*

SI patre cogente ducit vxorem, quam nõ duceret, si sui arbitrij esset: contraxit tamen matrimonium, quod inter inuitos non contrahitur. maluisse enim hoc videtur.

XXIII. IDEM *lib.* XXX. *Digestorum.*

C LEge Papia cauetur, omnibus ingenuis, præter senatores, eorúmq; liberos, libertinã vxorem habere licere.

Consuetudo ad liberã mulierem, inducit matrimonium. Baldus.

XXIIII. MODESTINVS *lib.* I. *Regularum.*

IN liberæ mulieris consuetudine non concubinatus, sed nuptiæ intelligendæ sunt: si non corpore quæstum fecerit.

XXV. IDEM *lib.* II. *Regularum.*

FIlius emancipatus etiam sine consensu patris vxorem ducere potest, & susceptus filius hæres ei erit.

XXVI. IDEM *lib.* V. *Responsorum.*

REas adulterij factas, nec ante damnationem, viuente marito, vxores duci posse.

XXVII. VLPIANVS *lib.* III. *ad L. Iuliã & Papiam.*

Si quis

SI quis in ſenatorio ordine agẽs libertinam habuerit vxorem: quamuis interim vxor non ſit: attamẽ in ea con D
ditione eſt, vt ſi amiſerit dignitatem, vxor eſſe incipiat.

XXVIII. MARCIANVS *lib.* X. *Inſtitutionum.*

INuitam libertam vxorem ducere patronus non poteſt.

XXIX. VLPIANVS *lib.* III. *ad* L. *Iuliã & Papiam.*

QVod & Ateius Capito conſulatu ſuo fertur decreuiſſe. hoc tamen ita obſeruãdum eſt: niſi patronus ideo eam manumiſit, vt vxorem eam ducat.

XXX. CAIVS *lib.* III. *ad* L. *Iuliam & Papiam.*

SImulatæ nuptiæ nullius momenti ſunt.

XXXI. VLPIANVS *lib.* III. *ad* L. *Iuliam & Papiam.*

SI ſenatori indulgẽtia principis fuerit permiſſum, liber-
tinam iuſtam vxorem habere: poteſt iuſta vxor eſſe. E

XXXII. MARCELLVS *lib.* I. *ad* L. *Iuliam & Papiam.*

SCiendum eſt, libertinum, qui ſe ingenuo dedit adrogandum: quamuis in eius familia ingenui iura ſit conſecutus: vt libertinum tamen à ſenatoriis nuptiis repellendum eſſe.

Modicum interuallum tẽporis non inducit diuerſitatem actuum, Bartolus.

XXXIII. IDEM *lib.* III. *ad* L. *Iuliam & Papiam.*

PLerique opinantur, cùm eadem mulier ad eundem virum reuertatur, id matrimonium idem eſſe. quibus ad-
ſentior: ſi non multo tempore interpoſito, reconciliati fue F
rint: nec inter moras aut illa alij nupſerit, aut is aliam duxerit: maximè ſi nec dotem vir reddiderit.

Generale mandatũ de nuptiis contrahendis non ſufficit, niſi mandantis ratihabitio ſubſequatur. Baldus.

XXXIIII. PAPINIANVS *lib.* IIII. *Reſponſorum.*

GEnerali mandatu quærendi mariti filiæfamiliâs non fieri nuptias, rationis eſt. itaque perſonam eius patri demonſtrari, qui matrimonio conſenſit, vt nuptiæ contrahantur, neceſſe eſt. Ream adulterij, quam vir iure mariti poſtulauit, non prohibetur poſt abolitionẽ denuo vxorem ducere. Sed & ſi non iure mariti ream poſtulauit: iure contractum matrimonium videbitur. Inter priuignos contrahi nuptiæ poſſunt: & ſi fratrem communem ex nouo pa
rentum

rentum matrimonio susceptum habeant. Filiam senatoris, nuptias libertini secutam, patris casus non facit vxorem. Nam quæsita dignitas liberis propter crimen patris auferenda non est.

A

XXXV. IDEM *lib.* VI. *Responsorum.*

Filiusfamiliâs miles matrimonium sine patris voluntate non contrahit.

XXXVI. PAVLVS *lib.* V. *Quæstionum.*

Tutor vel curator pupillam vel adultam ducere non potest: nisi à patre desponsa, destinatáve testamento, nominatim conditione nuptiis, secuta fuerit.

XXXVII. IDEM *lib.* VII. *Responsorum.*

Libertum curatoris puellæ prohiberi oportet vxorem eandem ducere.

B

XXXVIII. IDEM *lib.* II. *Sententiarum.*

Si quis officium in aliqua prouincia administrat: inde oriundam, vel ibi domicilium habentem, vxorem ducere non potest, quamuis sponsare non prohibeatur: ita scilicet, vt si post officium depositum mulier nuptias contrahere noluerit, liceat ei hoc facere, arris tantummodo redditis, quas acceperat. Veterem sponsam in prouincia, quam quis administrat, vxorem ducere potest, & dos data non fit caduca. Qui in prouincia aliquid administrat, in ea prouincia filias suas in matrimonium collocare, & dotem constituere non prohibetur.

C

XXXIX. IDEM *lib.* VI. *ad Plautium.*

Sororis proneptem non possum ducere vxorem: quoniam parentis ei loco sum. Si quis ex his, quas moribus prohibemur vxores ducere, duxerit: incestum dicitur committere.

XL. POMPONIVS *lib.* III. *ex Plautio.*

Aristo respondit, priuignæ filiam non magis vxorem ducere posse, quàm ipsam priuignam.

Licet concubinatus de iure ciuili sit licitus: tamen illa quæ stat pro concubina, non dicitur honesta materfamilias. Baldus.

XLI. MARCELLVS *lib.* XXVI. *Digestorum.*

Probrum intelligitur & in his mulieribus esse, quæ turpiter viuerent, vulgóque quæstũ facerent, etiam si non palam. Et si qua se in concubinatum alterius, quàm patroni

troni tradidiſſet: matrisfamiliâs honeſtatem non habuiſſe eam dico. D

Circa nuptias contrahendas, non ſolùm rigor, ſed etiam æquitas inſpicitur. Baldus.

XLII. MODESTINVS *lib. ſingulari de ritu nuptiarum.*

Cap. 197. de reg. iur. SEmper in coniunctionibus, non ſolùm quid liceat, conſiderandum eſt: ſed & quod honeſtum eſt. Si ſenatoris filia, neptis, proneptis, libertino vel qui arté ludicram exercuerit, cuiúſve pater matérve id fecerit, nupſerit: nuptiæ non erunt.

Palam facere dicitur illa, quæ ſine diſtinctione perſonarum ſe proſtituit, & non ſolùm infamia notatur illa quæ præſentialiter modò facit, ſed etiam illa quæ iam fecit, licet modò facere deſierit, etiam prætextu paupertatis non excuſatur. Bartolus. E

XLIII. VLPIANVS *lib. III. ad L. Iuliam & Papiam.*

PALAM QVAESTVM FACERE, dicimus non tantùm eam, quæ in lupanario ſe proſtituit: verùm etiam ſi qua (vt ſolet) in taberna, caupona, vel aliâs pudori ſuo non parcit. PALAM autem ſic accipimus, paſſim, hoc eſt ſine delectu: non ſi qua adulteris vel ſtupratoribus ſe committit, ſed quæ vicem proſtitutæ ſuſtinet. Item quę cum vno & altero ſe, pecunia accepta, commiſcuit: non videtur palam corpore quæſtum facere. Rectiſſimè tamen Octauenus ait. etiam eam, quæ ſine quæſtu palam ſe proſtituerit, debuiſſe his connumerari. Non ſolùm autem ea, quæ facit: verùm ea quoque, quæ fecit, & facere deſiit, lege notatur. neq; enim aboletur turpitudo, quæ poſtea intermiſſa eſt. Non eſt ignoſcendum ei, quæ obtentu paupertatis turpiſſimam vitam egit. Lenocinium facere non minus eſt, quàm corpore quæſtum exercere. Lenas autem eas dicimus, quæ mulieres quæſtuarias proſtituunt. Lenam accipiemus & eam, quæ alterius nomine hoc vitæ genus exercet. Si qua cauponam exercens, in ea quæſtuaria corpora habet (vt multæ adſolent, ſub prætextu inſtrumenti cauponarij proſtitutas mulieres habere) dicendum, hanc quoque lenæ appellatione contineri. Senatus cenſuit, non conueniens eſſe vlli ſenatori, ducere vxorem aut retinere damnatam publico iudicio, quo cuilibet ex populo experiri licet: niſi ſi cui lege aliqua accuſandi publico iudicio F

dicio non est potestas. Si qua calumniæ nomine in iudicio damnata sit ex caussa publici iudicij: sed & quæ pręuaricationis caussa damnata sit: publico iudicio condemnata esse non videtur.

A

Deprehensa in adulterio efficitur infamis, siue post deprehensionem sequatur sententia, siue non, etiam si sequatur sententia absolutoria, quia lex ipsum factum notat. Baldus.

Quæ in adulterio deprehensa est, quasi publico iudicio damnata est. Proinde si adulterij dãnata esse proponatur: non tantùm, quia deprehensa est, erit notata: sed & quia publico iudicio damnata est. At si non sit deprehensa, damnata autem: idcirco notatur, quia publico iudicio damnata est. Si deprehensa quidem sit, damnata autem non sit, notata erit. Ego puto, & si absoluta sit post deprehensionem, adhuc tamen notam illi obesse debere: quia verum est, eam in adulterio depreheñsam: quia factum lex, non sententia notat. Non adiicitur hic, vti in lege Iulia de adulteriis, à quo, vel vbi deprehensa sit. Proinde siue maritus, siue quis alius deprehendisse proponatur: videtur notata. Sed & si non in domo mariti, vel patris sui deprehensa sit, erit notata secundum verba legis.

B

XLIIII. PAVLVS *lib.* I. *ad* L. *Iuliam & Papiam.*

LEge Iulia ita cauet. QVI SENATOR EST, QVÍVE FILIVS, NEPÓSVE EX FILIO, PRONEPÓSVE EX EIVS FILIO NATVS CVIVS EORVM EST, ERIT: NE QVIS EORVM SPONSAM, VXORÉMVE SCIENS DOLO MALO HABETO LIBERTINAM, AVT EAM, QVAE IPSA, CVIVSVE PATER MATÉRVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT. NÉVE SENATORIS FILIA, NEPTÍSVE EX FILIO, PRONEPTÍSVE EX NEPOTE, EX FILIO NATO, NATA: LIBERTINO, EÍVE, QVI IPSE, CVIVSVE PATER, MATÉRVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT: SPONSA NVPTÁVE SCIENS DOLO MALO ESTO: NÉVE QVIS EORVM DOLO MALO SCIENS SPONSAM VXORÉMVE EAM HABETO.

C

Cùm tractatur de odio, appellatione patris vel matris nõ compre-

 henditur

henditur auus vel auia. Baldus.

Hoc capite prohibetur senator libertinam ducere, eámve, cuius pater matérve artem ludicrã fecerit: item libertinus senatoris filiam ducere. Non autem obest, auum & auiam artem ludicram fecisse: nec distinguitur, an pater in potestate habeat filiam, nec ne. Tamen iustum patrem intelligendum Octauenus ait: matrem, etiam si vulgo conceperit. Item nihil refert, naturalis sit pater, an adoptiuus. sed an & is noceat, qui ante, quàm adoptaret, arté ludicram fecerit: atque si naturalis pater, ante quàm filia nasceretur, fecerit? Et si huius notæ homo adoptauerit, deinde emancipauerit: an non possit duci, ac si talis pater naturalis decessisset? Sed de hoc casu contrariam legis sententiam esse Pomponius rectè putat, vt eis non connumeretur. Si postea ingenuæ vxoris pater, matérve, artem ludicram facere cœperit: iniquissimum est, dimittere eam debere, cùm nuptiæ honestæ contractæ sint, & fortè iam liberi procreati sint. Planè si ipsa artem ludicram facere cœperit: vtique dimittenda erit. Eas quoque, quas ingenui cæteri prohibentur ducere vxores, senatores non ducent. D E

Liberta nupta patrono, non potest diuertere eo inuito. Baldus.

XLV. VLPIANVS *lib. III. ad L. Iuliam & Papiam.*

IN eo iure, quo dicitur, INVITO PATRONO LIBERTAM, QVAE EI NVPTA EST, ALII NVBERE NON POSSE: patronum accipimus (vt rescripto Imperatoris nostri & diui Seueri patris eius continetur) & eum, qui ea lege emit, vt manumittat: quia manumissa liberta emptoris habetur. Qui autem iurauit se patronum, hoc idem non habebit. nec is quidem debet habere, qui nõ suis numis comparauit. Planè si filiusfamiliâs miles esse proponatur: non dubitamus, si castrensis peculij ancillam manumiserit, competere ei hoc ius. est enim patronus secũdũ constitutiones, nec patri eius hoc ius competit. Hoc caput ad nuptam tantùm libertam pertinet, ad sponsam non pertinet. & ideo si inuito patrono nũcium sponsa liberta remiserit: cum alio cõnubium habet. Deinde ait lex. INVITO PATRONO. INVITVM accipere debemus eum, qui non cõsensit ad diuortium. Idcirco neque à furioso diuertendo, soluit se huius legis necessitate: F

cessitate: nec si ab ignorãte diuerterit. rectius enim hic inuitus dicitur, quàm qui dissentit. Si ab hostibus patronus
A captus esse proponatur: vereor, ne possit ista connubiũ habere nubendo, quéadmodum haberet, si mortuus esset. Et quidem Iuliani sententia probatur dicentis, nõ habituram cõnubium. putat enim Iulianus, durare eius libertæ matrimonium etiam in captiuitate, propter patroni reuerẽtiam. Certè si in aliam seruituté patronus sit deductus: proculdubio dissolutum matrimonium est.

Illud quod dicitur de liberta nupta patrono, quòd eo inuito non possit alii nubere, habet locum in liberta communi. Baldus.

XLVI. CAIVS *lib.* IX. *ad* L. *Iuliam & Papiam.*

ILlud dubitationis est, an etiam qui cõmunem libertam
B vxoré duxerit, ad hoc ius admittatur. Iabolenus negauit: quia non propriè videatur eius liberta, quæ etiam alterius sit. Aliis cõtrà visum est: quia libertam eius esse negari non possit, licet alterius quoque sit liberta. quam sententiam plerique rectè probauerunt.

Non seruatur honor illi, qui se in sceleratam vitam deducit. Bal.

XLVII. PAVLVS *lib.* II. *ad* L. *Iuliam & Papiam.*

SEnatoris filia, quæ corpore quæstum, vel artem ludicram fecerit, aut iudicio publico damnata fuerit: impune libertino nubit. nec enim honos ei seruatur, quæ se in tantum scelus deduxerit.

XLVIII. TERENTIVS CLEMENS *lib.* VIII.
C *ad* L. *Iuliam & Papiam.*

FIlio patroni in libertam paternam, eandémque vxorem idem iuris, quod ipsi patrono daretur, ex sententia legis accommodatur. Idémque dicendum erit, & si alterius patroni filius viuo altero libertam eorum vxoré duxerit.

Si ignominiosam libertam suam patronus vxoré duxerit: placet, quia contra legem maritus est, non habere eum hoc legis beneficium. Si vni ex filiis adsignatam, alter vxorem duxerit: nõn idem ius, quod patrono tribuẽdum. nihil enim iuris habebit: quia senatus omne ius libertorũ adsignatorum ad eum transtulit, cui id pater tribuit.

Licet minoribus quod non licet maioribus, non econtra.

XLIX. MARCELLVS *li.* I. *ad* L. *Iuliã & Papiã.*

OBseruãdum† est, quod inferioris gradus homines du- †*Hoc per-*

 cant

tinet illud Ouidii in Deianira ad Herculē: Tā malè inæquales veniūt ad aratra iuuenci, Quā premitur magno cōiuge nupta minor.

cant vxores eas, quas hi, qui altioris dignitatis ſunt, ducere legibus propter dignitatem prohibentur. At contrà, antecedentis gradus homines non poſſunt eas ducere, quas iis, qui inferioris dignitatis ſunt, ducere non licet. D

In neceßitatibus nemo liberalis exiſtit. Bartolus.

L. IDEM *lib.* III. *ad L. Iuliam & Papiam.*

PRoximè cōſtitutum dicitur, vt cùm quis libertam ſuā duxerit vxorem, quàm ex fideicommiſſi cauſſa manumiſerit: liceat libertæ inuito eo nuptias contrahere. Puto: quia non erat ferendus is, qui ex neceſſitate manumiſit, nō ſuo arbitrio. magis enim debitam libertatem præſtitit, quàm vllum beneficium in mulierem contulit.

LI. LICINIVS RVFINVS *lib.* I. *Regularum.*

MAtrimonij cauſſa ancilla manumiſſa, à nullo alio vxor duci poteſt, quàm à quo manumiſſa eſt: niſi patronus matrimonio eius renunciauerit. Si autem filiusfamiliâs matrimonij cauſſa iuſſu patris ancillam manumiſerit: Iulianus putat, perinde illam haberi, atq; ſi à patre eius manumiſſa eſſet. & ideo poteſt eam vxorem ducere. E

LII. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

INceſtæ nuptiæ neque dotem habent: & ideò quod præceptum eſt (licet fructuum nomine) auferetur.

LIII. CAIVS *lib.* XI. *ad edictum prouinciale.*

NVptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas, quæ in numero parentum liberorúmve ſunt: ſiue proximi, ſiue vlterioris gradus ſint, vſque ad infinitum. F

LIIII. SCAEVOLA *lib.* I. *Regularum.*

ET nihil intereſt, ex iuſtis nuptiis cognatio deſcendat, an verò non. nam & vulgo quæſitam ſororem quis vetatur vxorem ducere.

LV. CAIVS *lib.* XI. *ad edictum prouinciale.*

QVin etiam nefas exiſtimatur, eam quoque vxorem ducere, quæ per adoptionē filia neptíſve eſſe cœperit: in tantum, vt & ſi per emancipationem adoptio diſſoluta ſit, idem iuris maneat. Patris adoptiui mei matrem, aut materteram, aut neptem ex filio, vxorem ducere non poſſum: ſcilicet ſi in familia eius ſim. alioquin ſi emancipatus fuero ab eo: ſine dubio nihil impedit nuptias: ſcilicet, quia poſt emancipationem extraneus intelligor.

LVI. VLPIANVS *lib. IIII. Disputationum.*

A ETiam si concubinam quis habuit sororis filiam, licet libertinam, incestum committitur.

LVII. MARTIANVS *lib. II. Institutionum.*

QVi in prouincia officium aliquod gerit: prohibetur etiam consentire filio suo vxorem ducenti.

Temporis diuturnitas & iuris ignorantia cum numero liberorũ, inducunt principem ad legitimationem liberorum. Baldus.

LVIII. PAPINIANVS *lib singulari de adulteriis.*

MARTIANVS *notat.*

DIuus Marcus & Lucius imperatores Flauiæ Tertyllæ per mensorem libertum ita rescripserunt. mouemur & temporis diuturnitate, quo ignara iuris in matrimonio auunculi tui fuisti, & quod ab auia tua collocata es, &
B numero liberorum vestrorum: idcirco cùm hæc omnia in vnum concurrant, confirmamus statum liberorum vestrorum in eo matrimonio quæsitorum, quod ante annos quadraginta contractum est, perinde atque si legitimè concepti fuissent.

LIX. MARTIANVS *lib. IIII. Regularum.*

A Diuo Pio rescriptum est. si libertina senatorem deceperit, quasi ingenua, & ei nupta est: ad exemplũ prætorij edicti dandam in eam actionem: quia ex dote nullum lucrum habet, quæ nulla est.

LX. PAVLVS *lib. singulari de adsignatione libertinorum.*

C SEnatusconsulto, quo cautum est, ne tutor pupillam, vel filio suo, vel sibi nuptum collocet: etiam nepos significatur.

Qui sustinet periculũ tutelæ per suam personam, habetur pro tutore, licet tutor non sit. secus si per personam alterius. Bartolus.

LXI. IDEM *li. singulari ad orationẽ* D. *Antonini & Cõmodi.*

SI quis tutor quidem non sit, periculum tamẽ tutelæ ad eum pertineat: an sententia orationis contineatur? veluti si pupilla ab hostibus capta fuerit, aut falsis allegationibus à tutela se excusauerit, aut ex sacris cõstitutionibus periculum ad eum pertineat. Et dicendum est, hos quoque ad senatusconsultum pertinere. nam & huiusmodi periculum in numerum trium tutelarum computari cõprobatum est. Sed si propter alterius personam periculum ad eum

peruenit: videamus, ne extra sententiam senatusconsulti sit. veluti si magistratus, in tutelæ periculum inciderit, vel fideiusserit quis pro tutore, vel curatore, quia nec in numerum trium tutelarum hæc imputantur: consequens est & hoc probare. Quid ergo si honoris caussa tutor datus sit: quatinus nec huiusmodi tutela in numerum computatur, nunquid idem sit? sed ratio in contrarium ducit: quod dictum est, honorarium tutorem periculum solere pati, si malè passus sit administrari tutelam. Quin autem ille, qui cùm datus est tutor, cessat in administratione, pertineat ad orationem, non est dubitandum: quia perinde tenetur ex sacris constitutionibus, atque si gessisset. Quid ergo, si cùm se vellet excusare aliquo titulo, nec in prõptu probationes haberet, excusationis negocium fuerit dilatum, & inter moras pupilla adoleuerit: an ad senatusconsultum pertineat? Quæstio in eo est, an post pubertatem officio finito excusationem eius recipi oporteat? nam si recipiatur, & excusauerit: impune potest ducere. si verò non debeat recipi post officium finitum: non rectè ducit. Et ait Papinianus libro quinto Responsorum, officio finito excusationem recipi non oportere. & ideo exacti temporis periculum ad eum pertinere. Sed mihi hoc nequaquam placet. iniquum est enim propter dilationem, quæ fortè non dolo, sed ex necessitate contigit, non excusari, vel nuptias impediri excusatione percepta. Quamuis verbis orationis cautum est, ne vxorem tutor pupillam suam ducat: tamen intelligendum est, ne desponderi quidem posse. Nam cùm qua nuptiæ contrahi non possunt, hæc plerunque ne quidem desponderi potest. nam quæ duci potest: iure despondetur. Quid ergo, si adoptiuus filius tutoris duxerit pupillam illicitè, posteáque emancipatus fuerit? credendum est de adoptiuis emancipatis senatum non sensisse: quia post emancipationem in totum adoptiuæ familiæ obliuiscuntur. Naturales liberi, licet in adoptionem dati fuerint, senatuscõsulto continentur. Quid ergo, si tutor datus prouocauit, & postea hæres eius victus est? præteriti temporis periculũ præstare debet, an verò si filius hæres fuit, & victus est, ad orationem pertineat? & consequẽs est hoc probare: quoniam rationem debet reddere.

D E F

LXII. PAPINIANVS *lib.* XXXI. *Quæstionum.*

A DOte propter illicitum matrimonium caduca facta, exceptis impensis necessariis, quæ dotem ipso iure minuere solent: quod iudicio de dote redditurus esset maritus, soluere debet.

In arbitrio dato intelligitur, ne eligatur persona prohibita: licet concedens arbitrium eam eligere potuisset. Bart.

LXIII. IDEM *lib.* III. *Responsorum.*

QVanquam in arbitrio matris pater esse voluit, cui nuptum filia communis collocaretur: frustra tamen ab ea tutor datus eligetur. Neq; enim intelligitur pater de persona tutoris cogitasse: cũ ideo maximè matrẽ prætulit, ne filiæ nuptias tutori committeret. Mulier li-
B berto viri ac patroni sui mala ratione coniungitur. Tutor, qui rationes curatori reddidit, pupillam suã ante cõstitutum tẽpus ætatis eius vxorem ducere, nec matrem ex alio matrimonio factam, potest.

Quod fit contra prohibitionem legis, ipso iure non valet.

LXIIII. IDEM *lib.* II. *Definitionum.*

PRæfectus cohortis, vel equitum, aut tribunus, si contra interdictum eius prouinciæ duxit vxorem, in qua officium gerebat: matrimonium non erit. quæ species pupillæ comparanda est: cũ ratio potentatus nuptias prohibuerit. Sed an huic quoque, si virgo nupserit, non sit auferendum, quod testamento relictum est, deliberari potest:
C exemplo tamen pupillæ nuptæ tutori, quod relictum est, potest mulier consequi: pecuniam tamen in dotem datam mulieris hæredi restitui necesse est.

LXV. CALLISTRATVS *lib.* II. *Quæstionum.*

LIbertum, eundemq́ue tutorem pupillæ, eo quod in matrimonium collocata ipsa tutori suo vel filio eius esset: senatus relegandũ censuit. Senatuscõsulti, quo prohibentur tutores & filij eorum pupillas suas ducere: puto hæredem quoque tutoris extraneum sententia adprehendi: cũ ideo prohibuerit huiusmodi nuptias, ne puellæ in re familiari circumscribantur ab his, qui rationes eis gestæ tutelæ reddere compelluntur. Tutor autem pupilli non prohibetur filiam suam collocare pupillo suo in matrimonio.

LXVI. PAVLVS *lib.*V.*Responsorum.*

EOs, qui in patria sua militarent, non videri contra mãdata ex eadem prouincia vxorem ducere: idque etiam quibusdam mandatis contineri. Idem respõdi mihi placere, & si contra mandata contractum sit matrimonium in prouincia: tamen post depositum officium, si in eadem voluntate perseueraret, iustas nuptias effici: & ideo postea liberos natos ex iusto matrimonio, legitimos esse. D

Pœna extraordinaria, quæ venit imponenda propter iniuriam factam alteri, debet moderari secundum qualitatem & dignitatem illius, vt maior imponatur, si est nobilis, quam si ignobilis qui recipit iniuriam.

LXVII. IDEM *lib.*II.*Sententiarum.*

NOn est matrimonium, si tutor vel curator pupillam suam intra vicesimum & septimũ annum non despõsatam à patre, neque testamẽto destinatam ducat vxorem, vel eam filio suo iungat, quo facto vterque infamatur, & pro dignitate pupillę extra ordinem coërcetur nec interest, filius sui iuris, an in patris potestate sit tutoris curatorisúe. Libertum eam pupillam, cuius patronus res administrat, vxorem ducere, satis inciuile est. E

LXVIII. TRIPHONINVS *lib.*IX.*Disputationũ.*

NOn solũ viuo tutore, sed & post mortem eius filius tutoris ducere vxorem prohibetur eam, cuius tutelæ rationi obstrictus pater fuit. Nec puto interesse exstiterit ei hæres filius, an abstinuerit paterna hæreditate: an nec hæres fuerit, fortè exhæredatus, aut præteritus, vel emãcipatus. Nam fieri potest, vt per fraudem in eum collata bona patris propter tutelam, reuocari oporteat. De vno dubitari potest. si auus tutelam gessit neptis ex filio emancipato natæ: an nepoti ex altero filio eã collocare possit, siue emancipato, siue manenti in potestate: quia paris affectionis caussa suspitionem fraudis amouet? Sed & si senatusconsultum stricto iure contra omnes tutores nititur: at tamen summæ affectionis auitæ intuitu, huiusmodi nuptię concedendæ sunt. Sed & si filiusfamiliãs tutor puellæ vel curator fuit: puto magis, patri eius non oportere eam nubere. Nunquid nec fratri, qui est in eiusdem potestate? Sed videamus, si Titij filius duxerit vxorem eam, quæ tua F

pupilla

pupilla fuit, deinde Titiũ vel filiũ eius adoptaueris, an pe-
A rimantur nuptiæ, vt in genero adoptato dictũ est: an adoptio impediatur? quod magis dicendũ est. Et si curator, dũ gerit curã, adoptauerit maritũ eius puellæ, cuius curator est: idem iuris est. Nã finita iam tutela, & nupta puella alij: vereor, ne longũ sit adoptioné mariti eius impedire, quasi propter hoc interponatur, vt ratio tutelæ reddendæ cohibeatur: quam caussam prohibitionis nuptiarum contrahendarũ oratio diui Marci cõtinet. Et siquidé curator ventri bonisq; datus sit: prohibitioné eiusdem senatuscõsultum inducit. nã & hic debet rationé reddere. nec spaciũ administrationis mouere nos debet: quia nec in tutore nec curatore discrimen maioris aut minoris téporis,
B quo in huiusmodi munere quis fuerit, habitum est.

Priuilegium quod habet pupillus in actione tutelæ, non transit ad hæredem, etiam ex eo descendentem. & per hoc reprobatur glo. in. l. ex pluribus. infra de admi. tutorũ & in. l. dabimusque. ff. i. infra de priuilegio credi. secundum Iaco. de Are. Bar.

Si pupillæ tutelam Titius administrauerit, vel curator negocia gesserit, eaq; nondũ recepta ratione decesserit, filia hærede relicta: quærenti, an eã filio suo Titius posset collocare in matrimoniũ? dixi posse: quia ratio hæreditaria esset, & sic simplex debitũ. alioquin omnis debitor eã, cui obligatus esset ex aliqua ratione, prohiberetur sibi filioq; suo coniungere. Sed & is, qui pupillã abstinet bo-
C nis patris sui, rationé eius rei præstare debet. & sic fieri potest, vt & si incõsultus hoc fecerit: hoc nomine condénari debeat. Sed & si optimo consilio vsus sit, auxilio prætoriæ iurisdictionis, quia non soluendo pater eius decesserat: nihilominus tamen (quia in iudicio hoc probari oportet) impediuntur nuptiæ. Nam & qui bene tutelam & ex fide administrauit: nihilominus prohibetur.

Si actus prohibitus celebratur palam, potest quis prætextu ignorantiæ excusari. secus si clam. Bar.

LXIX. PAVLVS *lib. singulari ad Senatuscon-sultum Iulianum.*

IVregentiũ incestũ cõmittit, qui ex gradu ascendétium vel descendentiũ vxoré duxerit. Qui vero ex latere cã duxerit, quę vetatur: vel ad finé, quam impeditur: si quidé palam

palam fecerit, leuius: si verò clam hoc commiserit, grauius punitur. Cuius diuersitatis illa ratio est circa matrimoniũ, quod ex latere non bene contrahitur: quod palam delinquentes, vt errantes maiore pœna excusantur: clam committentes, vt contumaces plectuntur. D

DE IVRE DOTIVM. Tit. III.

Quales cõstituẽdæ dotes, Plato dialogo. 6. de legi. & Ari. li. 2. politi. capite. 7.

PAVLVS *lib.* I X. *ad Sabinum.*



Otis caussa perpetua est, cũ voto eius, qui dat, ita contrahitur, vt semper apud maritum sit.

II. IDEM *lib.* L X I. *ad edictum.*

Reipublicæ interest mulieres dotes saluas habere, propter quas nubere possint.

III. VLPIANVS *lib.* L X I I I *ad edictum.* E

Dotis appellatio non refertur ad ea matrimonia, quæ consistere non possunt. neque enim dos sine matrimonio esse potest. vbicũque igitur matrimonij nomen nõ est, nec dos est.

Incrementum vel accessio non facit nouam dotem: sed veterẽ auget. Bartolus.

IIII PAVLVS *lib.* V I. *ad Sabinum.*

Si proprietati nudæ in dotem datæ vsus fructus accesserit: incrementum videtur dotis, non alia dos: quemadmodum si quid alluuione accessisset.

V. VLPIANVS *lib.* X X X I. *ad Sabinum.*

Profecticia dos est, quæ à patre vel parẽte pfecta est, de bonis eius vel facto eius. Siue igitur parens dedit dotem, siue procurator eius, siue iussit alium dare, siue cũ quis dedisset negociũ eius gerẽs, parens ratũ habuit: profecticia dos est. Quid si quis patri donaturus, dotẽ dedit? Marcellus libro sexto Digestorũ scripsit, hãc quoque à patre profectam esse. & est verũ. Sed & si curator furiosi, vel prodigi, vel cuiusuis alterius dotem dederit: similiter dicemus, dotẽ profecticiã esse. Sed & si proponas prætorem, vel præsidẽ decreuisse, quantũ ex bonis patris ab hostibus capti, aut à latronibus oppressi filiæ in dotem detur: habetur ea quoq; profecticia. Si pater repudiauerit hæreditatẽ dotis constituendæ caussa: fortè quod maritus erat substitutus, aut quia potuit ab intestato hæreditatem F

taté vindicare: dotem profecticiam non esse, Iulianus ait.
A Sed & si legatū in hoc repudiauerit pater, vt apud generū hæredem remaneat dotis constituendæ caussa: Iulianus probat, non esse profectū id de bonis patris: quia nihil erogauit de suo pater, sed nec adquisiit. Si pater nō quasi pater, sed alio doté promittente fideiusserit, & quasi fideiussor soluerit: Neratius ait, nō esse profecticiā dotem: quāuis pater seruare à reo id, quod soluit, non possit. Sed si pater doté promisit, & fideiussoré vel reum pro se dedit: ego puto, profecticiā esse doté. sufficit enim, quod pater sit obligatus, siue reo, siue fideiussori. Si filiusfamiliâs mutuatus pecuniā, creditoré delegauit, vt daret pro filia doté: vel etiā ipse accepit, & dedit: videri doté ab auo
B profectā, Neratius ait hactenus, quatenus auus esset dotaturus nepté suā. id enim in ré aui videri versum. Si quis certā quantitaté patri donauit, ita vt hanc pro filia daret: nō esse profecticiā, Iulianus libro decimoseptimo Digestorū scribit. obstrictus est enim, vt det: aut si nō dederit, cōdictione teneri. Hoc & in matre iuris esse ait, si forté sub ea conditione vxor marito det, vt pro filia genero in doté daret: nec videri vxorem marito donasse. Rectissimé ergo ait, vt nō sit interdicta donatio iure ciuili. non enī hoc dedit, vt ipse habeat, sed vt genero pro filia expendat. denique si non dederit, condictione tenetur. esse igitur dotem istam aduentitiam, Iulianus ait, & ita vtimur. Si filiusfa-
C miliâs dotem promiserit, & sui iuris factus dederit: profecticiam esse dotem constat. non enim pro hæreditate patris æs alienum soluit: sed suum æs alienum susceptum, dum filiusfamiliâs esset, paterfamiliâs factus exonerauit. Si pater pro filia emancipata dotem dederit: profecticiam nihilominus dotem esse, nemini dubium est. quia nō ius potestatis, sed parentis nomen dotem profecticiam facit. Sed ita demum, si vt parens dederit. cæterùm si cùm deberet filiæ, voluntate eius dedit: aduentitia dos est.

Papinianus libro decimo Quæstionum ait. cùm pater curator suæ filię iuris sui effectæ dotem pro ea constituisset: magis eum quasi patrem id, quàm quasi curatorem fecisse videri. Adoptiuum quoque patrem, si ipse dotem dederit, habere eius repetitionem, Iulianus ait,

Cùm quis dat ex perſona alterius, ſi quidem poterat euitare, ne daret: ipſe dare videtur, non ille ex cuius perſona dat. ſed ſi vitare poterat, ille non ipſe videtur dare. D

Si quis pro aliena filia dotem promiſerit, & promiſſori pater hæres exſtiterit: Iulianus diſtinguit. intereſſe, ante nuptias pater hæres exſtiterit, & dotem dederit, an poſtea. ſi ante: videri dotem ab eo profectam. potuiſſe enim nuncium remittendo reſoluere dotem. quod ſi poſt nuptias: non eſſe profecticiam.

Afflict⁹ in vno releuãdus eſt in altero, ne detur afflictio afflicto.

VI. POMPONIVS *lib.* XIIII. *ad Sabinum.*

† Vt ad quę ſũmus mœror mortę filię venit, ad eũdẽ ſũmus honor perueniat. Cice. in orat. pro Quintio.

IVre ſuccurſum eſt patri, vt filia amiſſa ſolacij loco† cederet, ſi redderetur ei dos ab ipſo profecta: ne & filiæ amiſſæ, & pecuniæ damnum ſentiret. Si pater alienũ fundum bona fide emptum in dotem dederit: ab ipſo profectus intelligitur. Si in dote danda circumuentus ſit alteruter: & maiori annis vigintiquinque ſuccurrendũ eſt: quia bono & æquo non conuenit, aut lucrari aliquem cũ damno alterius, aut damnum ſentire per alterius lucrum. E

VII. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad Sabinum.*

DOtis fructus ad maritum pertinere debere, æquitas ſuggerit. cùm enim ipſa onera matrimonij ſubeat: æquum eſt eum etiam fructus percipere. Si fructus conſtante matrimonio percepti ſint: dotis non erunt. ſi verò ante nuptias percepti fuerint: in dotem conuertentur, niſi fortè inter maritum futurum & deſtinatam vxorem aliud conuenit. tunc enim quaſi donatione facta fructus nõ redduntur. Si vſusfructus in dotẽ datus ſit: videamus, vtrũ fructus reddendi ſint, néc ne. Et Celſus libro decimo Digeſtorum ait, intereſſe, quid acti ſit: & niſi appareat aliud actum, putare ſe ius ipſum in dotem eſſe, non etiam fructus, qui percipiuntur. Si res in dotem dentur: puto in bonis mariti fieri: acceſſionemq́ue temporis marito ex perſona mulieris concedendam. Fiunt autem res mariti, ſi conſtante matrimonio in dotem dentur. Quid ergo ſi ante matrimonium? ſiquidem ſic dedit mulier, vt ſtatim eius fiant: efficiuntur eius. Enimuero ſi hac conditione dederit, vt tunc efficiantur, cùm nupſerit: ſine dubio dicemus tunc eius fieri, cùm ſecutæ fuerint nuptiæ. Proinde ſi fortè F

nuptiæ

nuptiæ non ſequantur,nuncio remiſſo : ſiquidem ſic dedit
A mulier,vt ſtatim viri res fiant: condicere eas debebit , remiſſo nuncio . Enimuero ſi ſic dederit , vt ſecutis nuptiis incipiant eſſe: nuncio remiſſo , ſtatim eas vindicabit . Sed ante nuncium remiſſum ſi vindicabit , exceptio poterit nocere vindicanti aut doli,aut in factum. doti enim deſtinata non debebunt vindicari.

VIII. CALLISTRATVS *lib.* II. *Quæſtionum.*

SEd niſi euidenter hoc factum fuerit : credendum eſt hoc agi,vt ſtatim res ſponſi fiant : & niſi nuptiæ ſecutæ fuerint,reddantur.

IX. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad Sabinum.*

SI ego Seiæ res dedero , vt ipſa ſuo nomine in dotem
B det: efficientur eius, licet non in dotem ſint datæ . ſed condictione tenebitur. Quod ſi pro ea res ego dem,ſiquidem ante nuptias: intereſt, qua conditione dedi: vtrum,vt ſtatim fiant accipientis, an ſecutis nuptiis.& ſi ſtatim: nũcio remiſſo condicam.ſin verò non ſtatim : potero vindicare,quia meæ res ſunt. Quare ſi ſequi nuptiæ non poſſunt propter matrimonij interdictionem : ex poſteriore caſu res meæ remanebunt. Si res alicui tradidero , vt nuptiis ſecutis dotis efficiantur,& ante nuptias deceſſero:an ſecũtis nuptiis dotis eſſe incipiant ? Et vereor , ne non poſſint in dominio eius effici,cui datæ ſunt : & quia poſt mortem incipiat dominium diſcedere ab eo,qui dedit: & quia pẽ-
C det donatio in diem nuptiarum, & cùm conditio nuptiarũ ſequitur,iam hæredis dominium eſt, à quo diſcedere non poſſe rerum dominium inuito eo fatendum eſt . Sed benignius eſt,fauore dotium,neceſſitatem imponi hæredi conſentire ei,quod defunctus fecit : aut ſi diſtulerit,vel abſit, etiam nolente vel abſente eo,dominium ad maritum ipſo iure transferri,ne mulier indotata ſit. Dotis autem cauſa data accipere debemus ea,quæ in dotem dantur. Cæterùm ſi res dentur in ea , quæ Græci παράφερνα dicunt, quæque Galli peculium appellant: videamus, an ſtatim efficiantur mariti. Et putem,ſi ſic dentur,vt fiant,†effici mariti: & cùm diſtractum fuerit matrimonium,non vindicari oportere,ſed condici,nec dotis actione peti, vt diuus Marcus imperator noſter cum patre reſcripſit. Planè ſi rerũ libellus

†*Veluti cũ mulier viro in manũ conuenit, omnia quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine.*

bellus marito detur, vt Romæ vulgo fieri videmus: (nam mulier res, quas solet in vsu habere in domo mariti, neque in dotem dat: in libellum solet conferre, cumque libellum marito offerre, vt is subscribat, quasi res acceperit: & velut chirographum eius vxor retinet, res, quæ libello continentur, in domū eius se intulisse) hæ igitur res, an mariti fiant, videamus. Et non puto. non quod ei non tradantur. quid enim interest, inferantur volente eo in domum eius, an ei tradantur? sed quia non putem hoc agi inter virum & vxorem, vt dominium ad eum transferatur: sed magis, vt certum sit in domum eius illata, ne si quandoque separatio fiat, negetur. Et quia plerumque custodiam earum maritus repromittit, nisi mulieri commissæ sint: videbimus, harum rerum nomine (si non reddātur) vtrum rerum amotarum, an depositi, an mandati mulier agere possit? Et si custodia marito committitur: depositi vel mandati agi poterit. si minus: agetur rerum amotarum, si animo amouendi maritus retineat: aut ad exhibēdum, si non amouere eas adnisus sit. D E

X. IDEM *lib.* XXXIIII. *ad Sabinum.*

PLerumque interest viri, res non esse æstimatas: idcirco, ne periculum rerum ad eum pertineat: maximè si animalia in dotem acceperit, vel vestem, qua mulier vtitur. eueniet enim, si æstimata sit, & eam mulier attriuerit, vt nihilominus maritus æstimationem earum præstet. Quoties igitur non æstimatæ res in dotem dantur: & meliores & deteriores mulieri fiunt. Si prædiis inæstimatis aliquid accesserit: hoc ad compendium mulieris pertinet. si aliquid decesserit: mulieris damnum est. Si serui sobolem ediderint: mariti lucrum non est. sed fœtus dotalium pecorum ad maritum pertinent: quia fructibus computātur. sic tamen, vt suppleri proprietatem prius oporteat: & submissis in locum mortuorum capitum adnatis, residuum maritus in fructum habeat: quia fructus dotis ad eum pertinent. Si ante matrimonium æstimatæ res dotales sunt: hæc æstimatio quasi sub conditione est. nanque hanc habet conditionem, SI MATRIMONIVM FVERIT SECVTVM. secutis igitur nuptiis, æstimatio rerū perficitur, & fit vera venditio. Inde quæri potest, si ante nuptias F

ptias mancipia æstimata deperierint, an mulieris damnum sit? & hoc consequens est dicere. nam cùm sit conditiona-
A lis venditio: pendente autem conditione, mors continges exstinguat venditionem: consequens est dicere, mulieri res periisse: quia nondum erat impleta venditio. æstimatio enim venditio est. Si res in dotem datæ fuerint, quãuis æstimatæ: verum conuenerit, vt aut æstimatio, aut res præstentur: si quidem fuerit adiectum, VTRVM MVLIER VOLET: ipsa eliget, vtrum malit petere res; an æstimationem. Verum si ita fuerit adiectum, VTRVM MARITVS VOLET: aut omnino nihil de electione adiiciatur: electionem habebit maritus, vtrum malit res offerre, an precium earũ. Nam & cùm illa aut illa res promittitur, rei electio est, vtram præstet. Sed si res nõ exstet:
B æstimationem omnimodo maritus præstabit.

XI. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

PLanè & deteriorem factam reddere poterit.

Paria sunt aliquid fieri tempore prohibito, vel fieri tempore permisso, & conferri in tempus prohibitum. Bartolus.

XII. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad Sabinum.*

SI res æstimata post contractum matrimonium donationis caussa adprobetur, nulla est æstimatio: quia nec res distrahi donationis caussa potest, cùm effectum inter virum & vxorem non habeat. res igitur in dote remanebit.

Sed si ante matrimonium: magis est, vt in matrimonij
C tempus collata ea donatio videatur, atque ideo nõ valeat.

Nota istud. ℣. pro minoribus læsis in venditione rerum suarum, vt si læsi sint in eo quod vendiderunt, restituantur ad rem: si in precio, ad precium: vt scias qualiter debeas libellum formare: quia pluries accidit. Bartolus.

Si mulier se dicat circumuentam, minoris æstimasse (puta) seruum: si quidem in hoc circumuenta est, quod seruum dedit, non tantum in hoc, quod minoris æstimauit: in hoc actura est, vt seruus sibi restituatur. Enimuero si in æstimationis modo circumuenta est: erit arbitrium mariti, vtrum iustam æstimationem, an potius seruum præstet. & hæc si seruus viuit. quod si decesserit: Marcellus ait, æstimationem præstandam, non iustam, sed eam, quæ facta est: quia boni consulere mulier debet, quod æstimatus fuerit. Cæterùm

terùm si simpliciter dedisset: proculdubio periculo eius moriretur, non mariti. Idemque & in minore circumuenta Marcellus probat. Planè si emptorem habuit mulier iusti precij: tunc dicendum, iustam æstimationem præstandam. idque dumtaxat minori annis præstandum, Marcellus scribit. Scæuola autem in marito notat: si dolus eius adfuit, iustam æstimationem præstandam. & puto verius, quod Scæuola ait. Si cum marito debitoris mulier pacta sit, vt id quod debet, in dotem habeat: dotis actione scilicet eam agere posse existimo. licet enim ipso iure priore debito liberatus non sit: sed tamen exceptionem habere potest. D

XIII. MODESTINVS *lib. singulari de differentia dotis.*

SI mulier post diuortiũ, antequàm ex stipulatu de dote agat, ad eundem virum fuerit reuersa: constantius dicetur, per doli exceptionem inefficacem fieri ex stipulatu actionem, vsque quo matrimonium durat. E

XIIII. VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

SI rem æstimatam mulier in dotem dederit, deinde ea moram faciente in traditione, in rerum natura esse desierit: actionem eam habere non puto.

XV. POMPONIVS *lib.* XIIII. *ad Sabinum.*

QVod si per eam non stetisset: perinde precium auferet, ac si tradidisset: quia quod euenit, emptoris periculo est.

XVI. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.* F

QVoties res æstimata in dotem datur: euicta ea, virum ex empto contra vxorem agere: & quidquid eo nomine fuerit consecutus, dotis actione soluto matrimonio ei præstare oportet. quare & si duplum fortè ad virum peruenerit: id quoque ad mulierem redigetur. Quę sententia habet æquitatem: quia non simplex venditio sit, sed dotis caussa: nec debet maritus lucrari ex damno mulieris. sufficit enim maritum indemnem præstari, nõ etiam lucrum sentire.

XVII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

IN rebus dotalibus virum præstare oportet, tam dolum, quàm culpam: quia sui caussa dotem accepit. sed etiam diligentiam præstabit, quam in suis rebus exhibet. Si re æstimata

æstimata data, nuptiæ secutæ non sunt: vidẽdum est, quid
A repeti debeat: vtrum res, an æstimatio? Sed id agi videtur, vt ita demum æstimatio rata sit, si nuptiæ sequantur: quia nec alia caussa contrahendi fuerit. res igitur repeti debet, non precium.

XVIII. POMPONIVS *lib.* XIIII. *ad Sabinum.*

SI mancipia in dotem æstimata accepisti, & pactum conuentum factum est, vt tantidem æstimata diuortio facto redderes: manere partum eorum apud te, Labeo ait: quia & mancipia tuo periculo fuerunt.

XIX. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

ETiam si alij iussu mariti dos detur: nihilominus maritus de dote obligatur.

B *Origo rei non potest conferri in tempore, quo debet exstingui. Bartolus.*

XX. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

IVlianus scribit valere talem stipulationem, CVM MORIERIS, DOTIS NOMINE TOT DARI? quia & pacisci solet, ne ea viua exhibeatur. quod non esse simile, accepi. aliud est enim differre exactionem, aliud ab initio in id tempus stipulari, quo matrimonium futurũ nõ sit. idq̃ue & Aristoni, & Neratio, & Pomponio placet.

Stipulatio de dote habet in se tacitam conditionem, scilicet si matrimonium sequatur.

XXI. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

C STipulationem, quæ propter caussam dotis fit, constat habere in se conditionem hanc, SI NVPTIAE FVERINT SECVTAE: & ita demum ex ea agi posse, quamuis non sit expressa conditio, si nuptiæ constant. quare si nuncius remittatur: defecisse conditio stipulationis videtur.

XXII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

ET licet postea eidẽ nupserit: nõ cõualescit stipulatio.

XXIII. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

QVia autem in stipulatione nõ est necessaria dotis adiectio, etiam in datione tantumdem ducimus.

XXIIII. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinũ.*

SI filiafamiliâs nuptura ex peculio, cui⁹ administrationem habebat, dotem viro dederit: deinde cùm in ea-

dem caussa peculium eiusdem esset, diuortium fecerit: dos ei rectè soluitur, quasi à quolibet peculiari debitore. D

XXV. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

SI ei nuptura mulier, qui Stichum debebat, ita cum eo pacta est: PRO STICHO, QVEM MIHI DEBES, DECEM TIBI DOTI ERVNT: secundū id, quod placuit rem pro re solui posse, & liberatio cōtingit, & decem in dotem erunt: quia & permutatio dotium conuentione fieri potest.

XXVI. MODESTINVS *lib.* I. *Regularum.*

ITa constante matrimonio permutari posse dotem dicimus, si hoc mulieri vtile sit: vt pecunia in rem, aut ex re pecunia. idque probatum est.

XXVII. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinū.* E

QVod si fuerit factū: fundus, vel res dotalis efficitur.

XXVIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

POst nuptias pater non potest deteriorem caussam filiæ facere: quia nec reddi ei dos inuita filia potest.

XXIX. VLPIANVS.

CVm pater dotem pro filia promittit, & dotem legat: si quidē marito legat: videndū est, an legatum valeat. & non puto valere. Nam cùm creditori debitor legat id, quod debet: nullum legatum est. Quod si filiæ legauit: valet legatum. dos enim ex promissione marito debetur, legatum filiæ. Et siquidem hoc animo testatorem esse filia ostenderit, vt duplicaret ei legatum: habebit vtrumque, & F dotem, quam maritus persecutus fuerit, & legatum ex caussa legati. Quod si alterutrum voluerit habere: si mulier legatum petat: opposita doli exceptione, non aliâs cogetur ei hæres legatum soluere, quàm si cauerit indemnem hoc nomine hæredem futurum, aduersus maritum ex promissione agentem. Sed si maritus agat: nihil de indemnitate cauere eum oportebit. Verùm mulier post eum agens, exceptione repelletur: quia semel dos præstita est.

XXX. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

DOtem, quæ in prius matrimonium data est, non aliter conuerti in posterius matrimonium dicendū est, quàm cùm hoc agitur: dū hoc agi semper interpretemur, nisi probetur, aliud conuenisse.

XXXI. PAPINIANVS lib. IIII. *Responsorum.*

A QVod si nõ diuortium, sed iurgium fuit: dos eiusdem matrimonij manebit.

XXXII. POMPON. *lib.* XIIII. *ad Sabinũ.*

SI ex lapidicinis dotalis fundi lapides vel arbores, quæ fructus non essent: siue superficiem ædificij dotalis voluntate mulieris vendiderit: numi ex ea venditione recepti, sunt dotis.

Non imputatur marito, cur vxorem vel eius patrem dotem pro vxore promittentem non conuenit, vel extraneum dotem ex caussa donationis promittentem. secus si promisit tanquam debitor mulieris. Baldus.

XXXIII. VLPIANVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

B SI extraneus sit, qui dotem promisit, isq́ue defectus sit facultatibus: imputabitur marito, cur eum non conuenerit: maximè si ex necessitate, non ex voluntate dotem promiserat. Si tamen donauit: vtcumque parcendum marito, qui non præcipitauerit eum ad solutionem, qui donauerat: quemq́ue in id, quod facere posset, si conuenisset, condemnauerit. hoc enim diuus Pius rescripsit: eos, qui ex liberalitate conueniuntur, in id quod facere possunt, condemnandos. Sed quid, si vel pater, vel ipsa promiserit? Iulianus quidem libro decimosexto Digestorum scribit, & si pater promiserit, periculum respicere ad maritum. quod ferendum non est. debebit igitur mulieris esse periculum.

C nequaquã enim iudex propiciis auribus audiet mulierẽ dicentem: cur patrem, qui de suo dotem promisit, nõ vrserit ad solutionẽ? multominus, cur ipsam nõ cõuenerit? Rectè itaque Sabinus disposuit, vt diceret: quod pater, vel ipsa mulier promisit, viri periculo nõ esse. quod debitor: viri esse periculo. quod aliud, scilicet donaturus: eius periculo esse, cui adquiratur. adquiri autem mulieri accipiemus, ad quam rei commodum respicit.

Pater pro filia non potest in dotem dare rem vxoris suæ sine ipsius consensu. Bartolus.

XXXIIII. IDEM *lib.* XXVII. *ad Sabinum.*

MAter cùm filiæ aurum dedisset vtendum, pater puellę id aurum in dotem viro adpendit. dein mortua est mater. si inscia inuitáve vxore vir id aurum in dotem

dedit: manet id aurum hæredis matris, vindicarique potest,& eò minoré viro dotem datam esse placuit. sed quia res euicta est: marito cópetit aduersus socerum actio. D

XXXV. IDEM *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

DOtem à patre, vel à quouis alio promissam, si vir nouandi caussa stipuletur: cœpit viri esse periculum, cùm antè mulieris fuisset.

XXXVI. IDEM. *lib.* XLVIII. *ad Sabinum.*

DEbitor mulieris iussu eius pecuniam viro expromisit. deinde vir acceptam eam iussu mulieris fecit. res mulieri perit. hoc quomodo accipimus? vtrum dotis nomine, an si alia ex caussa? Et videtur de eo debitore dictum, qui dotis nomine promisit. Illud adhuc subest: vtrum ante nuptias, an post nuptias id factum sit. (multum enim interesse videtur) nam si secutis nuptiis id factũ est, dote iam constituta: maritus accepto ferendo perdit dotem. si autem ante, quàm nuptiæ sequerentur: nihil videtur doti constitutum esse. E

XXXVII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

NOn enim aliâs perit mulieri actio, quàm si nuptiæ secutæ fuerint. nam si secutæ non sunt: manet debitor mulieri obligatus.

XXXVIII. VLPIANVS *lib.* XLVIII. *ad Sabinũ.*

SAnè videndum est, an marito mulier, quæ iussit acceptò fieri, obligetur. & putem obligari mãdati actione: & hoc ipsum in dotem conuerti, quod mulier mandati iudicio obligata est. & quod dicitur, rem mulieri perire: cósequens est. Nam si cœperit velle de dote agere: ipsa secum debebit compensare iussum suum. F

Nota quod dos data in primo matrimonio inualido, tacitè videtur repetita, si postea validetur. Bartolus.

XXXIX. IDEM *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

SI serua seruo quasi dotem dederit: deinde constante coniunctione ad libertatem ambo peruenerint, peculio eis non adempto, & in eadem coniunctione permanserint: ita res moderetur, vt si quæ ex rebus corporalibus, velut in dotem tempore seruitutis datis, exstiterint: videantur ea tacitè in dotem conuersa, vt eorum æstimatio mulieri debeatur. Si spadoni nupserit mulier: distinguendum arbitror,

dum arbitror, castratus fuerit, nécne. vt in castrato dicas
A dotem non esse: in eo, qui castratus non est (quia est matrimonium) & dotem, & dotis exactionem esse.

XL. IDEM *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

DIuus Seuerus rescripsit Pontio Lucriano in hæc verba. Si mulier, quæ dotem dederat, post diuortiũ rursus in matrimonium redit, non reuocatis instrumentis: non dubitabit is, apud quem res agetur, secundum voluntatem mulieris, quæ vtique non indotata redire in matrimonium voluit, partibus suis fungi, quasi renouata dote.

XLI. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

PRomittẽdo dotem omnes obligantur, cuiuscunq; sexus, conditionisque sint. Sed si nuptiæ secutæ nõ fuerint: ex stipulatu agi non potest, magis enim res, quàm verba
B intuẽda sunt. Acceptilatione quoq; dos cõstituitur, cùm debitori marito accepto fertur dotis constituendæ caussa. Si à debitore mulieris sub conditione dos promittatur, & postea, sed antequàm maritus petere posset, debitor soluendo esse desierit: magis periculum ad mulierem pertinere placet. nec enim videri maritum nomen secutum eo tempore, quo exigi non potuerit. Quod si iam tunc debitor, cùm sub conditione promitteret, soluendo non fuerit: periculum viri esse, quod sciens tale nomen secutus videatur, quale in obligatione fuerit. Si debitor mulieris dotem promiserit, & mulierem hæredem reliquerit:
C Labeo perinde habẽdum ait, ac si mulier ipsa dotem promisisset. cuius sententiam Iulianus quoque probat. nec enim æquum esse ait, vt ei damnetur eius pecuniæ nomine, quam ipsa debeat: & satis esse acceptilatione eam liberari.

XLII. CAIVS *lib.* XI. *ad edictum prouinciale.*

REs in dotem datæ, quæ pondere, numero, mensura constãt, mariti periculo sunt: quia in hoc dantur, vt eas maritus ad arbitrium suum distrahat: & quandoque soluto matrimonio eiusdem generis & qualitatis alias restituat, vel ipse, vel hæres eius.

XLIII. VLPIANVS *lib.* III. *Disputationum.*

LIcet soleat dos per acceptilationem constitui: si tamẽ ante matrimonium acceptilatio fuerit interposita, nec

nuptiæ ſecutæ ſint: Scæuola ait, matrimonij cauſſa acceptilationem interpoſitam non ſecutis nuptiis nullam eſſe: atque ideo ſuo loco manere obligationem. quæ ſententia vera eſt. Quoties autem extraneus acceptò fert debitori dotis conſtituendæ cauſſa: ſi quidem nuptiæ inſecutæ non fuerint: liberatio nō ſequetur. niſi fortè ſic acceptò tulit, vt velit mulieri in totum donatum. tunc enim credendum eſt, breui manu acceptum à muliere, & marito datum. cæterū mulieri per liberam perſonā condictio adquiri nō poteſt. Planè ſecutis nuptiis, mulier ſoluto matrimonio dotis exactioné habebit: niſi fortè ſic accepto tulit extraneus, vt ipſe (quoquo modo ſolutū fuerit matrimonium) conditionem habeat. tunc enim mulier actionem nō habebit. Secundū quæ cōſtituta dote per acceptilationé, & ſecutis nuptiis, is effectus erit dotis exactionis: vt ſiquidem pura ſit obligatio, quæ acceptò lata eſt: nō ipſa iam reſtituenda ſit, ſed ſoluenda dos ſecundum ſua tempora. Sin verò obligatio in diem fuerit, nec ante ſolutum matrimonium dies obligationis præterierit: reſtauranda erit in diem priſtinum obligatio. & ſi debitum cum ſatiſdatione fuerit: ſatiſdatio renouanda eſt. Similique modo & ſi conditionalis fuerit obligatio, quæ in dotem cōuerſa eſt, & pendente obligatione diuortium fuerit ſecutum: verius eſt, obligationem ſub eadem conditione reſtitui debere. Sed ſi conditio exſtiterit, conſtante matrimonio: ex die diuortij tempora exactionis numerentur.

D E F

XLIIII. IVLIANVS *lib.* XVI. *Digeſtorum.*

SI pater filiæ nomine dotem promiſerit, & eam ante nuptias emancipârit: nō reſoluitur promiſſio. nā & cùm ante nuptias pater moriretur: nihilominus hæredes ejus ex promiſſione obligati manerent. Quæ debitorem filiumfamiliâs habet, ſi patri eius ita dotem promiſerit, QVOD MIHI DEBES, vel, QVOD MIHI FILIVS TVVS DEBET, DOTI TIBI ERIT, non obligatur: ſed efficitur, vt id, quod actione de peculio ſeruari à patre poterat, in dote ſit. MARCELLVS. Siue igitur cum filio poſt hæc, ſiue cum patre agere inſtituerit: exceptione pacti conuenti ſubmouebitur. actione autē de dote ſi experiatur: conſequetur, quod in peculio

in peculio fuisse apparuit eo tempore, quo dos promit-
A tebatur. vtique si post nuptias, promissa est dos. si verò ante nuptias: eius temporis peculium æstimari debet, quo nuptiæ fierent.

XLV. TRIPHONINVS *lib.* IX. *Disputationum.*

QVod si nuptura debitori suo filiofamiliâs, actionem dũtaxat de peculio promisit: id quod ex ea caussa sibi deberetur, nuptiarum tempore inspicitur. Si verò alij nuptura, iussit filiumfamiliâs debitorem de peculio dotem promittere: tempus inspicitur, quo dos promissa est, vt tantum in peculio esse existimetur.

XLVI. IVLIANVS *lib.* XVI. *Digestorum.*

B QVemadmodum inuito domino seruus stipulatus adquirit: ita si dotẽ domini nomine sibi promitti patiatur, obligatio domino adquiritur. sed neque periculum dominus præstare debebit (si fortè debitor mulieris dotem promiserit) neque culpam. Traditione quóque rei dotalis in persona serui vel filiifamiliâs facta, dos constituitur: ita vt neque periculum, nec culpam dominus aut pater præstet. Igitur hãc dotem periculo mulieris esse dico, quandiu dominus vel pater ratã promissionẽ vel donationẽ habuerit. Ideóque etiam manente matrimonio res, quas tradiderit, cõdictione repetiturã puto. itémq; incerti condictione consecuturam, vt promissione liberetur. Si debitori suo mulier nuptura, ita dotem promiserit, QVOD
C MIHI DEBES, AVT FVNDVS SEMPRONIANVS DOTI TIBI ERIT: vtrum mulier volet, id in dotem erit. Et siquidem debitum malit dotis nomine, apud virũ remanere: potest exceptione se tueri aduersus petentem fundum. Quod si fundum dederit: pecuniam à marito condicet. Pater, etiã si falsò existimans se filiæ suę debitorem esse, dotem promiserit: obligabitur.

XLVII. IDEM *lib.* XVI. *Digestorum.*

SI seruo in dotem ante nuptias dato donatum aliquid, vel legatum ante nuptias fuerit: ampliatur dos, sicut ex fructibus fundi, qui ante nuptias traditus est.

XLVIII. IDEM *lib.* I. *ad Vrseium Ferocem.*

TAli stipulatiõe, DECEM IN ANNO PROXIMO DOTIS NOMINE DARE SPONDES? Quæsitũ est,

annus ex quo tempore ſit numerandus: vtrum ex die ſtipulationis factæ, an ex eodie, quo dos eſſe potuiſſet, id eſt nuptiarum? Et reſponſum eſt, ex die nuptiarum annum eſſe numerandum: ne ſi aliter obſeruemus, (ſi intra annum nuptiæ factæ nõ ſint) videri poſſit dos ex ea obligatione deberi. Socer genero ſuo ſic legauerat. LVCIO TITIO FILIAE MEAE NOMINE CENTVM HAERES MEVS DARE DAMNAS ESTO. hanc pecuniã generum petere debere, & exactam acceptam legatis referre: ſed diuortio facto, de dote actionem mulieri reddendam, Proculus reſpõdit: & nihilominus dotis eſſe factam. IVLIANVS NOTAT. imò nec filiæ (ſi voluerit) deneganda eſt huiuſmodi actio. D

Iſtam.l.intellige, quando vir liberauit promiſſorem dotis abſque iuſsione mulieris: aliàs ſecus: vt di.l.debitor, cum.i.ſequent.ſuprà eo. Baldus. E

XLIX. IDEM *lib.* IIII. *ex Minicio.*

VIr ab eo, qui vxori eius dotem facere volebat, certã pecuniam eo nomine ſtipulatus eſt. deinde acceptam ei fecit. Quærebatur, eſſétne ea pecunia in dotem? Reſpõdit. ſi acceptam non feciſſet, & promiſſor ſoluẽdo eſſe deſiiſſet: quæreremus, an culpa mariti ea pecunia exacta non eſſet. cùm verò acceptam fecit: omnimodo periculum ad eum pertinebit. perinde enim eſt, ac ſi acceperit pecuniam, & eandem promiſſor donauerit. F

L. AFRICANVS *lib.* VIII. *Quæſtionum.*

QVæ fundum in dotem habebat, diuortio facto, cùm in matrimonium rediret, pacta eſt cum viro, vti decem in dotem acciperet, & fundum ſibi reſtitueret: ac datis decem, prius, quàm fundus ei reſtitueretur, in matrimonio deceſſit. Illud ex bona fide eſt, & negocio cõtracto conuenit, vt fundus, quaſi ſine cauſſa penes maritum eſſe cœperit, cõdicatur. Et hoc euidentiſſimè circa actionem pignoraticiam apparebit. Etenim ſi cùm fundum Cornelianum pignoris cauſſa tibi tradidiſſem, poſtea ex conuentione fundum Titianum in hoc tradiderim, vt Cornelianum mihi reſtitueres: minimè (puto) dubitandum erit, quin ſtatim rectè pignoraticia ad recipiendum Cornelianum agere poſſim.

L I. V L P I A N V S lib. I I. Responsorum.

A SI res, quas filiæ emancipatę pater donauit, ex voluntate eius postea pro ea in dotem datæ sunt: à filia dotem, non à patre videri datam.

L I I. M A R T I A N V S lib. I I I. Regularum.

NOn solùm si æstimatus fundus, sed etiam si non æstimatus in dotem datus est: & aliâs, cùm necesse nõ haberet mulier duplum promittere, promisit: quia ipse fundus est in dote, quodcunque propter eum consecutus fuerit à muliere maritus, quandoque restituet mulieri de dote agenti.

Nota in hac.l. casum, quòd si vir accepit promißionem scienter non idoneam caussa donãdi ipsi mulieri, non obligatur, nisi ex eo in B *quo erat promissor idoneus tẽpore promißionis, nisi ex post facto post factam promißionẽ dictus promissor fieret idoneus, vt hic de quo dixi suprà eo. l. promittendo. §. si debitore.* Bartolus.

L I I I. N E R A T I V S lib. I I I. Membranarum.

CVm vir vxori donare vellet: debitor mulieris, qui soluendo non erat, dotem ei promisit. Ad id dũtaxat, quoad soluendo fuit, viri periculo ea res est. & si quid debitori ad soluendũ facultatis accesserit: periculum ad eam summã, quæ accesserit, crescet. permanebitque, etiam si rursus pauperior factus erit: quia neque tum, cùm dos promitteretur, donatio facta est, nisi eius pecuniæ, quæ à debitore seruari nõ poterat: neque cùm soluendo esse cœpit, dona-
C tionis caussa permanet, cũ eo loco res sit, quo esset, si tum quoque, cùm promitteretur dos, locuples fuisset.

L I I I I. P A V L V S lib. I. ad Plautium.

REs, quæ ex dotali pecunia cõparatæ sunt, dotales esse videntur.

L V. I D E M lib. V I. ad Plautium.

CVm dotis caussa aliquid expromittitur, & fideiussor eo nomine datus tenetur.

L V I. I D E M lib. V I I I. ad Plautium.

SI is, qui Stichum mulieri debet, in dotem delegatus sit: & ante, quàm solueret debitor, Stichus decesserit: cùm neque per debitorem stetisset, quò minus solueret, neque maritus agẽdo moram fecisset: periculo mulieris Stichus moritur. Quanquam etiam si moram maritus fecerit in exigendo

gendo: ſi tamen apud maritum moriturus Stichus fuerit: actione dotis maritus non tenetur. Ibi dos eſſe debet, vbi onera matrimonij ſunt. Poſt mortem patris ſtatim onera matrimonij filium ſequuntur, ſicut liberi, ſicut vxor. D

Quod dicitur, NECESSARIAS IMPENSAS IPSO IVRE DOTEM MINVERE: non eò pertinet, vt ſi fortè fundus in dote ſit, deſinat aliqua ex parte dotalis eſſe, ſed niſi impenſa reddatur: aut pars fundi, aut totus retineatur. Sed ſi tantum in fundum dotalem impenſum ſit per partes, quanti fundus eſt: deſinere eum dotalem eſſe, Scæuola noſter dicebat: niſi mulier ſponte marito intra annum impenſas obtulerit. Si pecunia & fundus in dote ſint, & neceſſariæ impenſæ in fundo factæ: Nerua ait, dotem pecuniariam minui. Quid ergo, ſi mulier impenſas marito ſoluerit: vtrum creſcet dos, an ex integro data videbitur? cuius rei manifeſtior iniquitas in fundo eſt, ſecundum ſententiam noſtri Scæuolæ. Nam ſi deſinit dotalis eſſe: poterit alienari. rurſus quemadmodum poterit fieri dotalis, data pecunia? an iam pecunia in dotem eſſe videbitur? ſed magis eſt, vt ager in cauſſam dotis reuertatur, & interim alienatio fundi inhibeatur. E

LVII. IABOLENVS *lib.* I. *ex Plautio.*

NVptura filiofamiliâs, ſi ſocero dotem ita promiſerit, QVOD FILIVS TVVS MIHI DEBET, ID DOTI TIBI ERIT: intereſſe puto, vtrum filij obligatio, an patris perſecutio, & in rem verſum promiſſione contineatur. Nam ſi id, quod filium dare oportet, ſignificatum eſt: tota pecunia, in quam filius obligatus eſt, promiſſione dotis continebitur. Sin autem id, quod patrem de peculio, vel de in rem verſo præſtare oportebit: æſtimari debebit, quãtum ſit eo tempore, quo promittitur: vt ea ſumma dotis eſſe videatur. in quam patrem eo tempore filij nomine condemnari oportuerat. Quod ſi non euidenter appareat, de cuius obligatione mulier ſenſerit: præſumptionem ad filij debitum ſpectare, veriſimile eſt: niſi euidentiſſimè contrarium adprobetur. F

LVIII. CELSVS *lib.* XI. *Digeſtorum.*

SI ſponſalibus nondum factis, Titio dotem Seiæ nomine promiſeris, cum ea nubere ei nollet: tamen ſi poſtea nupſerit,

nupſerit, dotem debebis: niſi aliæ nuptiæ mediæ interceſſerint. Si mulier ancillam Pamphilam à Titio ſtipulata. deinde ei nuptura, quod is ſibi debebat, doti habere permiſerit: etiam ſi non erit viri Pamphila, an ipſa tamen in dotem & mulieris periculo erit? an & quod ea pepererit, reddi mulieri debebit? quia ſi in ſua cauſſa prior ſtipulatio manſiſſet, non redderet? niſi fortè refert, habuit rem, quam debebat vir, quo tempore dos conſtituebatur (nam ita poterit videri res ipſa ad eum perueniſſe) an non habuit. nam ſi non habuit: magis eſt, vt liberatio obligationis potius, quàm res ipſa ad eum perueniſſe videatur: ideóque partus eius non debeatur.

B *Adiectus quis videtur ad ſolutionem, non ad obligationem quæ ex ſolutione reſultat. Bartolus.*

LIX. MARCELLVS *lib.* VII. *Digeſtorum.*

SI mulier ita doté promiſerit, DECEM TIBI AVT TITIO DOTI ERVNT: hoc caſu dici poteſt, vel Titio dari poſſe: ſed de dote virum teneri, quemadmodum ſi Titio iuſſiſſet dari. nec mirum: cùm etiam promiſſura viro dotem, poſſit delegante eo alteri promittere. Et ſi dici ſolet, alij, quàm marito, dotis nomine mulierem non poſſe obligari: his tamen caſibus viro dos quæritur. Non enim exiſtimabimus illã ita promiſiſſe, vt vel de Titij nuptiis cogitaret.

Per delegationem non liberatur debitor niſi de legato quæratur. Item reſtitutio fideicõmiſſi ex Trebellianica delegari non poteſt. B.

C Ex aſſe hæres inſtitutus, rogatúſque mulieri dodrantem hęreditatis reſtituere: iuſſu eius, quod debet, doti promiſit marito. Vereor, ne nõ ſit obligatus. nam mulieri in hoc tenetur, vt hæreditatem reſtituendo transferat actiones, & quas habet, & quibus eſt obſtrictus: quas transferre ad alium, quàm cui debet fideicommiſſum, non poteſt. Dixerit aliquis, incerti cum eo agi poſſe, vt fideicommiſſi præſtet æſtimationem. huic ego conſentire non poſſum. nam obligari mulieris debitorem ita æquum eſt, ſi accipere idipſum, quod ei debetur, vir poteſt. Sed ne indotata mulier eſſe videatur: dicendum eſt, ipſi mulieri ex Trebelliano reſtituẽdam eſſe partem hæreditatis, quæ ei relicta eſt, vt ea ſuo marito pro dote eã ſoluat: quia ad eam & fideicommiſ-

commiſſum,& onera eius pertinent , delegatione propter nimiam ſubtilitatem & caſus neceſſitaté minimè obtinéte. Eius nomine,quæ libera videbatur, decem in dotem dediſti.eo caſu habebis condictionem, quo habere potuiſſes,ſi mulieris liberæ nomine dediſſes, nec nuptiæ ſecutæ eſſent.Si manumiſſa nupſerit:ita demum dos erit, ſi ea méte dediſti,vt quandoque ſecutis nuptiis dos eſſet. igitur ſi mulieri donaturus dediſti:dominus cődicet, quemadmodum ſi cũ ſibi donatur⁹ eſſes, mulieri ipſi donare iuſſiſſet. D

Nota iſtum caſum,qui eſt adeo verus, vt ſi aliquis promittit doté arbitrio boni viri,quod tunc intelligitur certa quãtitas relicta,quã bonus arbiter arbitrari debet:etiam ſi nunquam arbitratus fuiſſet: vt.l.i.infra de leg.ii. & eſt argumentum ad ſtatuta Italiæ, quæ dicunt mulierem eſſe dotandam.Bartolus. E

LX. CELSVS *lib.* XI.*Digeſtorum.*

QVæro , quantæ pecuniæ dotem promittenti adultæ mulieri , curator conſenſum accommodare debeat? Reſpondi modus ex facultatibus , & dignitate mulieris,maritique ſtatuendus eſt,quouſque ratio patitur.

LXI. TERENTIVS CLEMENS *lib.* III. *ad* L. *Iuliam & Papiam.*

SIue generalis curator,ſiue dotis dandę cauſſa conſtitutus ſit,& amplius dotis promiſſum eſt , quàm facultates mulieris valent:ipſo iure promiſſio non valet:quia lege rata non habetur authoritas dolo malo facta.Quærendum eſt tamen,vtrũ tota obligatio,an quod amplius promiſſum eſt,quàm promitti oportuit,infirmetur? & vtilius eſt dicere,id quod ſuperfluum eſt,tantummodo infirmari. F

Iſte autem curator res dotis nomine tradere debet:non vt vendat cuilibet,& precium eius in dotem det.Dubitari tamen poteſt,an hoc verũ ſit. quid enim , ſi aliter honeſtè nubere non poſſit,quàm vt pecuniam in dotem det, idque ei magis expediat ? atquin poſſunt res in dotem datæ plerũque alienari,& pecunia in dotem conuerti. Sed (vt expediatur quæſtio) ſiquidem res in dotem maritus accipere maluerit: nihil amplius quærendum eſt. Sin autem non aliter contrahere matrimonium vir patiatur, niſi pecuniis in dotem datis: tunc officium curatoris eſt , apud eundem impetrare iudicem,qui eum conſtituit:vt interim ei,cauſ-

ſa cognita

ſa cognita etiam viro abſente, permittat rerum venditio-
A ne celebrata, dotem conſtituere.

Reſtituto minore non reſtituitur aduerſarius eius aduerſus rem iam in alium per maiorem redactam, ſed ad eius æſtimationem.

LXII. MODESTINVS *lib.* V. *Reſponſorum.*

Titia cũ eſſet minor viginti quinque annis, quartã hæreditatis matris ſuæ, communem ſibi cũ fratribus, permutauit, & accepit pro ea parte fundum, quaſi emptione inter ſe facta. hunc fundum cũ aliis rebus doti dedit. Quæro. ſi in integrum reſtituatur, & partem ſuam accipiat quartam, & fundum reddat: quid debeat maritus facere? an contentus eſſe debeat aliis rebus in dotem datis? Item quæro. ſi hæc deceſſerit, & hæredes eius in integrũ reſti-
B tutionem ex perſona eius petierint: & ipſi petant quartam partem, & illi fundum: an maritus cogatur reſtituere fundum, contentus in retentione lucri dotis cæteris rebus? Modeſtinus reſpondit. nihil proponi, cur marito dos auferenda ſit: ſed in meram æſtimationem prædij mulier, vel eius hæredes condemnandi ſunt, referendam in hoc tempus, quo in dotem datus eſt.

Actionem alteri quæſitam ex facto meo ſibi auferre non poſſum ſine voluntate ſua: niſi meo nomine, & ad meã vtilitatẽ quæſita ſit.

LXIII. IDEM *lib. ſingulari* περὶ ἑυρηματικῶν.

Stipulatio de dote reddenda ab extraneo interpoſita, facto diuortio ſtatim cõmittitur: nec redintegrato ma-
C trimonio, actio ſtipulatori quæſita intercidit. denuo igitur cõſentiente ſtipulatore dos cõſtituenda eſt, ne ſequẽte matrimonio mulier indotata ſit: ſi modò ea dos non ab ipſa profecta ſit, quam alius permiſſu eius ſtipulatus eſt. tunc enim conſenſus eius non eſt neceſſarius.

LXIIII. IABOLENVS *lib.* IIII. *ex Caſſio.*

Poſt diuortium mulieri ſi de dote maritus nihil cauit: & cũ alij nupſiſſet, poſtea ad priorem virum redij: tacitè dos ei redintegratur.

LXV. POMPONIVS *lib.* V. *ad Quint. Mutiũ.*

Si legato aut hæreditate aliquid ſeruo dotali obuenit, quod teſtator noluit ad maritũ pertinere: id ſoluto matrimonio reddendum eſt mulieri.

LXVI. IDEM *lib.* V. *ad Sabinum.*

Si vſuſ-

SI vsusfructus fundi, cuius proprietatem mulier non habebat, dotis nomine mihi à domino proprietatis detur: difficultas erit post diuortium circa reddendũ ius mulieri: quoniam dicimus, vsumfructum à fructuario cedi nõ posse, nisi domino proprietatis: & si extraneo cedatur, id est ei, qui proprietatem non habeat, nihil ad eum transire, sed ad dominum proprietatis reuersurum vsumfructum. Quidam ergo remedij loco rectè putauerunt introducendum, vt vel locet hunc vsumfructum mulieri maritus, vel vendat numo vno: vt ipsum quidẽ ius remaneat penes maritum, perceptio verò fructuum ad mulierem pertineat. D

LXVII. PROCVLVS *lib.* VII. ἐπιστολῶν.

PRoculus nepti suæ S. Ancilla, quæ nupsit, dotisq́; nomine pecuniam viro tradidit (siue sciat ancillam esse, siue ignoret) non poterit eam pecuniam viri facere: eaque nihilominus mansit eius, cuius fuerat antè, quàm eo nomine viro traderetur, nisi fortè vsucapta est: nec postea, q̃ apud eundem virum libera facta est, eius pecuniæ caussam mutare potuit. itaque ne facto quidem diuortio, aut dotis iure, aut per condictionem repetere rectè potest. sed is, cuius pecunia est, rectè vindicat eam. Quod si vir eam pecuniam pro suo possidendo vsuceperit, scilicet quia existimauit mulierem liberam esse: propius est, vt existimem eũ lucrifecisse. vtique, si ante, quàm matrimonium esse inciperet, vsucepit. Et in eadem adhuc opinione sum, si quid ex ea pecunia parauit, anteq̃ ea dos fieret: ita vt nec possideat eam, nec dolo fecerit, quò minus eam possideret. E F

Sermo simpliciter prolatus intelligitur pro prima vice. Bar.

LXVIII. PAPINIANVS *lib.* X. *Quæstionum.*

DOtis promissio non ideo minus valet, quod ignorãte initio patre nuptiæ fuerint, si postea consenserit: cũ omnis dotis promissio futuri matrimonij tacitam cõditionem accipiat. Nã & si minor annis duodecim, vt maior, ducta sit: tunc primum petetur, cũ maior annis apud eũdem esse cœperit. Quod enim vulgatum est, dotis promissionem in primis dumtaxat nuptiis destinari, neque durare obligationem, si post alterius matrimonium ei nubat, cui dotem promiserat: tunc locum habet, cũ intercesserũt aliæ nuptiæ.

LXIX. IDEM lib. III. Responsorum.

A Cum post diuortium viro sciente mulier in possessione prædiorum, quæ in dotem promisit, longo tempore fuerit: conuenisse tacitè videtur, ne dos, quæ promissa fuerat, petatur: & si petere ea cœperit, pacti exceptione à muliere repellatur. Mulier si pecuniam sibi debitam à Seio cũ vsuris futuri tẽporis in dote promittenda demõstrauit: eas quoque dotis portionem esse, quarũ dies post nuptias cessit, rationis est. Vsuras dotis in stipulatũ cũ dote post diuortium deductas, ex die secundi matrimonij non esse præstandas placuit: quia nec sortis exactio locum habere cœpit. medij autẽ temporis debebuntur. In domum absentis vxore deducta nullis in eam interea ex bo-

B nis viri sumptibus factis, ad exhibitionem vxoris promissas vsuras reuersus vir improbè petit. Gener à socero dotem arbitratu soceri certo die dari, non demonstratã quantitate, stipulatus fuerat. arbitrio quoque detracto, stipulationem valere placuit. Nec videri simile, quod fundo non demonstrato nullum esse legatum, vel stipulationem fundi constaret: cũ inter modum constituendæ dotis, & corpus ignotum magna differentia sit. dotis etenim quantitas pro modo facultatum patris, & dignitate mariti constitui potest. Nuptiis ex voluntate patris puellæ cũ filio tutoris iure cõtractis: dos pro modo facultatum, & dignitate natalium, rectè per tutorem constitui potest. Pa-

C trona dotem pro liberta iure promissam, quod exstitit ingrata, non retinebit. Cũ res in dotem æstimatas soluto matrimonio reddi placuit: summa declaratur, nõ vẽditio contrahitur. ideoque rebus euictis, si mulier bona fide eas dederit, nulla est actio viro. alioquin de dolo tenetur. In dotem rebus æstimatis traditis, quamuis eas mulier in vsu habeat, viri dominium factum videtur. Partus dotalium ancillarum dotis esse portionem conuenit. ideoque frustra pacisci virum, vt inter vxorem & se partus communis sit.

LXX. PAVLVS lib. VI. Quæstionum.

IN ambiguis pro dotibus respondere melius est. Ca. 85. de reg. iu.

LXXI. IDEM lib. III. Quæstionum.

Cum dotem mulieris nomine extraneus promiserit, mulieris periculum esse: si maritus nomen secutus

vsuras

vsuras exegerit, periculum eius futurum respondetur.

LXXII. IDEM *lib.* VIII. *Responsorum.* D

MVlier bona sua omnia in dotem dedit. quæro, an maritus quasi hæres oneribus respondere cogatur? Paulus respondit. eum quidem, qui tota ex repromissione dotis bona mulieris retinuit, à creditoribus eius conueniri non posse: sed non plus esse in promissione bonorũ, quàm quod superesset, deducto ære alieno. Paulus respondit. in rebus dotalibus etiam patrem mariti dolum & culpam præstare debere. Paulus respondit. si mulier de suo dotem dedit, & adhibuit matrem, quæ stipularetur: potuisse eam postea instrumentum dotale mutare.

LXXIII. IDEM *lib.* II. *Sententiarum.*

MVtus, surdus, cœcus dotis nomine obligãtur: quia & nuptias contrahere possunt. Manẽte matrimonio, non perituræ vxori ob has caussas dos reddi potest: vt se suosque alat, vt fundum idoneum emat, vt in exiliũ vel in insulam relegato parẽti præstet alimoniam, aut vt egẽtem virum, fratrem, sororémve sustineat. E

LXXIIII. HERMOGENIANVS *lib.* V. *iuris* ἐπιτομῶν.

SI sponsa dotem dederit, nec nupserit: vel minor duodecim annis, vt vxor habeatur: exemplo dotis, condictioni (fauoris ratione) priuilegium, quod inter personales actiones vertitur, tribui placet.

Dos dicitur in bonis viri, quo ad dominium rerum dotalium: sed quo ad ius & sustentationem vxoris, dicitur esse ipsius vxoris. Bal. F

LXXV. TRIPHONINVS *lib.* VI. *Disputationum.*

QVamuis in bonis mariti dos sit: mulieris tamẽ est. & meritò placuit, vt si in dotem fundum inæstimatum dedit, cuius nomine duplæ stipulatione cautũ habuit, isque sit marito euictus: statim eam ex stipulatione agere posse pro eo, quod eius interest, non esse euictum quod in dotem fuit: quodque ipsa euictione pati creditur, ob id, quod eum in dotẽ habere desiit. huic enim constãte matrimonio (quamuis apud maritum dominium sit) emolumenti potestatem esse creditur: cuius etiam caussa matrimonij onera maritus sustinet.

LXXVI. IDEM *lib.* IX. *Disputationum.*

Si pa-

A SI pater mulieris mortis suæ caussa dotem promiserit: valet promissio.nam & si in tempus,quo ipse moriretur,promisisset:obligaretur. sed si conualuerit: cur ei non remittatur obligatio per condictionem,atque si stipulanti quiuis alius promisisset,aut dotem alicuius nomine? nam vt corporis,vel pecuniæ translatæ,ita obligationis constitutæ mortis caussa condictio est. Non idem dicendum est in persona mulieris:si mortis caussa dotem promisit:quia nisi matrimonij oneribus seruiat,dos nulla est.

Quando obligatio vsuraria transfertur in caussam dotis,desinũt vsuræ currere.Bal.

LXXVII. IDEM *lib.* X.*Disputationum.*

B SI mulier debitori suo,qui sub vsuris debebat, nuptura in dotem promisisset,quod is sibi deberet: post cõtractas nuptias secuti temporis vsuras non esse dotales:quia tota illa obligatio tolletur, perinde ac si solutum debitũ mulieri in dotem ab ea datum esset.

LXXVIII. IDEM *lib.* XI.*Disputationum.*

CVm in fundo mariti habens mulier vsumfructum,dotis caussa marito eum dedit:quãuis ab ea vsusfructus discesserit,maritus tamen vsumfructum nõ habet:sed suo fundo quasi dominus vtitur,cõsecutus per dotem plenam fundi proprietatẽ,nõ separatã ab vsufructu: nec est,quod nõ vtendo eum maritus amittat. Diuortio autem facto cõstituet in eodem fundo vsumfructum mulieri. Quod si in
C matrimonio decesserit vxor, nihil emolumenti ob dotem habere videtur maritus: quia & si vxorẽ eam nõ duxisset, tamen fructuariæ morte finitus vsusfructus ad proprietatẽ rediret.ideoq́ue nec in funus confert mulieris. Planè si pater filiæ nomine,qui in fundo generi vsumfructum habebat,dotis constituendę gratia eum dederit,& in matrimonio ea mortua fuerit: habebit ex sua persona vsusfructus petitionem.Quod si mulier in suo fundo marito vsumfructum dotis caussa cõstituerit:tunc ex mariti persona propriè erit vsusfructus,quia & non vtendo ipsi perit.Quod si acciderit: videamus,an etiam nunc dotata sit mulier. Et siquidem dominium apud mulierem est fundi,ad quem reuersus est vsusfruct⁹:nihil iam in dote habet,quod actione dotis cõsequaẽ ab eo,cui quod nõ vtendo amisit vsum-

fructum, imputari non potest, ex quo ipsa lucrum habet. ideoque indotata erit. Quòd si vxor alienauerit proprietatem, quæ sine vllo mulieris emolumento plenior facta est: adhuc dotata est: quia dotis actione teneri debet maritus, qui quando licuit vsufructu vti, amiserit eum non vtendo. nam si habere perseuerasset vsumfructum vsque ad diuortium: cõmodo mulieris cederet eius restitutio: quia & si non protinus ad ipsam transiret, tamen vel precio, vel beneficio, sine incommodo mulieris ad proprietatem reuerteretur. Si autem vsumfructum maritus nõ amiserit: morte mulieris non finitur vsusfructus apud maritum. Diuortio autem facto, primum videamus & in hac & in superiore specie, an pro rata temporis anni eius diuidantur fructus. quod probandum est. Ipsius aũt restitutio ita fiet: vt habenti mulieri fundum, vsusfructus cedatur, & ita cũ proprietate consolidetur. Sed & si non sit fundi domina: nihilominus competit dotis actio, vt dimittat à se marit⁹ vsumfructum. nam vel ex empto actione adhuc, vt vsumfructum præstet, mulier tenetur: aut precium eius cõsequi sperat: aut cuiuis magis gratiam præstare, quàm relinquere apud inimicum ius à se translatum, licere ei, ciuile est. D E

Vxor viro vsumfructum dotis nomine dedit. manente matrimonio, eidem fundum vendidit. Quæsitum est, diuortio facto, quid dotis iudicio recuperare debeat? Dixi referre, quanti fundus venisset. nã si nudæ proprietatis æstimatio facta fuisset: mulierem dotis iudicio precium vsusfructus recuperare debere. Quid ergo, si vir ante litem contestatam mortuus fuisset? hæredes eius nihil præstituros. nã & si quilibet alius emptor proprietatis exstitisset: hæres viri mulieri nihil pręstaret, scilicet vsufructu reuerso ad proprietatem. Cæterũ si fundus totus venisset, quãti deberet venire, nõ detracto vsufructu: intelligi mulierem dotem matrimonio manente recepisse. Si fundus communis datus erit in dotem, & socius egerit cũ marito cõmuni diuidundo, adiudicatusque fundus socio fuerit: in dotem erit quantitas, qua socius marito damnatus fuerit. at si admissa licitatione extraneo addictus hic fundus fuerit: precij portio, quæ distracta est: sed ita, vt nõ vice corporis habeatur, nec diuortio secuto præsenti die, quod in F

numerato

numerato est, restituatur: sed statuto tépore solui debeat.
A Quòd si marito fundus adiudicatus fuerit: pars vtique data in dotem, dotalis manebit. diuortio autem facto, sequetur restitutionem, propter quam ad maritum peruenit, etiã altera portio: scilicet vt recipiat tantum precij nomine à muliere, quantum dedit ex condemnatione socio. nec audiri debebit alteruter eam æquitatem recusans: aut mulier in suscipienda parte altera quoque, aut vir in restituenda. Sed an constante matrimonio nõ sola pars dotalis sit, quæ data fuit in dotem, sed etiam altera portio, videamus. Iulianus tantum de parte dotali loquitur. ego dixi in auditorio, illam solam dotalé esse. Si marito dotis nomine stipulanti promiserit per errorem is, qui exceptione tutus e-
B rat, nec soluat: cogetur ei soluere, & habebit condictioné aduersus mulierem, aut patrem, vter eorum delegauit: ob id, quod indebitum marito promisit, aut soluit.

LXXIX. LABEO *lib. VI. posteriorum à Iaboleno epitomatorum.*

AVus neptis nomine ex filio natę genero dotem dedit, & moritur. negat Seruius dotem ad patrem reuerti: & ego cũ Seruio sentio: quia non potest videri ab eo profecta, qui nihil ex his sui habuit. Pater filiæ nomine centum doti promisit ita, CVM COMMODISSIMVM ERIT. Ateius scripsit Seruium respondisse: cũ primum sine turpitudine & infamia dari possit, deberi.

C LXXX. IABOLENVS *lib. VI. ex posterioribus Labeonis.*

SI debitor mulieris dotem spõso promiserit: posse mulierem ante nuptias à debitore eam pecuniam petere, neque eo nomine postea viro debitorem obligatum futurum, ait Labeo. quod falsum est: quia ea promissio in pendenti est, donec obligatio in ea caussa est.

LXXXI. PAPINIANVS *lib. VIII. Quæstionum.*

PAter filiæ nomine numos alienos, quos mutuos acceperat, aut in caussam crediti receperat, in doté dedit. consumptis his, dos profectitia efficitur.

LXXXII. PROCVLVS *lib. V. ἐπιστολῶν.*

CVm vxor virum suum pecuniam, quam sibi deberet, in dotem filiæ communi dare iusserit, & id fecisse di

catur: puto animaduertendum esse, vtrum eam dotem suo, an vxoris nomine dedit. si suo: nihilominus vxori eũ debere pecuniã. si vxoris nomine dederit: ipsum ab vxore liberatum esse. D

LXXXIII. IABOLENVS *lib.* VI. *ex posterioribus Labeonis.*

SI debitor mulieris dotem sponso promiserit: non posse mulierem ante nuptias à debitore pecuniam petere: quia ea promissio in pendenti esset, donec obligatio in ea caussa est.

LXXXIIII. LABEO *lib.* VI. πιθανῶν *à Paulo epitomatorum.*


SI de dote promissa agatur: non oportet, in quantum facere potest, condemnari eũ, qui promisit. PAVLVS. imò quod ad extraneum attinet, semper hoc verũ est. Cæterũ si manente adfinitate, dotem promissam gener à socero petat: vtique in quantum facere potest, socer condemnabitur. Si dirempto matrimonio petatur: ex caussa & persona id tribuendum puto. quid enim si socer specie futuræ dotis induxerit generum: & cùm sciret se præstare dotem non posse, id egerit, vt genero insidiaretur? E

LXXXV. SCAEVOLA *lib.* VIII. *Digestorum.*

FVndum filiæ nomine pater in doté dederat. huius hæredi filiæ ex asse (creditoribus patris vrgentibus) vtilius videbatur, potius fundum, qui dotalis erat, distrahere, quod minus fructuosus esset: & alios hæreditarios vberiore reditu retinere. maritus consensit, si nulla in ea re captio futura sit. Quæro, an pars dotis, quę in hoc fundo est, mulieri manente matrimonio rectè soluatur? Respondi. si precium creditoribus soluatur, rectè solutum. F

DE PACTIS DOTALIBVS. Tit. IIII.

IABOLENVS *lib.* IIII. *ex Cassio.*



PAcisci post nuptias, & si nihil antè cõuenerit, licet. Pacta quidem, quæ de reddenda dote fiũt, inter omnes fieri oportet, qui repetere dotem, & à quibus repeti potest: ne ei, qui nó interfuit apud arbitrium cognoscentis, pactum non prosit.

Pactum

Pactum factum vt soluto matrimonio liberis existentibus dos re-
A *maneat penes virum, intelligitur si morte mulieris matrimoniũ dis-*
soluatur, non si morte viri. Bal.

II. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad Sabinum.*

SI conuenerit, vt quoquo modo dissolutum sit matrimonium, liberis interuenientibus, dos apud virum remaneret. Papinianus Iuniano prætori respondit, morte mariti finitô matrimonio, neque conuenisse videri dotem remanere. & si conuenisset: non esse seruandum pactum contra dotem, cũ mariti mortalitas interuenit.

III. PAVLVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

PActa conuenta, quæ in tempus diuortij collata sunt, non facto diuortio locum non habent.

B *Pactum quod maritus non lucretur fructus dotis sed restituat, nõ*
valet: nisi propter ipsum sit maiorem dotem consecutus, vel mulier
seipsam alat.

IIII. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad Sabinum.*

SI conuenerit, vt fructus in dotem conuertantur: an valeat conuentio? Et Marcellus ait libro septimo Digestorum, conuentionem non valere. propè enim indotatam mulierem hoc pacto fieri. Sed tamen distinguit: si quidem fundum in doté dederit mulier, ita vt maritus fructus redderet: non esse ratum pactum. idemq́ue & si vsumfructum in dotem hoc pacto dedisset. Quod si conuenisset de fructibus reddendis, hoc est, vt in dotem fructus essent, quos
C quos percepisset: & fundus vel vsusfructus in hoc traditus est, non vt fundus vel fructus fieret dotalis, sed vt fructus perciperet dotis futuros: cogendum de dote actione fructus reddere. Erunt igitur in dotem fructus, & fruetur iste vsuris, quæ ex fructibus collectis & in sortem redactis, percipi possunt. Ego vtrubiq; arbitror interesse, qua contemplatione dos sit data: vt si ob hoc ei maiorem dotem mulier dedit, quia fructus volebat esse dotis, contento marito ea pecunia, quæ ex vsuris redituum colligeretur: possit dici conuentionem valere. Nec enim videbitur sterilis esse dos. finge quadringenta annua esse redit⁹ apud eum, qui non acciperet in dotem (vt hoc conuenisset) plus trecentis: & boni consuleret, si tam vberem dotem consecutus esset. Et quid dicemus, si tale pactum conuentum

interuenit: vt maritus fructus in dotem conuerteret, & mulier se suosque aleret tueretúrue, & vniuersa onera sua expediret? quare non dicam conuentionem valere? D

Pactũ quod est contra ius, vel per quod quis inuitatur ad delinquendum, non valet. Bal.

V. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

ILlud conuenire non potest, ne de moribus agatur, vel plus vel minus exigatur: ne publica coërcitio priuata pactione tollatur. Ac ne illa quidem pacta seruãda sunt, ne ob res donatas, vel amotas agatur: quia altero pacto ad furandum mulieres inuitantur, altero ius ciuile impugnatur. sed & si conuenit, ne ob impensas necessarias ageretur, tale pactum nõ est seruandum: quia tales impensæ dotem ipso iure minuunt. E

Non valet pactum, quod maritus non teneatur de culpa, sed de casu sic.

VI. VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

POmponius ait. maritum non posse pacisci, vt dolum solummodo in dotem præstet, videlicet propter vtilitaté nubétium: quamuis pacisci possit, ne sit periculo eius nomen debitoris, qui ei dotem promisit. nã vt sit dos periculo mulieris, pacisci eũ posse probat: & ꝓ contrariũ, vt ea dos, quæ periculo mulieris est, sit periculo mariti.

VII. POMPONIVS *lib.* XVI. *ad Sabinum.*

CVm dos filiæ nomine datur, optimum est, pactũ cõuentum cũ vtroque generum facere: quamquam initio dotis dandæ legem, quam velit (etiam citra personam mulieris) is, qui dat, dicere possit. Si verò post datam pacisci velit: vtriusque persona in paciscédo necessaria est: quoniam iam tunc adquisita mulieri dos est. quo casu, si solus pater pactus sit sine filia: siue solus agat, siue adiuncta filiæ persona: ei soli nocebit, & proderit pactum conuentum. sed si sola filia egerit: neque proderit, neque nocebit ei. Si verò filia sola pacta fuerit, quo pacto patris conditio melior fiat: proderit & patri: quoniam per filiam patri adquiri potest, per patrem filiæ non potest. Si verò sic pacta sit filia, vt noceat: ipsi quandoque filiæ agenti nocebit pactum, patri verò nullo modo nocebit: nisi adiecta quoque filiæ persona experiatur. Dicendum enim, paciscendo filiam F

filiã conditioné patris deterioré facere non posse:eo casu,
A quo mortua ea in matrimonio, dos ad patrem reuersura est.

Istam legem intellige secundum legem Si nepos, cum duabus sequentibus, suprà titulo secundo. Baldus.

VIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

Quoties patre furente, vel ab hostibus capto filiusfamiliâs ducit vxorem, filiáve familias nubit: necessariò etiam pactio cum ipsis dumtaxat dotis nomine fieri potuit.

IX. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

Si ita cōueniat, vt si viuo socero mortua sit filia, ipsi socero: si mortuo eo, filio: si filio quoque defuncto, totum suo hæredi reddatur: benigna interpretatione potest
B defendi, vtilem stipulationem esse.

X. IDEM *lib.* XXI. *ad Sabinum.*

Avus pactus est, cùm dotem pro nepote suscepisset: ne à se, néve à filio dos peteretur: ab alio verò, q̄ filio hærede, vt dos peteretur. exceptione conuentionis filius tuendus erit: quippè cùm hæredi nostro cauere concessum est. nec quidquam obstat, quò minus certæ personæ (si hæres erit sibi) caueri possit, quod nō idem & in cæteris hæredibus caueatur. & ita Celsus scribit. *Cap.33 de pactis.*

Conditio adiecta in præcedenti pacto: & in sequenti intelligitur repetita, si aliàs pactum redderetur inutile. Bartolus.

XI. VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

C Cùm pater dotem pollicitus fuerit, & paciscatur, NE À SE VIVO PETATVR, NÉVE CONSTANTE MATRIMONIO: ita pactum interpretandum diuus Seuerus constituit, quasi denuo adiectum esset, SE VIVO. hoc enim ita accipiēdum contemplatione pietatis paternæ, & contrahentium voluntatis, vt & posterior quoque pars cōuentionis ad vitam patris relata videatur: ne diuersa sententia fructus dotis ab oneribus matrimonij separet. quodque indignissimum esset: inducat, vt nō habuisse dotem existimetur. quo rescripto, hoc effectū est: vt siquidem viuo patre decesserit filia, aut sine culpa sua diuerterit, omnino dos peti non possit: constante autem matrimonio mortuo patre, peti possit.

XII. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

SI pater dotem dederit, & pactus ſit, vt mortua in matrimonio filia, dos apud virum maneret : puto pactum ſeruandum, etiam ſi liberi non interueniant. Ex pactis conuentis, quæ ante nuptias vel poſt nuptias interponi ſolent, alia ad voluntatem pertinent: vt mulier dote promiſſa ſe alat, & donec nupta ſit, dos ab ea non petatur : aut vt certam ſummam viro pręſtet, & ab eo alatur, & his ſimilia. Alia ad ius pertinent: veluti quando dos petatur, quemadmodum reddatur : in quibus non vtique voluntas contrahentium ſeruatur. Cæterùm ſi conuenerit, ne omnino dos petatur: indotata erit mulier. D

Si mulier paciſcendo vt certa pars dotis tantùm petatur, pœnam adponit: debet eſſe contenta vel exceptione vel pœna. Baldus.

Si mulier pacta ſit, ne amplius, quàm pars dimidia dotis à ſe petatur, & pœnam ſtipulatá ſit: Mela ait, alterutro eam contentam eſſe oportere : vel exceptione pacti acceptam facere pœnæ obligationem, vel ſi ex ſtipulatu agat, denegandam exceptionem. Si fundo æſtimato in dotem dato pacta ſit mulier, vt quanto pluris venierit, id in dote ſit: Mela ait, id ſeruandum : cùm ex contrario conuenire poſſit, vt ſi minoris venierit, ipſa debeat. Si pacta ſit mulier, vt ſiue pluris, ſiue minoris fundus æſtimatus venierit, precium quanti res venierit, in dotem ſit: ſtari ei pacto oportere. ſed ſi culpa mariti minoris venierit : & idipſum mulierem conſequi. E

XIII. IVLIANVS *lib.* XVI. *Digeſtorum.* F

ITem ſi non venierit, æſtimatio præſtari debebit.

Pactum per quod efficitur deterior dotis conditio, non valet: ſecus ſi fiat melior. Baldus.

XIIII. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

DE die reddẽdæ dotis hoc iuris eſt: vt liceat paciſci, qua die reddaẽ: dũ ne mulieris deterior cõditio fiat.

XV. CAIVS *lib.* XI. *ad edictum prouinciale.*

ID eſt, vt citeriore die reddatur.

XVI. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

VT autem longiore die reddatur dos, conuenire non poteſt: nõ magis, quàm ne omnino reddatur.

XVII. PROCVLVS *lib.* VI. ἐπιϛολῶμ.

ATilicinus Proculo ſuo ſalutem. Cùm inter virum & vxorem

vxorem pactum conuentum ante nuptias factum esset, vt
A quibus diebus dos data esset, iisdem diuortio facto redderetur: post quinquennium, quàm nuptiæ factæ sunt, vxor viro dotem dedit. diuortio facto: quæro, vtrum quinquénij die vir vxori dotem reddet, an statuto legibus tempore? PROCVLVS RESPONDIT. quod ad diem dotis reddendæ attinet, pacto existimo meliorem conditionem mulieris fieri posse, deteriorem non posse. itaque si cautum est, vt priore tempore, quàm legibus constitutum est, reddatur: stari ab eo debere. si vt longiore: nec valere id pactum conuentum. Cui sententiæ conueniens est dicere, si pacto conuento cautum est, vt quanto serius post nuptias data fuerit, tanto serius post diuortium
B reddatur: si propiore tempore, quàm in reddenda dote constitutum est, data sit: valere pactum conuentum. si longiore: non valere.

XVIII. IVLIANVS *lib.* XVI. *Digestorum.*

LIcet manente matrimonio nó possit inter virum & vxorem conueniri, vt longiore die dos reddatur: post diuortium tamen, si iusta caussa conuentionis fuerit, id pactum debet custodiri.

XIX. ALFENVS *lib.* III. *Digestorum à Paulo epitomatorum.*

ALiud est, si pater pro filia dotem promisit, vt annua, bima, trima, quadrima, quinto anno à se redderetur:
C & conuenit, vt iisdem diebus soluto matrimonio dos redderetur. hoc enim pactum ita valet, si patri filia hæres extiterit, & interueniente ea pactum conuentum fuerit.

XX. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

OB res quoque donatas, vel amotas, vel impensas factas, tũc facta pactio valebit. id est post diuortium. Si extraneus de suo daturus sit dotem: quidquid vult, pacisci (etiam ignorante muliere) sicut & stipulari potest. legem enim suæ rei dicit. postquam verò dederit: pacisci consentiente muliere debet. Si cóuenerit, ne à muliere, néve à patre dos petatur: hæres non habebit exceptionem. sed si conuenerit, ne manente matrimonio, viuo patre petatur: mortuo patre statim exigitur. & si non petierit maritus: tenebitur huius culpæ nomine, si dos exigi potuerit: nisi

nisi fortè ante diremptum sit matrimonium, quàm facultatem petendi haberet. D

Si est vtile mulieri, pecunia in dotē promissa, potest in corpus vel in speciem commutari. Bal.

XXI. IVLIANVS *lib.* XVI. *Digestorum.*

SI mulier dotis caussa promiserit certam summam, & pro ea pecunia mancipia in dotem dederit, ea cōditione, vt periculo eius essent, & si quid ex his natum esset, ad eam pertineret: stari pacto conuento oportebit. nam constat posse inter vxorem & virum conuenire, vt dos, quæ in pecunia numerata est, permutetur, & trāsferatur in corpora, cùm mulieri prodest.

Exceptio pacti conuenti non conuenit hæredi matris, quæ mater ex contractu conditionis erat viro obligata, licet hæres istius matris illud pactum apposuerat de lucrando mercedem percipiendam ex fundo dato in dotem. Baldus. E

XXII. IDEM *lib.* II. *ad Vrseium ferocem.*

QVidam fundum dotis caussa ab vxore sua acceperat: interque eos conuenerat, vt mercedes eius fundi vir vxori annui nomine daret. deinde eum fundum vir matri mulieris certa pensione colendum locauerat: eaque, cùm mercedes eius fundi deberet, decesserat: & filiam suam solam reliquerat heredem, & diuortium factū erat. vir deinde petebat à muliere mercedes, quas mater debuerat. Placuit exceptionē mulieri dari non debere: ac si inter se & virū non conuenisset, vt hæ mercedes sibi alimentorū nomine darentur: cū futurum sit, vt quodāmodo donationes inter virum & vxorem cōfirmentur. nam quod annui nomine datur, species donationis est. F

Conditio existens siue in vita, siue post mortem stipulatoris purificat conditionem. Bartolus.

XXIII. AFRICANVS *lib.* VIII. *Quæstionum.*

PAter, cùm filiæ suæ nomine dotē daret, pactus est, vt mortua filia, vno pluribúsve liberis superstitibus, deducta parte tertia, reliqua dos sibi, aut post mortē suā, illi aut illis filiis, quos in potestate habebat, redderetur. deinde hoc ita fieri stipulatus est. post mortē eius mulier in matrimonio decesserat, relictis filiis. quæsitū est, an ex stipulatione duas partes illi petere possint? respōdit posse. etenim

vim

vim ei' stipulationis hāc esse, vt si in matrimonio mortua
A esset, dos patri redderetū:perindeq; habendū, ac si talis stipulatio interposita fuisset, SI NAVIS EX ASIA VENERIT, MIHI, AVT POST MORTEM MEAM LVCIO TITIO DARE SPONDES? nam & si post mortē stipulatoris nauis venisset: hæredi deberi.

XXIIII. FLORENTINVS *lib.* III. *Institutionū.*

SI inter virum & vxorem pactum est, vt certa pars dotis, vel tota ob vnum, vel plures liberos interuenientes retineatur: etiam eorum liberorum nomine, qui antè nati sunt, quàm dos daretur, aut ampliaretur, conuentio rata est. nam sufficit eos ex eo matrimonio nasci, in quo dos data est.

B XXV. VLPIANVS *lib.* I. *Responsorum.*

QVod de reddenda dote, si data fuisset, mortua in matrimonio filia, conuenit: idem de non petenda quoque videri conuenisse: ac patrem pacti conuenti exceptionem ad hæredem suum transmisisse.

XXVI. PAPINIANVS *lib.* IIII. *Responsorum.*

INter socerum & generum conuenit, vt si filia superstitem filium anniculum habuisset, dos ad virum pertineret: quòd si viuente matre filius obiisset, vir dotis portionem, vxore in matrimonio defuncta, retineret. mulier naufragio cū anniculo filio periit. quia verisimile videbatur, ante matrem infantem periisse: virum partem dotis retinere placuit. Vir dotem, quam ex pacto filiæ nomine retinere
C nere potuit, si lapsus errore non retinuit: filiam, quæ sola patri, matri pro parte hæres exstiterat: apud arbitrum diuisionis non improbe dotis perperam à patre solutæ præceptionem desiderare constitit. Cùm inter patrem & generum cōuenit, vt in matrimonio sine liberis defuncta filia, dos patri restituatur: id actum inter contrahentes intelligi debet, vt liberis superstitibus filia defuncta, dos retineatur: nec separabitur portio dotis additamenti caussa data, si postea nihil aliud conueniat. Conuenit, vt mulier viri sumptib', quoquò iret, veheretur: atq; ideo mulier pactū ad literas viri secuta, prouinciam, in qua cēturio merebat, petit. non seruata fide conuentionis, licet directa actio nulla competit, vtilis tamen in factum danda est.

est. Filia, cùm pro se dotem promitteret, pepigit, vt si in matrimonio sine liberis decessisset, matri suæ dos solueretur. pacto filiæ nulla quæritur matri actio. si tamen hæres puellæ matri pecuniam dotis soluerit: viro contra placita petēti dotem, obstabit exceptio. Pater, si filia nupta mortem obiisset, dotem dari stipulatus est. constante matrimonio capitali crimine dānatus est. diuortio secuto, vel morte viri soluto matrimonio, stipulationis conditio deficit. quòd si mulier in matrimonio decesserit: ex stipulatu fisco dotis actio quæritur. post verum autem diuortium renouatis nuptiis, non committitur fisco stipulatio, licet defuncta sit in matrimonio filia: quoniam ad primas nuptias pertinet. D

XXVII. IDEM *lib.* I. *Definitionum.* E

SI liberis sublatis, reuersa post iurgiū per dissimulationem mulier, velui venali concordia, ne dotata sit, conueniat: conuentio secundum ordinem rei gestæ moribus improbanda est.

XXVIII. PAVLVS *lib.* V. *Quæstionum.*

QVęris. si pacta sit mulier, vel ante nuptias, vel post nuptias, vt ex fructibus fundi, quem dedit in dotem, creditor mulieris dimittatur: an valeat pactum? Dico. si ante nuptias id cōuenerit: valere pactum, eóque modo minorem dotem constitutam. post nuptias verò, cùm onera matrimonij fructus releuaturi sunt: iam de suo maritus paciscitur, vt dimittat creditorē, & erit mera donatio.

XXIX. SCAEVOLA *lib.* II. *Responsorum.* F

CVm maritus, qui æstimata prædia in dotem acceperat, manēte matrimonio pactus est circūscribēdę mulieris gratia, vt prædia inęstimata essent, ne periculo suo ea deteriora faceret: quæsitum est, an secūdum priores dotales tabulas prædia æstimata remanerent, & periculum eorum ad maritum pertineret? Respondit. non idcirco pactum de quo quæritur, impediri, quod in matrimonio factum esset, si deteriore loco dos non esset. nihilominus eo pacto admisso, si deteriora prædia faceret, ea actione teneri. Titius mulieris nomine dotem dedit, & stipulatus est in casum mortis & diuortij. diuortio secuto, non repetita dote, Titius decessit. mulier ex voluntate eius hæredis

redintegrauit

redintegrauit matrimonium. Quæsitum est, an ex stipulatu dotem repetere possit? Respondit. hæredem Titij, si
A consensisset, vt ea quantitas, quam ex stipulatu consequi poterat, reconciliato matrimonio dotis fieret: posse pacti exceptione submoueri. Mulier de dote, quã dedit, pacta est, vt si in matrimonio decessisset, fratri eius redderetur: isq; in eum casum stipulatus est. mulier quasdã res dotales decedens marito legauit, & aliis. quosdam ex dotalibus seruis manumisit. quæsitum est, an maritus rerum nomine, quas legauit mulier: & seruorũ, quos manumisit, fratri teneretur? Respondit. nihil proponi, cur non teneatur: cùm etiam hæredes defunctæ tam legatariis, quàm libertatibus obnoxij sint.

B XXX. TRIPHONINUS *lib. X. Disputationum.*

BEbius Marcellus Bebio Maryllo dotis filiæ suæ nomine centena promiserat: & conuenerat inter eos, ne ea dos constante matrimonio sine liberis peteretur: vel si post mortem patris in matrimonio sine liberis filia decessisset, vt dimidia dos apud Maryllum remaneret, dimidia fratri mulieris restitueretur: eáque etiam in stipulationem deducta erant. mortuo Marcello, filio & filia superstitibus, dote vniuersa filiæ prælegata, Maryllus nata filia diuerterat: & mulier decesserat, fratre suo & filia ex æquis partibus hæredibus relictis. Apud Petronium magnum prætorẽ Maryllus ab hærede filio Marcelli ex do-
C tis promissione vniuersam dotem petebat ex coniectura: quia si inter eos placuisset, nullo filiorum exstante mortua muliere, partem dotis remanere apud maritum: magis ergo conuenisset vtique, dotem totam esse eius, si filium filiámve habuisset. Et ex diuerso respondebatur. pacti quidem vulgaris exceptionem hæredi proficere. sed in specie, quæ proponitur, non quasi mulieris hæres ex persona defunctæ se exceptione pacti tuebitur. sed ipse ille, qui etiam viua muliere, si ab eo dos peteretur, potuisset exceptione Maryllum, quia diuortium factum erat, submouere: eandem quoque defensionem & post mortem sororis suæ retinebit. Itaque placuit eum ab ea petitione absolui: nulla ex hac sentẽtia facta derogatione petitioni fideicommissi, quam iure hæreditario per filiam hæres vxoris Maryllus in parte

in parte dimidia habebat.

XXXI. SCAEVOLA *lib.* III. *Quæstionum.* D

SI inter virum & vxorem cōuenerit, vt extremi anni matrimonij fructus nōdum percepti mulieris lucro fiant: huiusmodi pactum valet.

XXXII. IABOLENVS *lib.* VI. *ex posteriorib⁹ Labeonis.*

VXor viro fundum æstimatum centum in dotem dederat: deinde cum viro pactum conuentum fecerat, vt diuortio facto, eodem precio vxori vir fundum restitueret. postea volente vxore, vir eum fundum vendiderat ducentis, & diuortium erat factum. Labeo putabat, viro potestatem fieri debere, vtrum velit ducenta, vel fundum reddere: neque ei pactum conuentum remitti oportere. Idcirco puto hoc Labeonē respondisse, quoniam voluntate mulieris fundus veniit. alioquin omnino fundus erat restituendus. E Si pater filiæ nomine pecuniam certam in dotem promisit, & pactus est, ne inuitus eam solueret: nihil ab eo exigendum puto: quia id, quod pacto conuento, ne inuitus exigeretur, conuenit: in dotis caussam esse non videtur.

DE FVNDO DOTALI. Tit. V.

Prohibitio alienationis facta à lege, non habet locum in alienatione necessaria. Bartolus.

PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

INterdū lex Iulia de fundo dotali cessat: si ob id, quod maritus dāni infecti non cauebat, missus sit vicinus in possessionem dotalis prædij, deinde iussus sit possidere. hic enim dominus vicinus fit: quia hæc alienatio non est voluntaria. Sed & per vniuersitatem transit prædium (secundum quod possibile est) ad alterū: veluti ab hærede mariti. cum suo tamen iure, vt alienari non possit. F

II. VLPIANVS *lib.* V. *de adulteriis.*

SI maritus fuerit in seruitutem redactus: an dominus alienare hunc fundum non possit? quod puto esse verius. Quare & si ad fiscum peruenerit, nihilominus vēditio fundi impeditur: quāuis fiscus semper idoneus successor sit, & soluendo.

III. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

Fundus

A FVndus dotali seruo legatus, ad legem Iuliam pertinet, quasi dotalis. Toties autem non potest alienari fundus, quoties mulieri actio de dote competit, aut omnimodo cõpetitura est.

IIII. CAIVS *lib. XI. ad edictum prouinciale.*

LEx Iulia, quæ de dotali prædio prospexit, ne id marito liceat obligare, aut alienare, plenius interpretanda est: vt & de sponso idem iuris sit, quod de marito.

In hanc legẽ Iuliã vide Alex. ab Alex. li. 4. Genia. dierũ, ca. 8. et ibidẽ multa de iurẽ dotium.

V. VLPIANVS *lib. II. de omnibus tribunalibus.*

IVlianus libro decimosexto Digestorum scribit, neque seruitutes fundo debitas posse maritum amittere, neque aliâs ei imponere.

VI. IDEM *lib. V. de adulteriis.*

B SEd nec libertas seruitutis vrbano prædio dotali debitæ competit: ne per hoc deterior conditio prædij fiat.

VII. IVLIANVS *lib. XVI. Digestorum.*

SI maritus fundum Titij seruientem dotali prædio adquisierit: seruitus confunditur. Sed si eundem fundum Titio reddiderit sine restauratione seruitutis: hoc marito imputabitur, & hoc casu maritus litis æstimationem præstabit. quod si maritus soluendo non erit: vtiles actiones aduersus Titium mulieri ad restaurãdam seruitutem dantur. Sed cùm vxor fundum, cui prædia viri seruitutem debebant, in dotem dat: fundus ad maritum peruenit amissa seruitute, & ideo non potest videri per maritum ius fundi C deterius factũ. Quid ergo officio de dote iudicantis continebitur, vt redintegrata seruitute iubeat fundum mulieri, vel hæredi eius reddi.

VIII. ALFENVS *li. III. Digestorũ à Paulo epitomatorũ.*

VIr in fundo dotali vxoris rogatu oliuetum succiderat, ad hoc vt nouellum reponeret. postea vir mortuus erat, & vxori dotem relegauerat. ligna, quæ ex oliueto excisa essent, oportere reddi mulieri respondit.

IX. AFRICANVS *lib. VIII. Quæstionum.*

SI marito debitori fundi, id quod debebat, doti mulier promiserit: dotalem fundum effici. quod si ei promittat, qui fundum aut decem debuit: in arbitrio esse mariti, quid in dotem sit. quod si Stichum, aut fundum debuerit maritus, & quod debet, doti ei promiserit: Sticho mortuo, fun-

tuo, fundum in dotem eſſe. His conſequens eſſe, vt ſi Cornelianum aut Sempronianum fundum debenti, id quod debet, doti promiſſum ſit: vtrum eorum dotalem eſſe malit, D hunc dotis eſſe. Planè vtrum velit alienatum, alterum alienare nõ poſſe. ſi tamen alienatum rurſus redimat: adhuc in eius poteſtate eſſe, an eum, quem retinuiſſet, alienare velit.

X. PAVLVS *lib.* V. *Quæſtionum.*

ERit ergo poteſtas legis ambulatoria: quia dotalis fuit obligatio. Nunquid ergo illo nondum redempto, alterum quoque alienare poſſit, quia poteſt alterum redimere: an hoc non debet recipi, vt nullus in dotem ſit? Certè ex poſt facto videbitur rectè alienatus, illo poſtea redempto.

XI AFRICANVS *lib.* VIII. *Quæſtionum.* E

QVòd ſi fundus in dotẽ æſtimatus datus ſit, vt electio eſſet mulieris: negauit alienari fundum poſſe. quod ſi vt arbitrio mariti ſit: contrà eſſe.

XII. PAPINIANVS *lib. ſingulari de adulteriis.*

ETiam dirempto matrimonio dotale prædium eſſe intelligitur. Soceri voluntas in diſtrahendo prædio dotali nulla eſt.

XIII. VLPIANVS *lib.* V. *de adulteriis.*

DOtale prædium accipere debemus, tam vrbanum, quàm ruſticanum. ad omne enim ædificium lex Iulia pertinebit. Prædij appellatione etiam pars continetur. proinde ſiue totum prædium in dotem ſit datum, ſiue pars F prædij: alienari non poterit. & hoc iure vtimur. Dotale prædium ſic accipimus, cùm dominium marito quæſitum eſt, vt tunc demum alienatio prohibeatur. Hæredi quoque mulieris idem auxilium præſtabitur, quod mulieri præſtaretur. Si vxore hærede inſtituta, fundus dotalis fuerit legatus: ſiquidem deductis legatis, mulier quãtitatem dotis in hæreditate habitura eſt: valet legatum. ſi minus: an non valeat, quæritur. Scæuola certè, ſi nõ totus, ſed aliqua pars ex eo vindicari poſſit (ſi modò aliqua pars ad dotem ſupplendam deſit) id dumtaxat, ex eo apud mulierem remanere ait, quod quantitati dotis deeſt.

XIIII. PAVLVS *lib.* III. *de adulteriis.*

SI nuptura Titio, voluntate eius fundum dotis nomine Mæuio

ne Mæuio tradit : dos eius conditionis erit, cuius esset, si
A ipsi Titio fundum tradidisset. Si mulieris nomine quis fundum in dotem dederit : dotalis fundus erit. propter vxorem enim videtur is fundus ad maritum peruenisse.

Si fundum alienum mulieri debeat maritus, eúmq; mulier ei dotis nomine promiserit : in pendenti erit, & tunc fiet dotalis, cùm ad eum peruenerit. Si fundum legatum sibi dotis caussa mulier repudiauit, vel etiã substituto viro omisit hæreditatem, vel legatum: erit dotalis fundus.

XV. PAPINIANVS *lib.* III. *Responsorum.*

DOtale prædium, cuius vir possessionem retinuit, post literas ad vxorem missas, quibus dotis non fore prædium declarauit : in matrimonio defuncta muliere,
B virum retinere placuit: quia mulier actionem ex pacto non habuit.

Quæ prohibentur alienari, & præscribi prohibentur. & caussa alienationis interueniens præscriptionem iam cœptam non interrumpit. Bartolus.

XVI. TRIPHONINVS *lib.* XI. *Disputationum.*

SI fundum, quem Titius bona fide possidebat, & longi temporis possessione poterat sibi quærere: mulier, vt suum, marito dedit in dotẽ: eúmque petere neglexerit vir, cùm id facere posset: rem periculi sui fecit. Nam licet lex Iulia, quæ vetat fundum dotalem alienari, pertineat etiam ad huiusmodi adquisitionem : non tamen interpellat eam
C possessionem, quæ per longũ tempus fit, si ante quàm constitueretur dotalis fundus, iam ceperat. Planè si paucissimi dies ad perficiendam longi temporis possessionem superfuerunt: nihil erit, quod imputetur marito.

XVII. MARCELLVS *lib.* VII. *Digestorum.*

FVndum dotalem maritus vendidit & tradidit. si in matrimonio mulier decesserit, & dos lucro mariti cessit: fundus emptori auelli non potest.

XVIII. IABOLENVS *lib.* VI. *ex posterioribus Labeonis.*

VIr in fundo dotali lapidicinas marmoreas aperuerat. diuortio facto, quæritur, marmor, quod cæsum, neque exportatum est, cuius sit? & impensas in lapidicinas

factas mulier, an vir præstare debeat? Labeo marmor viri esse ait. cæterùm viro negat quidquam præstandum esse à muliere: quia nec necessaria ea impensa esset, & fundus deterior esset factus. Ego non tantùm necessarias, sed etiam vtiles impensas dandas à muliere existimo: nec puto fundum deteriorem esse, si tales sint lapidicinæ, in quibus lapis crescere possit. Si per mulierem mora fieret, quò minus æstimationem partis fundi viro solueret, & fundum reciperet, cùm hoc pactum esset: fructus interim perceptos ad virum pertinere, ait Labeo. Sed puto potius pro portione fructus virum habiturum, reliquos mulieri restituturum. quo iure vtimur. D

E

DIGESTORVM SEV PANdectarum Liber XXIIII.

DE DONATIONIBVS INTER uirum & uxorem. Tit. I.

VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad Sabinum.*



ORIBVS apud nos receptum est, ne inter virum & vxorem donatio valeret. hoc autem receptum est, ne mutuo amore se inuicem spoliarent, donationibus non obtemperãtes, & profusa erga se facilitate vtentes. F

II. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

NEc esset eis studium liberos potius educendi. Sextus Cæcilius & illam caussam adiiciebat: quia sæpe futurum esset, vt distraherentur matrimonia, si non daret is, qui posset: atque ea ratione euenturum, vt venalia matrimonia essent.

III. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad Sabinum.*

HAec ratio & oratione imperatoris nostri Antonini electa est: nam ita ait. Maiores nostri inter virum & vxorem

vxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis æstimantes, famæ etiam coniunctorum consulentes: ne concordia precio conciliari† videretur, néve melior in paupertatem decideret, deterior ditior fieret.

A

†*Cõcordiã & benigni tatẽ nõ esse precio, sed obsequio virtute & industria cõparãdã præclarè disseruit Cic. li. 2. Offic.*

Videamus, inter quos sint prohibitæ donationes. Et quidem si matrimonium legibus & moribus constat: donatio non valebit. sed si aliquod impedimentum interueniat, ne sit omnino matrimonium: valebit donatio. ergo si senatoris filia libertino contra senatusconsultum nupserit: vel prouincialis mulier ei, qui ibi meret,† contra mandata: valebit donatio, quia nuptiæ non sunt. Sed fas non est, eas donationes ratas esse: ne melior sit conditio eorum, qui deliquerunt. Diuus tamen Seuerus in liberta Pontij Paulini senatoris contra statuit: quia non erat affectione vxoris habita, sed magis concubinæ. Qui in eiusdem potestate sunt, prohibentur sibi donare: vtputa frater mariti, qui est in potestate soceri. Verbum potestatis non solùm ad liberos trahimus, verumetiam ad seruos. nam magis est, vt hi quoque, qui aliquo iure subiecti sunt marito, donare non possint. Secundum hæc si mater filio, qui in patris potestate est, donet: nullius momenti erit donatio, quia patri quæritur. sed si in castra eunti filio dedit, videtur valere: quia filio quæritur, & est castrensis peculij. Quare & si filius, vel priuignus, vel quiuis alius potestati mariti subiectus, de castrensi suo peculio donauerit: non erit irrita donatio. Prohibetur igitur vxori & nurui donare etiam is, qui est in soceri potestate: si modò maritus sit in patris potestate. Ab vxoris nurúsve parte prohibitum est donari viro, vel genero. Sed & his, qui sunt in eorum potestate, si fuerit donatum, vel in quorum sunt potestate, non valebit donatio: si modò vir & socer in eiusdem sunt potestate, vel vir in soceri. Cæterùm si in alia familia est maritus: neque socero, neque ei, qui est in eius potestate, neque ei, in cuius est, donatione interdictum est.

B

†*Ca. præfectus &c. eos. suprà de ritu nuptiarum.*

C

Socrui à nuru vel contrà, donari non est prohibitum: quia hic ius potestatis non vertitur. Si seruus meus, cuius vsusfructus alienus est, donet vxori meæ ex eo peculio, quod ad me non pertinebat: vel liber homo bona fide mihi seruiens: an valeat donatio, quæritur? Et in

libera quidem persona vtcunque admitti potest donatio. cæteræ enim personæ alienationem peculij, vt donent, non habent. Non tantùm autem per se maritus & vir, cæteræque personæ donare non possunt: sed nec per alios. D

Donatio facta inter virum & vxorẽ non valet ipso iure, nec traditio quæ ex ea sequitur. Bartolus.

Sciendum autem est, ita interdictam inter virum & vxorem donationem, vt ipso iure nihil valeat, quod actum est. proinde si corpus sit, quod donatur, nec traditio quidquam valet. Et si stipulanti promissum sit, vel acceptò latum: nihil valet. ipso enim iure, quæ inter virum & vxorem donationis caussa geruntur, nullius momenti sunt. Si quis igitur numos vxori dederit: nõ fieri eius apparet: quia nihil corporis eius fieri, palam est. E

Si mandato meo debitor alii soluit, mihi creditori est solutum, & à me illi. & ideo si vir mandat debitori suo, vt vxori soluat, talis solutio ipsum liberat. Baldus.

Sed si debitorem suum ei soluere iusserit: hic quæritur, an numi fiant eius, debitórque liberetur? Et Celsus libro decimoquinto Digestorum scribit: videndum esse, ne dici possit, & debitorem liberatum, & numos factos mariti, deinde vxoris. nam si donatio iure ciuili non impediretur: eum rei gestæ ordinem futurum, vt pecunia ad te à debitore tuo, deinde à te ad mulierem perueniret. nam celeritate coniungendarum inter se actionum vnam actionem occultari. cæterùm debitorem creditori dare, creditorem vxori. nec nouum, aut mirum esse, quod per alium accipias, te accipere. nam & si is, qui se procuratorem tui creditoris esse simulauit, à debitore tuo iubente te pecuniam acceperit: & furti actionem te habere constat, & ipsam pecuniam tuam esse. Huic sententiæ consequens est quod Iulianus libro decimo septimo Digestorum scribit. ait enim, si donaturum mihi, iussero vxori meæ dare: nullius esse momenti. perinde enim habendum, atque si ego acceptam rem meam factam, vxori meæ dedissem. quæ sententia vera est. F

IIII. IVLIANVS *lib.* XVII. *Digestorum.*

Déinque est, & si mortis caussa traditurũ mihi, iusserim vxori

vxori tradere. nec refert, conualuerit donator, an mortuus sit. neque existimandum est, si dixerimus valere donationem, non fieri me pauperiorem: quia siue conualuerit donator, ei condictione tenebor: siue mortuus fuerit, rem, quam habiturus eram, in bonis meis desinam propter donationem habere.

A

Donatio facta à sponso sponsæ valet & tenet, licet traditio sit facta postea, constante matrimonio, dummodo à sponso ante matrimonium contractum fuerit facta traditio procuratori vxoris. secus si à procuratore sponsi. Baldus.

V. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad Sabinum.*

SI spõsus sponsæ donaturus, tradiderit Titio, vt is sponsæ daret: deinde Titius tradiderit post nuptias secutas: siquidem maritus eum interposuit: donationem non valere, quæ post contractas nuptias perficiatur. si verò mulier eum interposuit: iamdudum perfectam donationem, hoc est ante nuptias: atque ideo, quamuis contractis nuptiis Titius tradiderit, donationem valere. Si maritus duos reos habeat Titium & mulierem, & mulieri acceptò tulerit donationis caussa, neuter liberatur: quia acceptilatio non valet. & hæc Iulianus libro decimoseptimo Digestorum scribit. Planè si proponas Titio acceptò latum esse: ipse quidem liberabitur, mulier verò manebit obligata. Generaliter tenendum est, quod inter ipsos, aut qui ad eos pertinent, aut q̃d per interpositas personas donationis caussa agitur: non valere. quod si aliarum extrinsecus personarum rerúmve caussa commista sit: si separari non possit: nec donationem impediri. si separari possit: cætera valere, id quod donatum sit, non valere. Si debitor viri pecuniam iussu mariti vxori promiserit: nihil agitur. Si vxor viri creditori donationis caussa promiserit, & fideiussorem dederit: neque virum liberari, neque obligari mulierem, vel fideiussorem eius, Iulianus ait: perindéque haberi, ac si nihil promisisset. Circa venditionem quoque Iulianus scribit: minoris factam venditionem, nullius momenti esse. Neratius etiam (cuius opinionem non improbat Pomponius) venditionem donationis caussa inter virum & vxorem factam, nullius esse momenti ait: si modò, cùm animum maritus vendendi

B

C

non haberet, idcirco venditionem commentus ſit, vt donaret. Enimuero ſi cùm animum vendendi haberet, ex precio ei remiſit: venditionem quidem valere, remiſſionem hactenus non valere, quatenus locupletior facta eſt. itaque ſi res quindecim, venit quinque, nunc autẽ ſit decem: quinque tantùm præſtanda ſunt: quia in hoc locupletior videtur facta. Si donationis cauſſa vir vel vxor ſeruitute non vtatur: puto amitti ſeruitutem, verum poſt diuortium cõdici poſſe. Si vxor vel maritus exceptione quadam donationis cauſſa ſubmoueri voluerit: facta à iudice abſolutione, valebit quidem ſententia: ſed condicetur ei, cui donatum eſt. Conceſſa donatio eſt ſepulturæ cauſſa. nam ſepulturæ cauſſa locum marito ab vxore, vel contrà poſſe donari, conſtat: & ſiquidem intulerit, faciet locum religioſum. Hoc autem ex eo euenit, quod definiri ſolet: eam demum donationẽ impediri ſolere, quæ & donantem pauperiorem, & accipientem faceret locupletiorem. porrò hic non videtur fieri locupletior in ea re, quam religioni dicauit. nec moueat quenquam, quod emeret, niſi à marito accepiſſet. nã & ſi pauperior ea fieret, niſi maritus dediſſet: non tamẽ idcirco fit locupletior, quod non expẽdit. hoc & illud ſuadet: & ſi vxori maritus ſepulturæ cauſſa donauerit: ita demum locum fieri intelligi mulieris, cùm corpus humatur. cæterùm ante, quàm fit religioſus: donantis manet. proinde & ſi diſtraxerit mulier: manet locus donatoris. Secundum hæc ſi vxori ſuæ monumentum purum maritus magni precij donauerit, valebit donatio: ſic tamen, vt cùm ſit religioſus, valeat. ſed ſi ipſa fuerit illò illata: licet morte eius finitum eſt matrimonium: fauorabiliter tamen dicetur, locum religioſum fieri. Proinde & ſi maritus ad oblationem dei vxori donauit: vel locum, in quo opus publicum, quod promiſerat, faceret, vel ædem publicã dedicaret: fiet locus ſacer. Sed & ſi quid ei donetur, vt deo detur, vel cõſecretur: nec dubium, quin debeat valere. Quare & ſi oleũ pro ea in æde ſacra poſuerit, valet donatio. Si maritus hæres inſtitutus repudiat hæreditatẽ donationis cauſſa: Iulianus ſcripſit lib. decimoſeptimo Digeſtorũ, donationem valere. neq; enim pauperiorem fieri, qui non adquirat, ſed qui de patrimonio ſuo depoſuerit. Repu

diatio autem mariti mulieri prodest, si vel substituta mu-
A lier sit, vel etiã ab intestato heres futura. Simili modo & si legatum repudiet, placet nobis valere donationẽ: si mulier substituta sit in legato, vel etiam si proponas eam hæredem institutã. Si quis rogat* sit, præcepta certa quãtitate, vxori suæ hæreditatẽ restituere, & is sine deductione restituerit: Celsus libro decimo Digestorũ scripsit, magis pleniore officio præstandæ fidei functum maritum, q̃ donasse videri. & rectam rationem huic sententiæ Celsus adiecit. quod plerique magis fidem exsoluũt in hoc casu, quàm donant: nec de suo putant proficisci, quod de alieno plenius restituunt, voluntatem defuncti secuti. nec immeritò. sæpe enim credimus aliquid defunctum voluisse,
B & tamen non rogasse. quæ sententia habet rationem: & magis in eo, qui non erat deducta quarta restituere rogatus, & tamen integram fidem præstat, omisso senatusconsulti cõmodo. hic enim verè fidem exsoluit, voluntatem testatoris secutus. Hoc ita, si non per errorem calculi fecit. Cæterũ indebiti fideicommissi esse repetitionem, nulla dubitatio est. Cũ igitur nihil de bonis erogatur, rectè dicitur valere donationem. Vbicunque igitur non deminuit de facultatibus suis, qui donauit: vel etiam si deminuat, locupletior tamen non fit, qui accepit: donatio valet.

Donatio reuocatur, quatenus mulier est facta locupletior: & an sit locupletior, inspicitur tempus litis contestatæ. Bal.

C Marcellus libro septimo Digestorum quærit. si mulier à marito acceptam pecuniã in sportulas pro cognato suo ordini erogauerit: an donatio valeat? & ait valere, nec videri locupletiorem mulierem factam: quamuis mutuã pecuniam esset acceptura, & pro affine erogatura. In donationibus autem iure ciuili impeditis, hactenus reuocatur donum ab eo, ab eáue, cui donatum est: vt siquidem exstet res, vindicetur: si consumpta sit, condicatur, quatenus locupletior quis eorum factus est.

VI. CAIVS *lib.* XII. *ad edictum prouinciale.*

QVia quod ex non concessa donatione retinetur: id aut sine caussa, aut ex iniusta caussa retineri intelligitur: ex quibus caussis condictio nasci solet.

VII. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad Sabinum.*

QVod autem ſpectatur tempus, an locupletiores ſint facti: vtrum tempus litis conteſtatæ, an rei iudicatę? Et verũ eſt litis conteſtatæ tempus ſpectari oportere: idemque Imperator noſter cũ patre reſcripſit. D

Donatio quæ mulierem locupletiorem non reddit, non reuocatur: & non dicitur locupletior, ſi tantumdem de ſuo erogauerit. Bal.

Si maritus pecuniam vxori in vnguenta dederit, eaque eã creditori ſuo ſoluerit, mox de ſua pecunia emerit vnguenta: non videri locupletioré factam, Marcellus libro ſeptimo Digeſtorum ſcribit. Idé ait, & ſi lancem ob eandem cauſſam ei dederit, eaque lancem retinuerit, de ſua autem pecunia vnguenta emerit: vindicationem ceſſare: quia non ſit locupletior, quæ tantumdem in re mortua impenderit. Si vir & vxor quina inuicem ſibi donauerint, & E maritus ſeruauerit, vxor conſumpſerit: rectè placuit compenſationem fieri donationum. & hoc diuus Hadrianus conſtituit.

Inter virum & vxorem habet locum donatio, ſi inuicem compẽſauerint. Bal.

Idemque ait, ſi maritus vxori pecuniam donauerit, ipſaque ex ea pecunia prædia comparauerit: æſtimari oportere, in quantum locupletior facta ſit mulier. proinde & ſi prædia hodie viliſſima ſunt: conſequenter dicemus, litis conteſtatæ tempore æſtimationem eorum ſpectãdam. Planè ſi magni precij prædia ſunt: ſumma numerata erit reſtituenda, non etiam vſuræ precij. Eleganter tractabitur: F ſi mulier prædia quindecim emerit, & maritus non totum precium numerauerit, ſed duas partes precij, hoc eſt decé, vxor de ſuo quinque, deinde hæc prædia valeant nũc decem: maritus quantum conſequetur. & magis eſt, vt conſequi debeat duas partes decem: vt quod perierit ex preçio, vtrique perierit, & marito, & vxori. Si maritus æſtimationé rerũ, quas in dote accepit, dicat ſe donationis cauſſa auxiſſe: remedium monſtrauit Imperator noſter cũ diuo patre ſuo reſcripto, cuius verba hæc ſunt. Cũ donationis cauſſa preciũ auctum adfirmes: qui ſuper ea re cogniturus erit, ſi pecuniæ modum recuſabis, ipſa prædia reſtitui debere, ſumptuum deductis rationibus, arbitrabitur. Igitur in arbitrio mariti erit, quid præſtitum malit. Idem

iuris

iuris est, & si è contrario mulier de minore æstimatione
A queratur: nec aliud in commodato æstimato obseruari solet, vt Pomponius libro quarto variarum lectionum scribit. Si vxor à marito suo prædia, quæ ob dotem pignori acceperat, emerit, eaque emptio donationis caussa facta dicatur: nullius esse momenti, pignoris tamen obligationẽ durare, Imperator noster cũ patre suo rescripsit. cuius rescripti verba ideo retuli, vt appareat venditionẽ inter virum & vxorem bona fide gestam, non retractari. Si tibi maritus pignora, propter dotem & pecuniam creditam data, non donationis caussa vendidit: quod bona fide gestũ est, manebit ratum. At si titulus donationi quæsitus ostendetur, atque ideo venditionem irritam esse cõnstabit: iure pu
B blico caussam pignorum integrã obtinebis. Si vxor rẽ emit, & maritus precium pro ea numerauit: interdum dicendum est, totum à muliere repetendum, quasi locupletior ex ea in solidum facta sit: vtputa si emit quidem mulier rem, & debeat pecuniam, maritus autem à venditore eam liberauit. quid enim interest, creditori soluat, an venditori. Vxori quis donauit seruum, ita vt eum intra annum manumitteret. an si mulier non obtemperet voluntati, constitutio diui Marci imponat ei libertatem, si vir vel viuit, vel etiam diem suum obiit? Et ait Papinianus. cũ Sabini sententia sit recepta, qui putat, tunc fieri seruum eius, cui donaretur, cũ libertas cœperit imponi: ideoq̃ue, nec si
C velit mulier, post exactum tempus possit manumittere: rectè dici, non esse constitutioni locum, nec voluntatem mariti posse constitutioni locum facere, cũ proprium seruum ipse possit manumittere. quæ sententia mihi quoque probatur: quia venditor siue donator non sibi legem volunt imponere, nec possunt: sed ei, qui accepit. dominio igitur penes se remanente, nequaquam effectum habebit constitutio.

* *In iis quæ retro non trahuntur, non inspicitur tempus contractus, sed existentis conditionis.* Bar.

Manumissionis caussa donatio facta valet: & licet non hoc agatur, vt statim ad libertatem, sed quandoque perducatur. proinde si, vt post certum tempus manumittat, vxori suæ tradidit: tunc demum eius fiet, cũ tempore impleto

manumit-

manumittere cœperit. quarè antè manumittendo nihil agit. Nam & illud ſciendum eſt: ſi vxori quis ſuæ donauerit, vt intra annum manumittat, deinde nõ manumiſerit intra annum: poſtea manumittendo nihil agi. D

Cũ aliquid eſt fiendum ab aliquo ſub nomine appellatiuo ipſius, non poteſt fieri, poſtquam appellatiuum nomen competere deſijt.

VIII. CAIVS *lib.* XII. *ad edictum prouinciale.*

SI antè, quàm ſeruus manumittatur, morte, aut diuortio ſolutum fuerit matrimonium, reſoluitur donatio. ineſſe enim conditio donationi videtur, vt manente matrimonio manumittatur.

IX. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad Sabinum.*

SI eum vxori maritus donet, qui eius erat conditionis, ne vnquam ad libertatem perduci poſſit: dicẽdum eſt, omnino nihil agi hac donatione. Si pecunia accepta mulier manumiſerit, vel operas ei impoſuerit: ait Iulianus, operas quidem licito iure eam impoſituram, & tenere obligationem: nec videri mulierem ex re viri locupletiorem fieri, cùm eas libertus promittat. Quòd ſi precium ob manumiſſionem acceperit mulier, & ſic manumiſerit: ſiquidẽ ex peculio ſuo dedit: numos mariti manere. ſi verò alius pro eo dedit: fieri numos mulieris. quæ ſententia rectè ſe habet. Inter virum & vxorem mortis cauſſa donationes receptæ ſunt. E

X. CAIVS *lib.* XI. *ad edictum prouinciale.*

QVia in hoc tempus excurrit donationis euentus, quo vir & vxor eſſe deſinunt. F

XI. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad Sabinũ.*

SEd interim res non ſtatim fiunt eius, cui donatæ ſunt: ſed tunc demum, cùm mors inſecuta eſt. medio igitur tempore dominium apud eum remanet, qui donauit. Sed quod dicitur, mortis cauſſa donationẽ inter virũ & vxorem valere: ita verum eſt, vt non ſolùm ea donatio valeat ſecundum Iulianum, quæ hoc animo fit, vt tũc demum res fiant vxoris, vel mariti, cùm mors inſequatur, ſed omnis mortis cauſſa donatio. Quando itaque non retro agitur donatio: emergũt vicia, vt Marcellus animaduertit in ſpecie huiuſcemodi. Maritus vxori mortis cauſſa donatum voluit. interpoſuit mulier filiumfamiliâs, qui à marito acciperet,

ciperet, eique traderet : deinde cùm moritur maritus, paterfamiliâs inuentus. an valeat traditio ? & ait consequens
A esse dici traditionem valere : quia sui iuris effectus sit eo tempore, ad quod traditio redigitur, id est, cùm maritus moriebatur. Idem ait. placuisse scio Sabinianis, si filiæfamiliâs vxori maritus tradiderit : donationem eius cum omni suo emolumento fieri, si viuo adhuc marito sui iuris effecta fuerit. quod & Iulianus libro decimoseptimo Digestorum probat. Proinde & si vxor marito filiofamiliâs mortis caussa tradat, & is sui iuris effectus sit: sine dubio dicemus, ipsius fieri. Per contrarium quoque, si vxor donauerit mortis caussa patrifamiliâs marito, & mortis eius tempore filiusfamiliâs inueniatur : patri erit nunc
B emolumentum quæsitum. Consequenter Scæuola apud Marcellum notat. si interposuerit seruum mulier, vt ei tradatur mortis caussa, isque adhuc seruus dederit mulieri, deinde mortis tempore liber inueniatur : tantumdem esse dicendum. Idem Marcellus tractat. si is, qui interpositus est, postquam dederit mulieri, decesserit viuo adhuc donatore : donationem euanescere : quia debebat aliquo momento interposito eius fieri, & sic ad mulierem transire. Quòd ita procedit, si ea, cui donabatur, eum interposuit, non is, qui donabat. Porrò si à marito est interpositus : res ipsius statim facta est. & si ante mortem mariti tradiderit, & decesserit : traditio eius egit a-
C liquid, vt tamen hæc traditio pendeat, donec mors consequatur. Si vxor rem Titio dederit, vt is marito mortis caussa traderet : eaque defuncta, inuitis hæredibus eius, Titius marito dederit : interest, vtrum à muliere sit interpositus Titius, an verò à marito, cui donabatur. si à muliere interpositus est : obligabit se condictione, si marito tradiderit. si autem à marito sit interpositus: mortua muliere confestim fundus efficietur eius, quem maritus interposuit, & actionem ipse maritus cum eo habebit. Si vxor rem, quam acceperat à marito suo mortis caussa, viuo eo alij tradiderit : nihil agitur ea traditione : quia non ante vltimum vitæ tempus mulieris fuit. Planè in quibus casibus placet retroagi donationem : etiam consequens traditio à muliere facta in pendenti habebitur.

'Si ma-

Si maritus vxori donauerit mortis caussa, eaque diuerterit: an dissoluatur donatio? Iulianus scripsit, infirmari donationem, nec eam in pendenti esse. Idem ait, si diuortij caussa facta sit donatio, valere. D

XII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

QVæ tamen sub ipso diuortij tempore, non quæ ex cogitatione quandoque futuri diuortij fiat.

XIII. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad Sabinũ.*

SEd si mors sit insecuta: non videri factas res mulieris: quia donatio in aliũ casum facta est. Proinde & si mortis caussa vxori donauit, & deportationem passus est: an donatio valeat, videamus. Et aliâs placet in casum deportationis donationem factam valere, quemadmodum in caussa diuortij. cùm igitur deportatione matrimonium minimè dissoluitur, & nihil vicij mulier incurrit: humanum est: donationem, quæ mortis caussa ab initio facta est, tali exilio subsecuto confirmari, tanquam si mortuo marito rata habeatur. ita tamen, vt non adimatur licentia marito eam reuocare: quia & mors eius exspectanda est: vt tũc plenissimam habeat firmitatem, quando ab hac luce fuerit subtractus siue reuersus, siue adhuc in pœna cõstitutus. E

Cùm quis acceperit, vt in suo ædificet: condici ei id non potest: quia magis ei donari videtur. quæ sententia Neratij quoque fuit. ait enim. datum ad villam exstruendam, vel agrum conserendum, quod alioquin facturus non erat is, qui accepit: in speciem donationis cadere. ergo inter virum & vxorem hæ erunt interdictæ. F

XIIII. PAVLVS *lib.* XXXVI. *ad edictum.*

QVod si vir vxori, cuius ædes incẽdio cõsumptæ sũt, ad refectionẽ earũ pecuniã donauerit: valet donatio in tantũ, in quãtũ ædificij exstructio postulat.

Vsuræ perceptæ ab vxore ex pecunia per virum sibi donata, sunt ipsius vxoris, adeo quòd si pars capitalis sit perdita, & alia pars propter vsuras sit duplicata, debet reddi viro illa pars capitalis, quæ durat: & quod dictũ est in vsuris, idem est in fructibus rei donatæ. Baldus.

XV. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad Sabinum.*

EX annuo vel menstruo, quod vxori maritus præstat, tunc quod superest, reuocabitur: si satis immodicum sit, id

sit, id est supra vires dotis. Si maritus vxori donauerit
A pecuniam, eaque vsuras ex donata pecunia perceperit: lucrabitur. hæc ita Iulianus in marito libro decimo septimo Digestorum scribit.

XVI. TRIPHONINVS *lib.* X. *Disputationum.*

QVid ergo, si ex centum, quæ vir vxori donauit, quinquaginta apud debitorẽ perierint, & ex his alia quinquaginta duplicata pro vsuris vxor habeat? non plus quinquaginta, eius donationis nomine, maritus ab ea consequetur.

XVII. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad Sabinum.*

DE fructibus quoque videamus: si ex fructibus prædiorum, quæ donata sunt, locupletata sit: an in caus-
B sam donationis cadant. Et Iulianus significat, fructus quoque, vt vsuras, licitam habere donationem. Sed si quid seruus donatus adquisiit: ad eum, qui donauit, pertinebit.

XVIII. POMPONIVS *lib.* III. *ex variis lectiõib⁹.*

SI vir vxoris, aut vxor viri seruis, aut vestimentis vsus, vel vsa fuerit: vel in ædibus eius gratis habitauerit: valet donatio.

XIX. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad Sabinum.*

SI vxor filio donauerit seruũ, qui in patris mariti sit potestate, deinde is seruus ancillam accipiat: dominium mulieri quęritur. nec interesse Iulian⁹ ait, ex cuius pecunia ancilla ẽpta sit: quia nec ex re sua quidquã adquiri potest
C per eum, qui donatur, ei cui donatur. hoc enim bonæ fideĩ possessoribus concessum esse: virum autem scientem alienum possidere. Idem quærit, si ex re mariti ea ancilla comparata fuerit: an aduersus mulierem agentem de dote precium possit per exceptionem retineri? Et dicendũ est, posse maritum exceptionẽ habere, si dos ab eo petatur, secundum Marcelli sententiam: & si soluerit, secundum Iulianum, posse condicere.

XX. IABOLENVS *lib.* XI. *ἐπιστολῶν.*

SI is seruus, qui vxori mortis caussa donatus est, prius quàm vir decederet, stipulatus est: in pendenti puto esse caussam obligationis, donec vir aut moriatur, aut suspitione mortis, quam propter donauit, liberetur. quidquid autem eorum inciderit, quod donationẽ aut perimat,

aut

aut confirmet: id quoque caussam stipulationis aut confirmabit, aut resoluet. D

Vectigal sua uxoris solutum & expensæ factæ per virum pro vxore sua intercedente cum viro caussa viri non repetuntur ab vxore. Baldus.

XXI. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad Sabinum.*

SI quis pro vxore sua vectigal in itinere, quod præstari solet, soluisset: an quasi locupletiore ea facta, exactio fiat, an verò nulla sit donatio? & magis puto, non interdictum hoc: maximè, si ipsius caussa profecta est. nam & Papinianus libro quarto Responsorum scripsit: vecturas vxoris & ministeriorũ eius, virum itineris sui caussa datas, repetere non posse. iter autem videri fuisse viri caussa, & cùm vxor ad virum perueniat. nec interesse, an aliquid de vecturis in contrahendo matrimonio conuenerit. non enim eum donare, qui necessariis oneribus succurrit. Ergo & si consensu mariti profecta est mulier propter suas necessarias caussas, & aliquid maritus expensarum nomine ei præstitit, hoc reuocandum non est. Si vxor viro dotem promisit, & dotis vsuras: sine dubio dicendum est, vsuras peti posse: quia non est ista donatio, cùm pro oneribus matrimonij petantur. Quid tamen si maritus vxori petitionem earum remiserit? eadem erit quæstio, an donatio sit illicita. Et Iulianus hoc diceret. quod & verum est. Planè si conuenerat, vt se mulier pasceret, suosque homines: & idcirco passus est eam dote sua frui, vt se suosque aleret: expeditum erit. puto enim non posse ab ea peti, quasi donatum, quod compensandum est. E F

Donatio caussa mortis censetur reuocata per aliam dispositionem postea de re factam: secus si antea facta sit. Bartolus.

XXII. IDEM *lib.* III. *ad Sabinum.*

VXori suæ quis mortis caussa seruum donauit, cumque postea cũ libertate hæredem scripsit. an valeat institutio, quæritur. Et puto, si hoc animo eum scripsit hęredem, quod donationis se dixit pœnituisse: valere institutionem, & necessarium hæredem domino seruum fieri. Cæterùm si postea, quàm hæredem instituit, donauit: donatio præualebit. vel si antè donauit, non tamen animo adimendi libertatem scripsit.

Donatio

Donatio inter virum & vxorem quæ fit simplici promissione, non confirmatur morte. Bartolus.

A XXIII. IDEM. *lib.* VI. *ad Sabinum.*

PApinianus rectè putabat, orationem diui Seueri ad rerum donationem pertinere. denique si stipulanti vxori suæ spopondisset: nō putabat conueniri posse hæredem mariti, licet durante voluntate maritus decesserit.

Donatio inter virum & vxorem præstat iustam caussam vsucapiendi ante contractum matrimonium, & prodest soluto vel constante. Bartolus.

XXIIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

SI inter extraneos facta sit donatio, & antè, quàm per tēpus legitimum dominium fuerit adquisitum, coierint: vel cōtrà, si inter virum & vxorem facta sit donatio, & ante impletum tempus supradictum solutum sit matrimonium: nihilominus procedere temporis suffragium constat: quia altero modo sine vicio tradita est possessio, altero quod fuit vicium, amotum est.

B

XXV. TERENTIVS CLE. *lib.* V. *ad* L. *Iul. & Papiā.*

SEd & si constante matrimonio res aliena vxori à marito donata fuerit: dicendum est, confestim ad vsucapionem eius vxorem admitti: quia & si mortis caussa donaretur ei, non impediretur vsucapio. nam ius constitutum ad eas donationes pertinet, ex quibus & locupletior mulier, & pauperior maritus in suis rebus fit. itaque licet mortis C caussa donatio interueniat: quasi inter extraneas personas fieri intelligenda est in ea re, quæ quia aliena est, vsucapi potest.

XXVI. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

SI eum, qui mihi vendidit, iusserim eam rem vxori meæ donationis caussa dare, & is possessionē iussu meo tradiderit: liberatus erit: quia licet illa iure ciuili possidere non intelligatur, certè tamen venditor nihil habet, quod tradat. Ex quibus caussis inter virum & vxorem concessæ sunt donationes: ex iisdem & inter socerum & generum nurúmve concessas, Neratius ait. Ergo & socer genero mortis vel diuortij caussa: & gener socero mortis suæ vel diuortij caussa rectè donabit.

XXVII. MODESTINVS *lib.* VII. *Regularum.*

INter eos, qui matrimonio coituri sunt: ante nuptias donatio facta iure consistit, etiam si eodem die nuptiæ fuerint consecutæ. D

XXVIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

SI id, quod donatum est, perierit, vel consumptum sit: eius, qui dedit, est detrimentum. merito: quia manet eius res, qui dedit, suamque rem perdit. Si quid in pueros ex ancillis dotalibus natos maritus impenderit, aut in doctrinam, aut alimenta: non seruatur marito: quia ipse ministeriis eorum vtitur. Sed illud seruatur, quod nutrici datum est ad educandum: quia pro capite id dedit, quemadmodum si à prædonibus redemisset seruos dotales. Si quas serui operas vir vxori præstiterit, vel contrà: magis placuit, nullam habendam earum rationem. & sanè non amare, nec tanquã inter infestos ius prohibitæ donationis tractandum est: sed vt inter coniunctos maximo affectu, & solam inopiam timentes. E Si ex decem donatis sibi mulier seruum emat, & is quinque sit: quinque petenda esse, apud Plautium placuit: quemadmodum si mortuus est, nihil petetur. si verò quindecim dignus sit: non plus, quàm decem peti possunt: quoniam hactenus donator pauperior factus est. Quod si ex decem duos seruos emerit, & eorum alter mortuus sit, alter decem dignus sit: solet quæri. Et plerique (vt Pomponius) interesse putant, vtrum vno precio venierint, an diuersis. Si vno: tota decem petẽda, quẽadmodum si vna res empta deterior facta esset: vel grex, vel carrucha, & aliqua pars inde periisset. si diuersis: hoc solum petendum, quanti emptus sit, qui superest. F Iulianum putasse Pomponius refert. si quid per eum seruum, quem emerat ex numis à marito donatis mulier, adquisisset (fortè legatum, hæreditatem) aut cùm partus editus esset: eo quoque nomine petitionem faciẽdam esse. Illud constat: si antequam à viro annuum acciperet mulier, ipsa de suo, aut etiam mutuata impendit: videri iam tantum ex annuo cõsumptum. Illud rectè dictum Celsus ait, si dotis vsuras annuas vxor stipulata sit: licet ei non debeantur, quia tamen quasi de annuo conuenerit, peti quidem dotis iudicio non possunt, compensari autem possunt. idem ergo dicemus in qualibet pactione annui nomine facta.

XXIX.

XXIX. POMPONIVS *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

A SI mulier ex pecunia donata emptum seruum vendidisset, & alium emisset: posteriorem periculo mulieris esse, Fulcinius scripsit. quod non est verũ, licet nõ ex re mariti emptus sit. Si vir vxori lanam donauit, & ex ea lana vestimenta sibi confecit: vxoris esse vestiméta, Labeo ait.

XXX. CAIVS *lib.* XII. *ad edictum prouinciale.*

VTilem tamen viro competere.

XXXI. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

SEd si vir lana sua vestimẽtum mulieri confecerit: quãuis id vxori confectum fuerit, & vxoris cura, tamẽ viri esse: neque impedire, quod in ea re vxor tanquam lanipendia fuerit, & viri negocium procurarit. Si vxor lana B sua operis ancillarum viri vestimenta sui nomine confecit muliebria: & vestimenta mulieris esse, & pro operis ancillarum viro præstare nihil debere. sed viri nomine vestimenta confecta virilia, viri esse: vt is lanæ vxori precium præstet. Sed si non virilia (vestimenta suo nomine) mulier confecit, sed ea viro donauit: non valere donationem, quamuis illa valeat, cùm viri nomine confecit. nec vnquã operas ancillarum viri æstimari conuenit. Si vir vxori aream donauerit, & vxor in ea insulam ædificauerit: ea insula sine dubio mariti est, sed eius impensam mulierẽ seruaturã placet. Nã si maritus vindicet insulam, retẽtionem impensæ mulierẽ facturam. Si duo mancipia fuerint singula quinis digna, sed vtrumque vnis quinque donationis C caussa à viro mulieri, vel contrà venierit: melius dicetur, cõmunia ea esse pro portione precij: nec tantum spectandum esse, quanti mancipia sint, sed quantum ex precio donationis caussa sit remissum. sine dubio enim licet à viro vel vxore minoris emere, si non sit animus donandi.

Pro specificatis competit viro contra vxorem vtilis actio: sed si vir ex sua lana vestimenta vxori confecerit: censentur etiam vestimenta viri. Bartolus.

Si vir vxori, vel contrà, quid vendiderit vero precio, & donationis caussa paciscantur, ne quid venditor ob eã rem præstet: videndum est, quid ea vẽditione agatur: vtrum res venierit, & totũ negociũ valeat: an verò, vt ea sola pactio irrita sit, quemadmodum irrita esset, si post contractã em-

ptionem nouo cõsilio inito, id pacti fuisset factum. Et verius est, pactum dũtaxat irritum esse. Idem dicemus, si donationis caussa pacti sint, nec fugitiuum aut erronem præstari, id est, integras esse actiones ædilitias, & ex empto. D

Quod vir vxori in dié debet, sine metu donationis præsens soluere potest: quamuis commodum temporis retenta pecunia sentire potuerit. Quod legaturus mihi, aut hæreditatis nomine relicturus es: potes rogatus à me vxori meæ relinquere, & non videbitur ea esse donatio: quia nihil ex bonis meis deminuitur. in quo maximè maiores donãti succurrisse Proculus ait, ne amore alterius alter despoliaretur: néve quasi inter maliuolos, alter locupletior fieret. Si vir vxori munus immodicum kalendis Martiis, aut natali die dedisset: donatio est. sed si impẽsas, quas faceret mulier, quò honestius se tueretur: contrà est. E

Non videtur facta esse mulier locupletior, si aut in obsonio, aut in vnguentis, aut in cibariis familiæ donatam sibi pecuniam impéderit. Quæ vir cibaria vxoris suæ familiæ iumentísve præstitit, quæ in vsu communi erant, nõ condicétur. Quod si familiam domesticam vxoris aut venaliciam pauit: contrà puto obseruari debere.

Donatio inter coniuges morte donatoris superstite donatario confirmatur. Bartolus.

XXXII. VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *ad edictũ.*

Cvm hic status esset donationum inter virum & vxorem, quem antea retulimus: Imperator noster Antoninus Augustus ante excessum diui Seueri patris sui, oratione in senatu habita, author fuit senatui censendi, Fuluio Aemiliano & Numio Albino consulibus, vt aliquid relaxaret ex rigore iuris. Oratio auté de confirmãdis donationibus Imperatoris nostri, non solùm ad ea pertinet, quæ nomine vxoris à viro comparata sunt, sed & omnes donationes inter virum & vxorem factas: vt & ipso iure res fiant eius, cui donatæ sunt, & obligatio sit ciuilis. sed de Falcidia, vbi possit habere locum, tractandum est. cui locum ita fore opinor, quasi sit testamento confirmatum, quod donatum est. Ait oratio. FAS ESSE EVM, QVI DONAVIT, POENITERE: HAEREDEM VERÒ ERIPERE FORSITAN ADVERSVS F

VERSVS VOLVNTATEM SVPREMAM EIVS, QVI DONAVIT, DVRVM ET AVARVM ESSE. Pœnitentiam accipere debemus supremam. Proinde si vxori donauit, deinde eum pœnituit, mox desiit pœnitere: dicendum est, donationem valere: vt supremum eius spectemus iudicium, quemadmodum circa fideicommissa solemus, vel in legatis, cùm de doli exceptione opposita tractamus: vt ambulatoria sit volũtas eius vsque ad vitæ supremum exitum. sed vbi semel donatoré pœnituit: etiam hæredi reuocandi potestatem tribuimus, si appareat defunctũ euidenter reuocasse volũtatem. quod si in obscuro sit: procliuior esse debet iudex ad comprobandam donationem.

B *Si vir obligat rem, quam vxori donauit, reuocatur donatio: nisi non habuerit animum reuocandi: quæ aliàs valet vbi non habuit animum reuocandi.* Baldus.

Si maritus ea, quæ donauit, pignori dederit: vtiq; eum pœnituisse dicemus, licet dominium retinuit. Quid tamé, si hoc animo fuit, vt vellet adhuc donatum? finge in possessionem precariam mulierem remansisse, paratamq; esse satisfacere creditori. dicẽdum est, donationem valere. Nam si ab initio rem obligatam hoc animo donasset: diceremus vim habere donationem, vt parata satisfacere mulier, haberet doli exceptionem. quinimò & si satisfecisset: potuisse eam per doli exceptionem consequi, vt sibi mandarentur actiones.

C *Si coniunx donator vel donatarius efficiatur seruus, donatio exstinguitur.* Baldus.

Si donator seruus fuerit effectus priuati: dicendum est, non impletam, sed peremptam donationem: quamuis seruitus morti comparetur. Proinde & si ipsa in seruitutem redigatur, cui donatum est, exstincta erit. Si maritus vxori donauerit, & mortem sibi ob sceleris conscientiam consciuerit, vel post mortem memoria eius dãnata sit: reuocabitur donatio: quamuis ea, quæ aliis donauerit, valeant: si non mortis caussa donauit. Si miles vxori donauerit de castrensibus bonis, & fuerit damnatus: quia permissum est ei de his testari (si modò impetrauit, vt testetur, cùm damnaretur) donatio valebit. nã & mortis caussa do-

nare poterit, cui testari permissum est. Quod ait oratio CONSVMPSISSE, sic accipere debem⁹: ne is, qui donationem accepit, locupletior factus sit. cæterùm si factus est: & orationis beneficium locum habebit. Sed & si non sit factus locupletior, dederit tamen tantam quantitatem, eaque exstet: dicendũ est, si is decesserit, qui factus est locupletior: posse repeti id, quod dedit, nec compensari id, quod consumpsit: quamuis diuortio secuto, hic compensatio locum habeat. D

Donatio facta inter coniuges reuocatur facto diuortio mortis donatarii interuentu: sed licet diuortiũ fiat (si tamẽ matrimoniũ restauretur) donatore postea moriente, reconualescit, donatio. **Bal.**

Si diuortium post donationem intercessit, aut prior decessit, qui donum accepit: veteri iuri statur, hoc est, si maritus vxori donatum vult, vt valeat donatio. quod si non vult: exstinguatur. Pleriq; enim cum bona gratia discedũt, plerique cum ira animi sui & offensa. Quid ergo, si diuortium factum est: deinde matrimonium restauratur: & in diuortio, vel mutata voluntas est, vel eadem durauit, restaurato tamen matrimonio, & voluntate donatoris reconciliata: an donatio duret, si constante matrimonio donator decesserit? & potest defendi valere. Quid si diuortium nõ intercesserit, sed frigusculum? profectò valebit donatio, si frigusculum quieuit. Si mulier & maritus diu seorsum habitauerint, sed honorem inuicem matrimonio habeant, quod scimus interdum & inter consulares personas subsecutum: puto donationes non valere, quasi durauerint nuptiæ. †nõ enim coitus matrimonium facit, sed maritalis affectio. si tamen donator prior decesserit: tunc donatio valebit. Si ambo ab hostibus capti sunt, & qui donauit, & cui donatum est: quid dicemus? Et prius illud volo tractare. Oratio, si antè mors contigerit ei, cui donatum est, nullius momẽti donationem esse voluit. ergo si ambo decesserint, naufragio fortè, vel ruina, vel incendio, quid dicemus? & siquidem possit apparere, quis ante spiritum posuerit: expedita est quæstio. si verò non appareat: difficilis est quæstio. & magis puto donationẽ valuisse, & id verbis orationis defendimus. ait enim oratio, SI PRIOR VITA DECESSERIT, QVI DONATVM ACCEPIT. E F

† Vxor enim digni tatis nomẽ est nõ voluptat. vt ait Aelius Ver⁹ Imperator apud Spartianũ, & Plutarch⁹ in pceptis cõnubialibus: Nõ ego te eadẽ vti, & cõiuge, & amica possum.

CEPIT. non videtur autem prior vita decessisse, qui donatum accepit, cùm simul decesserint. proinde rectissimè
A dicetur, vtrasque donationes valere, si fortè inuicem donationib⁹ factis simul decesserint: quia neuter alteri superuixit. licet de commorientibus oratio non senserit: sed cũ neuter alteri superuixerit, donationes mutuæ valebunt. nã & circa mortis caussa donationes mutuas id erat consequens dicere, neutri dandam condictionem. locupletiores igitur hæredes donationibus relinquẽtur. Secundum hæc si ambo ab hostibus simul capti sint, amboque ibi decesserint: an simul vtrinq; captiuitatis tempus spectem⁹, vt donationes dicam⁹ valere, quasi simul decesserint: an neutras, quia viuis eis finitum est matrimonium: an spectemus, vt
B & prior decesserit, vt in eius persona non valeat donatio: an vter redierit, vt in eius valeat? Mea tamen fert opinio, vbi non reuertuntur: vt tempus spectandũ sit captiuitatis, quasi tunc defecerint. quod si alter redierit: eum solum videri superuixisse, qui rediit. Qui quasdam res ex his, quas donauerat, legasset, quasdã non: videbitur cæteras voluisse ad vxorem pertinere. plerumque enim antea legat, postea donat: vel alia caussa fuit legandi.

Donatio facta inter coniuges, morte donatoris confirmatur: ita donatio facta inter quascunque personas, inter quas matrimonium est prohibitum. Baldus.

Oratio non solùm virum & vxorem complectitur, sed
C etiam cæteros, qui propter matrimonium donare prohibentur: vtputa donat socer nurui, vel cõtrà: socer genero, vel cõtrà: consocer cõsocero, qui copulatos matrimonio in potestate habent. nam ex mente orationis his quoque omnibus permissum est in eundem casum donare: & ita & Papinianus libro quarto Responsorũ sentit. sic enim scribit. Socer nurui vel genero donauit. postea filius eius vel filia cõstante matrimonio vita decessit. quanquam vicium donatiõis perseueret: tamẽ si socer nullam quæstionẽ donationibus intulit, post mortem eius cõtra hæredem orationis sententia videtur interuenire. nam quæ ratio donationem prohibuit, eadem beneficium ratum implorauit. Vt igitur valeat donatio ista, Papinianus exigit, vt & filius eius, qui donauit, antè decesserit: & postea socer, durãte vo-

 luntate,

luntate. Si filiusfamiliâs, qui caſtrenſe peculium habet, vel quaſi caſtrenſe, vxori donet: & in perſonam filij mortẽ D ſpectabimus. Si nurus ſocero donauerit: mortem nurus, & perſeuerantem in ſupremam diem voluntatem ſpectare nos oportet. quòd ſi ſocer antè deceſſerit: dicemus exſtinctam donationẽ? an quia maritus viuus vxori ſuæ ſuperuixit, admittimus vim habere donationẽ? & ſiquidem maritus ſolus ſocero hæres exſtitit: quaſi noua donatio in maritum collata, ſeruari poteſt: vt illa finita ſit, alia cœperit. ſi vero filius hæres patri non eſt: finita erit donatio, ratione noua. Si ſocer nurui núcium miſerit, donatio erit irrita: quamuis matrimonium, cõcordantibus viro & vxore, ſecundum reſcriptum Imperatoris noſtri cum patre comprobatum eſt. ſed quod ad ipſos, inter quos donatio facta E eſt, pertinet: finitum eſt matrimoniũ. Proinde & ſi duo cõſoceri inuicem ſibi donauerint, idem erit dicendum. ſi inuitis filiis nuncium remiſerint: inter ipſos irritam eſſe donationẽ. In hac autẽ donatione inter ſoceros facta, mors conſideranda eſt eius, qui donauit, conſtante matrimonio, & iure poteſtatis durãte. Idemque & in his, qui ſunt in eorum poteſtate. Si conſocer conſocero donauerit, & alter eorum, vel vterque copulatos emancipauerit: debet dici, donationem ad orationem non pertinere, & ideo infirmari donationem. Si ſponſus ſponſæ donauerit, in tempus matrimonij collata donatione: quamuis inter virum & vxorem donatio non videtur facta, & verba orationis mi- F nus ſufficiant: tamen donationem dicendum eſt ad ſententiam orationis pertinere: vt ſi durauerit voluntas vſque ad mortem, valeat donatio. Siue autem res fuit, quæ donata eſt, ſiue obligatio remiſſa: poteſt dici donationem effectum habituram. vtputa vxori acceptum tulit donationis cauſſa, quod debebat: poteſt dici pendere acceptilationem non ipſam, ſed effectum eius. & generaliter, vniuerſæ donationes, quas impediri diximus, ex oratione valebunt. Si inter virum & vxorem ſocietas donationis cauſſa contracta ſit: iure vulgato nulla eſt. ſed nec poſt decretum ſenatus, emolumentum ea liberalitas, vt actio pro ſocio conſtituatur, habere poterit. quæ tamen in commune tenuerunt: præſtituto fine reuocanda

non

nõ sunt. Idcirco igitur actio pro socio non erit: quia nulla
A societas est, quę donatiõis caussa interponitur, nec inter cęteros: & propter hoc nec inter virum & vxorem. Idem erit dicendum, & si emptio contracta sit donationis caussa. nam nulla erit. Planè si minoris res venierit donationis caussa, vel postea precium sit remissum: admittemus donationem valere ad senatusconsultum. Si quis sponsam habuit, deinde eandem vxorem, cùm non liceret: an donationes, quasi in sponsalibus factæ, valeant: videamus. Et Iulianus tractat hãc quæstionem in minore duodecim annis, si in domum quasi mariti immatura sit deducta. ait enim, hanc sponsam esse, & si vxor non sit. Sed est verius, quod Labeoni videtur, & à nobis, & à Papiniano libro decimo
B Quæstionum probatum est: vt siquidem præcesserint sponsalia, durent: quamuis eam vxorem esse putauit, qui duxit. si verò non præcesserint: neque sponsalia esse, quæ non fuerunt: neque nuptias, quod nuptiæ esse non potuerunt. Ideóque si sponsalia antecesserunt: valet donatio. si minus: nulla est: quia non quasi ad extraneam, sed quasi ad vxorem fecit, & ideo nec oratio locum habebit.

Sed si senator libertinam desponderit, vel tutor pupillam, vel quis alius ex his, qui matrimonium copulare prohibentur, & duxerit: an donatio, quasi in sponsalibus facta, valeat? & putem etiam sponsalia improbanda: & quasi ab indignis ea, quæ donata sunt, ablata fisco vindicari.

C *Siue vir vxori, siue vxor viro aliquid annuum promiserit: talis donatio ab initio non valet: sed morte donatoris confirmatur. Baldus.*

XXXIII. IDEM *lib.* XXXII. *ad Sabinum.*

SI stipulata fuerit mulier annuum dari: id ex stipulatu petere, constãte matrimonio, non potest. Sed si manẽte matrimonio decessisse maritũ proponatur: puto, quia in annuo quoque donatio vertitur, posse dici donationẽ confirmari ex senatusconsulto. Si vxor marito annuum versa vice præstiterit: restituetur ei hoc, & poterit vindicare id, quod exstat. credo poterit & condicere, in quantum locupletior factus est: quia non vt solenne est annuum, quod maritus vxori pendit: & quod vxor marito præstat. imò incongruens est, & contra sexus naturam. Et si fortè ma-

ritus ab vxore ſtipulatus ſit, annuum, deceſſeritque mulier, conſtante matrimonio: dicendum erit, ex oratione donationem conualeſcere. D

Valet donatio, quam vxor facit viro vt filiam dotet. Bartolus.

XXXIIII. IDEM. *lib.* IIII. *ad edictum.*

SIue vxor marito res donaſſet, vt eas in dotem pro communi filia daret: ſiue poſt donationem, quam in maritum contulit, vxor paſſa eſt eum pro filia in dotem dare: benignè poteſt dici, & ſi prima donatio nullius momenti eſt, attamen ex ſequente conſenſu valere dotis dationem.

XXXV. IDEM. *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

SI non ſecundum legitimam obſeruationem diuortium factum ſit: donationes poſt tale diuortium factæ, nullius momēti ſunt, cùm non videatur ſolutū matrimonium. E

Qui ſoluit litis æſtimationem, debet cauſſam dicere, ſi cauſſam habuit ab vxore. Bartolus.

XXXVI. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

SI donatæ res exſtant, etiam vindicari poterunt. ſed quia cauſſam poſſidēdi donatio præſtitit: niſi reddatur res, æſtimatio facienda eſt iuſto precio: caueríque poſſidenti debebit de euictione ſimpli, quanti ea res ſit. idque etiam Pedio videtur. Si ſponſus alienum anulum ſponſæ muneri miſit, & poſt nuptias pro eo ſuum dedit: quidam (ve Nerua) putant fieri eum mulieris: quia tunc factam donationem confirmare videtur, non inchoare nouam. quam ſententiam veram eſſe accepi. F

XXXVII. IVLIANVS *lib.* XVII. *Digeſtorum.*

SI mulier dolo fecerit, ne res exſtaret ſibi à marito donata: vel ad exhibendum, vel damni iniuriæ cum ea agi poterit: & maximè ſi poſt diuortium id commiſerit.

Pro parte quam habet vir in re, non valet donatio inter coniunctas perſonas: præſentia tamen cum taciturnitate donationem inducit. Bartolus.

XXXVIII. ALFENVS *lib.* III. *Digeſtorum.*

SI ſeruus communis viri & fratris eius puerum donauit vxori fratris, pro qua parte is ſeruus, qui donaſſet, viri eſſet: pro ea parte munus non eſſe factum mulieris, reſpondi. Idem iuris eſſe, ſi ex tribus fratribus vnus vxorem haberet, & rem communem vxori donaſſet. nam ex tertia

parte

parte mulieris rem factam non esse: ex duabus autem partibus reliquis (si id scissent fratres, aut postea, quàm donata esset, ratum habuissent) nihil debere mulierem reddere.

A

Debitor delegatus potest apponere exceptionem delegationis inualidæ: si tamen ignoranter commiserit, liberatur. Bartolus.

XXXIX. IVLIANVS *lib.* V. *ex Minicio.*

VIr cùm vxori pecuniam donare vellet, permisit ei, vt à debitore suo stipularetur. illa cùm id fecisset, priusquam pecuniam tulisset, diuortium fecit. Quæro, vtrum vir eam summam petere debeat: an ex ea promissione propter donationis caussam actio nulla sit? Respondi, inanem fuisse stipulationem. sed si promissor mulieri ignorans soluisset: siquidem pecunia exstat: vindicari eam debitor potest. sed si actiones suas marito præstare parat* est: doli mali exceptione se tuebitur. ideóque maritus hanc pecuniam, debitoris nomine vindicando, consequetur. sed si pecunia non exstat, & mulier locupletior facta est: maritus eam petet. intelligitur enim ex re mariti locupletior facta esse mulier: quoniam debitor doli mali exceptione se tueri potest.

B

XL. VLPIANVS *lib.* I I. *Responsorum.*

QVod adipiscendæ dignitatis gratia ab vxore in maritum collatū est: eatenus ratum est, quatenus dignitati supplendæ opus est.

XLI. LICINIVS RVFINVS *lib.* V I I. *Regularum.*

C

NAm & imperator Antoninus constituit, vt ad processus viri vxor ei donare possit.

XLII. CAIVS *lib.* X I I. *ad edictum prouinciale.*

NVper ex indulgentia principis Antonini recepta est alia caussa donationis, quam dicimus honoris caussa: vt ecce si vxor viro lati claui† petendi gratia donet, vel vt equestris ordinis fiat, vel ludorum gratia.

† In hūc locū Alex. ab Alex. li. 4 Genia. dierū. cap. II.

XLIII. PAVLVS *lib. singulari* Regularum.

INter virum & vxorem exilij caussa donatio fieri potest.

Vsucapiens videtur habere rem ex titulo præcedenti non à domino, contra quem vsucapit. Bartolus.

XLIIII. NERATIVS *lib.* I. Membranarum.

SI extraneus rem viri, ignorans eius esse, ignoranti vxori, ac ne viro quidem sciente eam suam esse, donauerit: mulier

mulier rectè eam vsucapiet. Idémque iuris erit: si is, qui in potestate viri erat, credens se patremfamiliâs esse, vxori patris donauerit. Sed si vir rescierit suam rem esse, prius quàm vsu capiatur, vindicaréque eam poterit, nec volet, & hoc & mulier nouerit: interrũpetur possessio: quia trãsiit in caussam ab eo factæ donationis, ipsius mulieris scientia. propius autem est, vt nullum adquisitioni dominij eius adferat impedimentum. non enim omnimodo vxores ex bonis virorum, sed ex donationibus ab ipsis factis adquirere prohibitæ sunt. D

Ex qualitate expensarum præsumitur, an animo repetẽdi fecerit quis an non. hoc dicit quod nota: quia tota die allegatur. Bartolus.

XLV. VLPIANVS *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

MArcellus libro septimo Digestorum scribit, eum etiam detrahere sine mulieris dãno, & citra metum senatusconsulti, quod detrahentibus negociationis caussa occurrit. E

XLVI. IDEM *lib.* LXXIII. *ad edictum.*

INter virũ & vxorem nec possessionis vlla donatio est.

XLVII. CELSVS *lib.* I. *Digestorum.*

VTrum negocium vxoris gerens, an officio mariti ductus, in rem eius impenderit vir: facti, non iuris quęstio est. sed coniectura eius rei ex modo & genere impensę non difficilis est.

XLVIII. IDEM *lib.* IX. *Digestorum.*

QVæ iam nuptæ maritus dõnauit, viri manét, & potest vi vindicare: nec quidquam refert, quod ampla legata ab vxore ei relicta sunt. F

Nudus minister dicitur, qui nullum commodum sentit: aliàs non dicitur quis nudus minister. Bartolus.

XLIX. MARCELLVS *lib.* VII. *Digestorum.*

SVlpitius Marcello. mulier, quæ ad communem filium volebat, qui in potestate patris erat, post mortem patris fundum peruenire: eum patri tradidit, vt post mortem restituatur filio. Quæro, an donatio tibi videatur, vt nihil agatur: an valeat quidem, sed mulieri potestas detur, si voluerit, eũ petere? Respondi. si color vel titulus (vt sic dixerim) donationi quæsitus est, nihil valebit traditio: id est, si hoc egit vxor, vt aliquid ex ea re interim commodi sentiret ma-

ret maritus. alioquin si solo eius ministerio vsa est, & id e-
A git, vt vel reuocare sibi liceret: vel vt res cum omni emolumento per patrem, postea ad filium transiret: cur non id perinde sit ratum, ac si cum extraneo tale negocium contraxisset, hoc est, si extraneo in hanc caussam tradidisset.

Eo ipso quis est locupletior, quod ab obligatione est liberatus, non autẽ eo ipso quod sibi pecunia datur, nisi ex ea pecunia appareat aliquid apud eum remansisse.

L. IABOLENVS *lib.* XIII. ἐπιστολῶν.

SI cùm mulier viginti seruũ emisset, in eam emptionem vir quinque venditori dedit: diuortio facto, omnimodo vir eam summam exiget: neque ad rem pertinet, an is seruus deterior factus sit. nam & si mortuus esset, quinque
B exactio ei competeret. Quæritur enim, an mulier ex viri patrimonio locupletior sit eo tempore, quo de dote agatur. facta autem intelligitur, quæ ære alieno suo interuentu viri liberata est, quod potuisset adhuc debere, si vir pecuniam non exsoluisset. neq; enim interest, ex qua caussa mulier pecuniam debuit: vtrum creditam, an eam, quam ex emptione præstare debebat. Quod si mulier non emerat seruum, sed vt emeret, à viro pecuniam accepit: tunc vel mortuo, vel deteriore facto seruo, damnum ad virum pertinebit: quia quod aliter emptura non fuit, nisi pecuniã à viro accepisset, hoc consumptum ei periit, qui donauit: si modo in rerum natura esse desiit. nec enim videtur mu-
C lier locupletior esse, quæ neq; à creditore suo liberata est, neque id possidet, quod ex pecunia viri emerat.

Quicquid mulier quærit, præsumitur quæsiuisse ex bonis viri. B.

LI. POMPONIVS *lib.* V. *ad* Q. *Mutium.*

QVintus Mutius ait. cùm in controuersiam venit, vnde ad mulierem quid peruenerit: & verius, & honestius est, quod non demonstrat, vnde habeat: æstimari à viro, aut qui in potestate eius esset, ad eam peruenisse. euitandi autem turpis quæstus gratia, circa vxorem hoc videtur Quintus Mutius probasse.

LII. PAPINIANVS *lib.* X. *Quæstionum.*

SI vir vxori donationis caussa rem vilius locauerit, locatio nulla est: cùm autem depositum inter eas personas minoris donationis caussa æstimatur, depositum est. hoc ideo

ideo tam varie: quia locatio quidem ſine certa mercede contrahi non poteſt, depoſitum autem & citra æſtimationem quoque dari poteſt. D

Donatio cauſſa mortis exſtinguitur morte donatarii donatore ſuperuiuente. Bart.

Vxor viro fructum fundi ab hærede ſuo dari: & ſi datus non fuiſſet, certam pecuniã mortis cauſſa promitti curauit. defuncto viro, viua muliere, ſtipulatio ſoluitur, vt traditio, quæ mandante vxore mortis cauſſa facta eſt. nam quo caſu inter exteros condictio naſcitur, inter maritos nihil agitur.

LIII. IDEM *lib.* III. *Reſponſorum.*

Mortis ſuæ cauſſa genero vel nurui ſocerũ fruſtra donare conuenit: quia mortuo ſocero nuptiæ non ſoluuntur. nec intereſt, an pater filium vel filiam exhæredauerit. ſed diuortij ſpecies ea ratione diuerſa eſt. E Res in dotem æſtimatas, conſentiente viro, mulier in vſu habuit. vſu deteriores res ſi fiant: damni compenſatio non admittitur: cũ eaſdem res non poſſit mulier ſibi quaſi donatas defendere, ex illis verbis, quibus donationes ei à viro legatæ ſunt: cũ eiuſmodi ſpecie neque donari, neque auferri videatur.

LIIII. IDEM *lib.* III. *Reſponſorum.*

Vir vſuras promiſſæ dotis in ſtipulatum deduxerat, eaſque non petierat. cũ per omne tempus matrimonij ſumptibus ſuis vxorem & eius familiã vir exhiberet: dote relegata, & donationibus fideicommiſſo cõfirmatis, F legato quidem dotis vſuras non contineri videbatur: ſed titulo donationis eſſe remiſſas.

Res empta ex pecunia mulieris donata viro vindicari poteſt. Bal.

LV. PAVLVS *lib.* VII. *Quæſtionum.*

Vxor marito ſuo pecuniam donauit. maritus ex pecunia ſibi donata, aut rem mobilem, aut ſoli comparauit. ſoluendo non eſt, & res exſtant. Quæro, ſi mulier reuocet donationem, an vtiliter condictione experiatur? videtur enim maritus, quamuis ſoluendo non ſit, ex donatione locupletior effectus, cũ pecunia mulieris res comparata exſtet. Reſpondi. locupletiorem eſſe ex donatione, negari non poteſt. non enim quærimus, quid deducto ære

alieno

alieno liberum habeat: sed quid ex re mulieris possideat. solo enim hoc separatur ab eo res, cui donata est. quòd si res mulieris permanet: & vindicare directò potest: & erit deterior caussa viri, si ea pecunia, quatenus res valet (nõ vt vltra id tamen, quod donatum est, condicatur) quàm si dotis iudicio conueniatur. Sed nihil prohibet, etiam in rem vtilem mulieri in ipsas res actionem dari.

LVI. SCAEVOLA *lib.* III. *Quaestionum.*

SI quod mihi mortis caussa donare quis vellet, ego purè vxori donare velim: nõ valet, quod vxori iubeo dari: quia illo conualescente, condictione teneor: mortuo autem, nihilominus pauperior sum. nõ enim habeo, quod habiturus essem.

B *Donatio quae potest condici, potest in stipulationem conuerti: & stipulatio potest probari per literas. Bar.*

LVII. PAVLVS *lib.* VII. *Responsorum.*

EA, quae à marito suo pecuniã ex caussa donationis acceperat, literas ad eũ misit huiusmodi. Cũ petẽti mihi à te, domine charissime, annuerit indulgentia tua viginti ad expediendas quasdam res meas: quae summa mihi numerata est sub ea conditione, si per me, meosque mores nõ steterit, quò minus in diem vitae nostrae matrimoniũ permaneat: siquidẽ inuito te discessero de domo tua, vel repudium tibi sine vlla querela misero, diuortiúmue factum per me probabitur: tunc viginti, quae mihi hac die donationis caussa dare voluisti, daturam restituturam me sine vlla dilatione spondeo. Quaero, si eadem Titia marito suo repudium miserit, an pecuniam restituere debeat? Paulus respondit. pecuniam, quam vir vxori donauit, ex stipulatione proposita, si conditio eius exstitit, peti posse: quoniam ex donatione in pecuniam creditã cõuersa est. quod si stipulatio commissa non probetur: tunc tantũ peti posse, quanto locupletior ex ea donatione facta probetur.

C

Valet donatio inter concubinam & amasium, non autem inter virum & vxorem. Bar.

LVIII. SCAEVOLA *lib.* II. *Responsorum.*

SI praedia & mancipia Seiae data, effecta sint eius tempore concubinatus: ac postea tempore matrimonij, aliis acceptis, reddita sint: quid iuris est? Respondit. secundum ea, quae

ea, quæ proponerentur, negocium potius gestum videri, quàm donationem interuenisse. Item cũ quæreretur de cibariis mancipiorum: respondit. tempore quidem concubinatus data cibaria repeti nõ possunt: sed nec tempore matrimonij, si ea mancipia vxoris in communi vsu fuerũt. Filius rebus matris interuenire solitus, pecunia matris, consentiente ipsa, mancipia & res mercatus, emptionũ instrumenta suo nomine confecit. decessit in patris potestate. quæsitũ est, an mater cũ marito suo experiri, & qua actione vti possit? Respondit. si mater obligatum filiũ in ea pecunia voluit esse: intra annum, quàm filius decessit, de peculio cũ patre, in cuius potestate fuisse proponatur, actionem habere. si donauit: repeti posse, quanto locupletior ex ea donatione pater factus esset. D E

LIX. PAVLVS *lib. II. Sententiarum.*

SI quis vxori ea conditione donauit, vt quod donauit, in dotem accipiat: defuncto eo, donatio conualescit.

LX. HERMOGENIANVS *lib. II. iuris ἐπιτομῶν.*

VItricus & priuignus inuicem sibi donare prætextu matrimonij non prohibentur. Diuortij caussa donationes inter virum & vxorem concessæ sunt. sæpe enim euenit, vt propter sacerdotium, vel sterilitatem,

LXI. CAIVS *lib. XI. ad edictum prouinciale.*

VEl senectutem, aut valetudinem, aut militiam satis commodè retineri matrimonium non possit.

LXII. HERMOGENIANVS *lib. II. iuris ἐπιτομῶν.* F

ET ideo bona gratia matrimonium dissoluitur. Diuortio facto, nec instaurato matrimonio, non cõfirmatur inter virum & vxorem facta donatio. sed nec inter patronum & libertam (& si ab eo inuito diuertere non licet) facta donatio confirmatur, cũ inter eos diuortium intercedit. perinde enim id, quod donatum est, habetur diuortio intercedente, ac si donatum non fuisset.

LXIII. PAVLVS *lib. III ad Neratium.*

DE eo, quod vxoris in ædificium viri ita coniunctum est, vt detractum alicuius vsus esse possit: dicendum est, agi posse, quamuis nulla actione ex lege duodecim tabularum: quia decem viros non sit credibile de his sensisse, quo-

ſe,quorum voluntate res eorum in alienum ædificium cõiunctæ eſſent. PAVLVS NOTAT. ſed in hoc ſolum
A agi poteſt,vt vindicatio ſoluta re competat mulieri, nõ in duplum ex lege duodecim tabularum.neque enim furtiuũ eſt,quod ſciente domino incluſum eſt.

Donatio facta mulieri diuertenti vt reuertatur,valet. Bal.

LXIIII. IABOLENVS *lib.* II. *ex poſterioribus Labeonis.*

VIr mulieri diuortio facto quædam idcirco dederat, vt ad ſe reuerteretur. mulier reuerſa erat. deinde diuortium fecerat. Trebatius inter Terentiam & Mecœnatem reſpondit. ſi verum diuortium fuiſſet, ratam eſſe donationem:ſi ſimulatum,contrà.Sed verũ eſt,quod Proculus & Cæcilius putant:tunc verũ eſſe diuortium, & valere donationem diuortij cauſſa,ſi aliæ nuptię inſecutę ſint:
B aut tam longo tempore vidua fuiſſet, vt dubium non foret,alterum eſſe matrimonium.aliâs nec donationem vlli⁹ eſſe momenti futuram.

LXV. LABEO *lib.* III. *Poſteriorum à Iaboleno epitomatorum.*

QVod vir ei,quæ nondum viripotens nupſerat, donauerit:ratum futurum exiſtimo.

Donatio facta poſt matrimoniũ, eſt illa quæ infringitur. nec inſpicitur an fuerit facta ante traductionem,vel poſt. quod locũ habet in certo caſu:in caſu verò dubio bene inſpicitur, vtrum fuerit
C *facta ante traductionem vel poſt.* Bal.

LXVI. SCAEVOLA *lib.* IX. *Digeſtorum.*

SEia Sempronio, cũ certa die eſſet nuptura, ante quàm domum deduceretur,tabulæq́ue dotis ſignarentur,donauit tot aureos. Quæro,an ea donatio rata ſit?non attinuiſſe tempus,an ante quàm domum deduceretur,donatio facta eſſet:aut tabularum conſignatarum, quæ plerumque & poſt cõtractum matrimonium fierent: inquirere exprimit. Itaque niſi ante matrimonium contractum, quod de conſenſu intelligitur, donatio facta eſſet: non valere.

Virgini in hortos deductæ ante diem tertium,quàm ibi nuptię fierent:cũ in ſeparata diæta ab eo eſſet,die nuptiarum prius, quàm ad eum tranſiret, & prius quàm aqua & ignis acciperetur:obtulit decem aureos dono.quęſitũ eſt,

poſt

post nuptias contractas diuortio facto, an summa donata repeti possit? Respondit. id, quod ante nuptias donatum proponeretur, non posse deduci. D

In re empta de pecunia donata à viro vxori consistit donatio: si illa donetur ab vxore viro. Bal.

LXVII. LABEO *lib.* III. πιθανῶν à *Paulo epitomatorum.*

SI vxor numis à viro, aut ab eo, qui in eius potestate esset, sibi donatis, seruũ emerit: deinde cũ eius factus esset, eum ipsum donationis caussa viro tradiderit: rata erit traditio, quamuis ea mente facta fuerit, qua cæteræ donationes: neque vlla actio eius nomine dari potest.

De caussis & formulis diuortii Alexan. ab Alex lib. 4. cap. 8. Vale. Maxi. li. 2. ca. 1. Pla. dia. 11. de legib. Deu. cap. 24. Matt. cap. 5. & 19.*

DE DIVORTIIS ET REPVDIIS. Tit. II. E

PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*



DIrimitur matrimonium diuortio, morte, captiuitate, vel alia cõtingente seruitute alterutrius eorum.

II. CAIVS *lib.* XI. *ad edictũ prouinciale.*

DIuortium autem vel à diuersitate mentium dictum est, vel quia in diuersas partes eunt, qui distrahunt matrimonium. In repudiis autem & renunciationibus comprobata sunt hæc verba, RES TVAS TIBI HABETO: item hæc, TVAS RES TIBI AGITO. In sponsalibus quoque discutiendis placuit renunciationem interuenire oportere. in qua re hæc verba probata sunt, CONDITIONE TVA NON VTOR. Siue autem ipsi præsenti renuncietur, siue absenti per eum, qui in potestate eius sit, cuiusúe is eaúe in potestate sit: nihil interest. F

III. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

DIuortium non est verũ, nisi quod animo perpetuam constituendi diuisionem fit. Itaque quidquid in calore iracundię vel fit, vel dicitur: non ratũ est prius, quàm perseuerantia apparuit, iudicium animi fuisse. ideoque per calorẽ misso repudio, si breui reuersa est vxor, nec diuertisse videtur.

IIII. VLPIANVS *lib.* XXV. *ad Sabinum.*

Iulianus

IVlianus libro decimoseptimo Digestorum quærit, an furiosa repudium mittere, vel repudiari possit? Et scri-
A bit, furiosam repudiari posse: quia ignorantis loco habeatur. repudiare autem non posse, neque ipsam propter dementiam, neque curatorem eius. patrem tamen nunciũ mittere posse. quod non tractaret de repudio, nisi constaret, posse & cũ furiosa retineri matrimonium. quæ sententia mihi videtur vera.

V. IDEM *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

SI filia emancipata idcirco diuertat, vt maritum lucro dotis afficiat, patrem fraudet, qui profecticiam dotem potuit petere, si constante matrimonio decessisset: ideo patri succurrendum est, ne dotem perdat. non enim minus pa-
B trí, quàm marito, succurrere prætorem oportet. danda igitur est ei dotis exactio, atque si constante matrimonio decessisset filia.

Quo ad quid dicitur quasi matrimonium: quo ad quid non. Bal.

VI. IVLIANVS *lib.* XVII. *Digestorum.*

VXores eorum, qui in hostium potestatem peruenerunt, possunt videri nuptarum locum retinere eo solo, quod alij temerè nubere nõ possunt. Et generaliter definiendum est: donec certum est, maritum viuere in captiuitate constitutum: nullam habere licentiam vxores eorũ ad aliud migrare matrimonium: nisi malint ipsæ mulieres caussam repudij præstare. Sin autẽ in incerto est, an viuus
C apud hostes teneatur, vel morte preuentus sit: tũc si quinquennium à tempore captiuitatis excesserit, licentiam habeat mulier ad alias migrare nuptias: ita tamẽ, vt bona gratia dissolutum videatur pristinum matrimonium, & vnusquisque suum ius habeat imminutum: eodem iure & in marito degente in ciuitate, & vxore captiua obseruando.

VII. PAPINIANVS *lib.* I. *de adulteriis.*

SI pœnituit eum, qui libellum diuortij tradendum dedit, isque per ignorantiam mutatæ voluntatis oblatus est: durare matrimonium dicendum est: nisi pœnitentia cognita, is qui accepit, ipse voluit matrimonium dissoluere. tunc enim per eum, qui accepit, soluitur matrimonium.

VIII IDEM *lib.* II. *de adulteriis.*

DIuus Hadrianus eum, qui alienam vxorem ex itine-

re domum suam duxisset, & inde marito eius repudiũ misisset, in trienniuni relegauit. D

Diuortium non potest fieri, nisi septem testibus adhibitis: in quorum numero libertus non numeratur. Bal.

IX. PAVLVS *lib.* II. *de adulteriis.*

NVllum diuortium ratum est, nisi septem ciuibus Romanis puberibus adhibitis: præter libertum eius, qui diuortium faciet. Et libertum accipiemus etiam eum, qui à patre, auo, proauo, & cæteris sursum versum manumissus sit.

X. MODESTINVS *lib.* I. *Responsorum.*

PAtrono inuito, liberta, quam in matrimonio habuit, ab eo discedere nõ potest: nisi ex caussa fideicommissi manumissa sit. tunc enim potest, licet eius sit liberta. E

Licet lex improbet diuortium fieri inuito patrono, tamen ipsum non annullat. Et ad hoc vt diuortium inuito patrono non possit impune fieri, duo requiruntur: videlicet, quod patronus non desinat esse patronus: & quod libertam noluerit in matrimonio retinere. secus si talis, qualis eius voluntas in contrarium apparuerit. Bal.

XI. VLPIANVS *lib.* III. *ad L. Iuliam & Papiam.*

QVod ait lex, DIVORTII FACIENDI POTESTAS LIBERTAE, QVAE PATRONO NVPTA EST, NE ESTO: nõ infectum videtur effecisse diuortiũ, quod iure ciuili potuisset dissoluere matrimonium. Quarè matrimonium dicere non possumus, cũ sit separatum. Denique scribit Iulianus de dote hanc actionem non habere. Meritò igitur, quãdiu patronus eius eam vxorem suam esse vult, cũ nullo alio connubium ei est. nam cũ intellexit legislator facto libertæ quasi diremptum matrimonium: detraxit ei cũ alio cõnubium. quare cuicumque nupserit, pro non nupta habebitur. Iulianus quidem amplius putat: nec in concubinatu eam alterius, quàm patroni esse posse. Ait lex. QVAMDIV PATRONVS EAM VXOREM ESSE VOLET, ET VXOR ESSE VELLE DEBET (ET PATRONVS DVRARE). Si igitur aut patronus esse, aut velle desierit: finita est legis authoritas. F

Illud rectissimè placuit: qualiquali voluntate intelligi possit patronus, animum habere desiisse quasi in vxorem: finiri

finiri legis huius beneficium. Proinde cũ patronus rerum
A amotarum cũ eius liberta, quæ ab inuito eo diuerterat, velit experiri: Imperator noster cũ diuo patre suo rescripsit, intelligi eum hoc ipso nolle nuptam sibi: quod eam actionem vel aliam inciperet, quæ non soleret, nisi ex diuortio oriri. Quarè si accusare eam adulterij cœperit, vel eo crimine postulare, quod vxori nemo obiicit: magis est, vt diremptum sit matrimonium. Etenim meminisse oportet, ideo adimi cũ alio connubium, quia patronus sibi nuptam cupit. Vbicumque igitur vel tenuis intellectus videri potest, nolentis nuptam: dicendum est, iam incipere libertæ cũ alio esse connubium. Proinde si patronus sibi desponderit aliam, vel destinauerit, vel matrimonium alteri⁹ ac-
B ceperit: credendum est, nolle hanc nuptam. Et si concubinam sibi adhibuerit, idem erit dicendum.

SOLVTO MATRIMONIO, QVEMadmodum dos petatur. Tit. III.

POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*


Otium caussa semper & vbique præcipua est. nam & publicè interest, dotes mulieribus cõseruari: cũ dotatas esse fœminas ad sobolem procreandam, * replendamque liberis ciuitatem, maximè sit necessarium.

** Pulchrè in hãc sententiã Ari. lib. 2. poli. ca. 7. Plutar. in apoph. Laconicis de Lycurgo.*

II. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

C Soluto matrimonio solui dos mulieri debet: nec cogitur maritus alij eam ab initio stipulanti promittere, nisi hoc ei nihil noceat. nam si incommodum aliquod maritus suspectum habet: non debere eum cogi alij, quàm vxori promittere, dicendum est hæc, si sui iuris mulier est.

Quod si in patris potestate est, & dos ab eo profecta sit: ipsius & filiæ dos est. Denique pater non aliter, quàm ex voluntate filiæ, petere dotem, nec per se, nec per procuratorem potest. sic ergo & promittendum Sabinus ait. ei ergo promittendum erit, cui vterque iusserit. Cæterũ si pater solus iussit: dotis actio filiæ non erit adempta, quãdoque sui iuris filia fuerit facta. Item si voluntate solius filiæ promittatur: remanebit dotis actio integra patri. Sed vtrum vt agat solus, an vt adiuncta quoque filiæ persona

experiri poſſit? Et puto, nec eam actionem amiſſam, quam adiuncta filiæ perſona poteſt habere. quod ſi ſui iuris fuerit facta filia: nocebit ei iſta ſtipulatio. D

Filia ſana mentis ſi eſt præſens, & non contradicit, habetur pro conſentiente. Idem ſi propter furorem contradicere non poterat: ſecus ſi erat abſens: quoniam tunc non habetur pro conſentiente nec diſſentiente: & ideo cũ cautione rati tunc admittitur pater. Alexã.

Voluntatem autem filiæ, cũ pater agit de dote, vtrum ſic accipimus, vt conſentiat: an verò, ne contradicat filia? & eſt ab imperatore Antonino reſcriptum: filiam, niſi euidenter contradicat, videri conſentire patri. Et Iulianus libro decimo ſeptimo Digeſtorum ſcripſit, quaſi ex volũtate filiæ videri experiri patrẽ, ſi furioſam filiam habeat. nam vbi non poteſt per dementiam contradicere, conſentire quis eam meritò credet? Sed ſi abſens filia ſit: dicendum erit, non ex voluntate eius id factum: cauendumque à patre, ratam rem filiam habituram. Vbi enim ſapit, ſcire eam exigimus, vt videatur non contradicere. E

In dote quæ eſt communis patri & filiæ, ſolutio ſpontanea facta vni ſine conſenſu alterius non liberat ſoluentem ab alio, niſi pecunia ſit conuerſa in vtilitatem alterius directò vel per indirectum. Alexan.

III. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

NOn ſolùm autem in exigenda, ſed etiam in ſoluenda dote, quæ communis eſt & patri & filię, vtriuſque voluntas exquiritur: nec alter alterius conditionem deteriorem facere poteſt. Sed ſi pecunia ad patrẽ peruenit, quam filia accepit: actio de dote vtriuſque tolletur. F

IIII. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

SI cũ pater ſine conſenſu filiæ dotem à viro exegiſſet, & eandem alij viro eiuſdem filiæ nomine dediſſet, mortuo patre filia cũ priore viro agat: doli mali exceptione repellitur.

Vbi præcedit matrimonium, & ſequitur traditio dotis, ex die traditionis dotis tempus computatur ad diſcernendum pro quota parte fructus ad virum pertineant, & pro quota ad vxorem ſoluto matrimonio. Alexan.

V. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

DE diuiſione anni eius, quo diuortium factum eſt: quæritur,

quæritur, ex die contracti matrimonij, an ex die traditi A fundi maritus sibi computet tempus? & vtique in fructibus à viro retinendis, neque dies constitutæ dotis, neque nuptiarum obseruabitur: sed quo primum dotale prædiū constitutum est, id est, tradita possessione.

Si præcedat traditio nomine dotis: & sequantur nuptiæ: ad cognoscendum pro qua rata temporis fructus spectant ad virum, inspicitur dies nuptiarum. & ideo fructus antè percepti, mulieri restituendi sunt. Alexan.

VI. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

SI ante nuptias fundus traditus est: ex die nuptiarum, ad eundem diem sequentis anni, computandus annus est. idem in cæteris annis obseruatur, donec diuortium fiat. B nam si ante nuptias traditus sit, & fructus inde percepti: hi restituendi sunt quandoque diuortio facto, quasi dotis facti.

De fructibus diuidendis inter maritum & vxorem debent ante omnia deduci impēsæ factæ gratia ipsorum fructuum siue per vxorem, siue per maritum, siue per vtrumq; factæ sint. & hoc siue matrimonium durauerit minus anno, siue pluribus annis: & residuum fructuum diuidi debet. Alex.

VII. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

FRuctus esse constat, qui deducta impensa supererunt. quod Scæuola, & ad mariti, & ad mulieris impēsas refert. nam si mulier pridie vindemias doti dedit, mox sublatis à marito vindemiis diuertit: non putat ei vndecim C dumtaxat mensium fructus restitui, sed & impensas, quæ antè, quàm portiones fructuum fiant, deducendæ sunt. Igitur si & maritus aliquid impenderit in eundem annum, vtriusque impensæ concurrent: & ita (si impensarum à muliere factarum ratio habeatur) cū plurimis annis in matrimonio fuit, necesse est, primi anni tēpori computari, quod fuit ante datum prædium.

Si fundus plenus fructibus datur in dotem, tempus locationis inspicitur vt sciamus quid percipitur de pensione, id est pro quanto tempore percipitur pensio. Tempus verò matrimonii inspicitur, vt sciamus pro quota parte anni de pensione vir lucratur. sed si fundus vacuus datur in dotem, tempus locationis pro nullo inspicitur. Bartolus.

Papinianus libro vndecimo Quæſtionum,diuortio facto fructus diuidi ait,non ex die locationis,ſed habita ratione præcedentis temporis , quo mulier in matrimonio fuit . neque enim ſi vindemiæ tempore fundus in dotem datus ſit,eumque vir ex kalendis nouẽbribus primis fruẽdum locauerit:mẽſis ianuarij ſuprema die facto diuortio, retinere virum,& vindemiæ fructus, & eius anni , quo diuortium factum eſt,quartam partem mercedis,ęquum eſt. alioquin ſi coactis vindemiis, altera die diuortium intercedat:fructus integros retinebit. itaque ſi in fine menſis ianuarij diuortium fiat , & quatuor menſibus matrimonium ſteterit: vindemiæ fructus , & quarta portio mercedis inſtantis anni confundi debebũt,vt ex ea pecunia tertia portio viro relinquatur. Ex contrario quoque idem obſeruandum eſt . nam ſi mulier percepta vindemia ſtatim fundum viro in dotem dederit, & vir ex kalendis martiis eũdem locauerit, & kalendis aprilibus primis diuortium ſecutum fuerit : non ſolùm partem duodecimam mercedis, ſed pro modo tẽporis omnium menſium,quo dotale prædium fuit,ex mercede,quæ debebatur , portionem retinebit. Item ſi meſſes eius anni, quo diuortium factum eſt, colonum ex forma locationis ſequantur : ante vindemiã ſoluto matrimonio,nihilominus pecunia meſſium in computationem cũ ſpe futuræ vindemiæ veniet . apparet igitur ex his , illos fructus , quos mulier percepit,antequam nuberet,non debere in contributionem venire. Ob donationes , item ob res amotas , ex his fructibus , qui poſt diuortium percepti ſunt , compenſationes fieri poſſunt. D E F

Quod in anno dicitur , poteſt dici & in ſex menſibus, ſi bis in anno* fructus capiantur : vt eſt in locis irriguis. ſed & in pluribus annis idem dici poteſt , vt in ſylua cædua. Item ſi locatio agri talis ſit, vt ſuper annuam mercedẽ quinquennio quoque aliquid amplius præſtaretur . in eo enim,quod amplius eſt,tempus ad quinquennium computamus. Non ſolum autem de fundo, ſed etiam de pecore idẽ dicemus,vt lana ouium,fœtuſque pecorum præſtetur. quare enim, ſi maritus prope partũ oues doti acceperit,item proximas tonſuræ: poſt partum, & tonſas oues protinus diuortio facto,nihil reddat? Nam & hic fructus toto

*In hunc locũ Plinius natu. hiſt. lib. 6. cap 17 & lib. 17. ca. 18. & lib. 18. ca. 22.

toto tempore, quo curantur, non quo percipiuntur, rationem accipere debemus. In seruo quoque anni ratio habetur: vt si in annum fortè operæ eius locatæ sint, præteriti temporis ad maritum: post diuortium autem, ad mulierem operæ pertineant. de pensionibus quoque prædiorum vrbanorum idem est, quod in fructibus rusticorum. Si fundum viro vxor in dotem dederit, isque inde arbores deciderit: si hæ fructus intelliguntur, pro portione anni debent restitui. Puto autẽ, si arbores cæduæ fuerint, vel cremiales: † dici oportere in fructum cedere. si minus, quasi deteriorem fundum fecerit, maritum teneri. Sed si vi tempestatis ceciderint: dici oportet, precium earum restituẽdum mulieri, nec in fructum cedere: non magis, quàm si thesaurus fuerit inuentus. Non enim in fructu computabitur, sed pars eius dimidia restituetur, quasi in alieno inuenti. Si vir in fundo mulieris dotali lapidicinas marmoreas inuenerit, & fundum fructuosiorem fecerit: marmor, quod cæsum, neque exportatum est, mariti est, & impensa non est ei præstanda: quia nec in fructu est marmor: nisi talis sit, vt lapis ibi renascatur, quales† in Gallia sunt & in Asia. Sed si cretifodinæ, vel argentifodinæ: vel auri, vel cuius alterius materiæ sint, vel arenæ: vtique in fructu habebuntur. Interdum marito de fructibus à muliere cauetur, & nihil retinebit, si fructibus stantibus, fundum mulier recipiet: interdum retinebit totum maritus, & nihil restituet: id est, si non plus erit, quàm pro portione eum retinere oportet: interdum verò reddet, si plus percepit, quàm eum retinere oportet. eadem cõditio erit, & si cũ socero, vel cum hærede alterutrius de dote agatur.

A B C

†al. gremiales.

†In hũc locũ Plinius lib. 33. natu. histo. c. 4. Alexã. ab Alex. li. 5. Genia. dierũ. c. 9.

Impendia facta gratia quærendorum fructuum, de fructibus deducuntur. cætera necessaria & vtilia repetuntur. Bartolus.

Impendia autem fructuum percipiẽdorum caussa Pomponius ait, quod in arando serendoque agro impensum est: quodque in tutelam ædificiorum: ægrúmve seruum curãdum: scilicet si ex ædificio, vel seruo fructus aliqui percipiebantur. sed hæ impensæ non repetuntur, cùm maritus fructum totius anni retinet: quia ex fructibus prius impensis satisfaciendum est. Planè si nouam villam necessariò exstruxit, vel veterem totam sine culpa sua collapsam

restituit: erit eius impensæ petitio. simili modo & si pastinum instituit. hæ enim impensæ, aut in res necessarias, aut in vtiles cedunt, pariuntque marito actionem. D

Commodum lapidicinarum existentium in re dotali, pertinet ad maritum, nisi aliud actum sit. Bartolus.

VIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

SI fundus in dotem datus sit, in quo lapis cæditur: lapidicinarum commodum ad maritum pertinere constat: quia palam fit, eo animo dedisse mulierem fundum, vt is fructus ad maritum pertineat: nisi contrariam voluntatem in dote danda declarauerit mulier. Quod in sementem erogatur, si non responderint messes, ex vindemia deducetur: quia totius anni vnus fructus est.

Mora mulieris in non recipiendo fundum dotalem, facit maritum teneri de dolo dumtaxat, & de fructibus quos percepit. Bartolus, & Alexan. E

IX. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

SI mora per mulierem fuit, quò minus dotem reciperet: dolum malum dumtaxat in ea re, non etiam culpam maritus præstare debet: ne facto mulieris in perpetuum agrũ eius colere cogatur. fructus tamen, qui peruenissent ad virum, redduntur.

Actio de dote profectitia consolidatur in patrem si filia fingatur decessisse in patris potestate, licet vere non esset tempore mortis. Alexan. F

X. IDEM *lib.* XVII. *ad Sabinum.*

SI ab hostibus capta filia, quæ nupta erat, & dotem à patre profectam habebat, ibi decessit: puto dicendũ, perinde omnia obseruanda, ac si nupta decessisset: vt etiam si in potestate patris non fuerit, dos ab eo profecta reuerti ad eum debeat. Si vir vxorem suam occiderit: dotis actionem hæredibus vxoris dãdam esse, Proculus ait. & rectè. non enim æquum est virum ob facinus suum dotem lucri facere. idemque & ex contrario statuendum est.

Mulieri repetenti dotem & fructus, non potest opponi exceptio quod res in dotem data sit aliena. Alex.

XI. IDEM *lib.* III. *ad Qu. Mutium.*

SI alienam rem sciens mulier in dotem dederit: reddenda ei est quasi suã dedisset, & fructus quoque pro portione

tione anni, quo diuortium factum est.

A *Maritus habet beneficium vt non condemnetur, nisi inquantum facere potest: quod ad hæredem non porrigitur, licet ad defensorem sic. Alex. post Bartolũ.*

XII. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

MAritum in id, quod facere potest, condemnari, explorati iuris est: sed hoc hæredi extraneo non esse præstandum.

XIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

QVia tale beneficiũ personale est, & cum persona exstinguitur.

XIIII. VLPIANVS. *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

B ALia caussa est defensoris: quem placet sufficienter videri defendisse, si tantum vxori prꝑstet, quantũ consequeretur, si ipsum maritum conuenisset. Eleganter quærit Pomponius libro decimoquinto ex Sabino: si paciscatur maritus, ne in id, quod facere possit, condemnetur, sed in solidum: an hoc pactum seruandum sit? & negat seruari oportere: quod quidem & mihi verum videtur. nanque contra bonos mores id pactum esse, melius est dicere: quippe cùm contra receptam reuerentiam, quæ maritis† exhibenda est, id esse appareat.

XV. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

REi iudicatæ tempus spectatur, quatenus maritus facere potest. Hæredi mariti, licet in solidũ condénetur, cõpensationes tamẽ, quæ ad pecuniariã caussam respiciunt, proderunt, vt hoc minus sit obligatus: veluti ob res donatas, & amotas, & impẽsas. morũ verò coërcitionẽ nõ habet. Socero quoq;, cũ quo nurus de dote agit, idẽ honor habetur: vt in id dãnetur, quod facere potest.

C

†Huc ptinet Arist. œcono. li. 2 ca. 1. & opuscu. Plutar. de ꝑcep. cõnubia.

XVI. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

QVia parentis locum socer obtinet.†

XVII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

EX diuerso, si socer ex promissione à marito cõueniatur: solet quæri, an idem honor ei habendus sit? Neratius libris Membranarum & Proculus scribunt, hoc iustum esse. Item si mulier ex promissione conueniatur: magis placuit, defendendam eam per exceptionem (idem & Proculus ait) sicuti enim cùm socia fuerit, sic dabitur

†Hinc socerũ cũ genero lauari veteres nephas esse crediderunt Vale. Maxi. lib. 2. cap. 1.

ei

ei exceptio: quamuis iure ciuili sit obligata.

Exceptio quæ non impugnat sententiam, potest opponi post sententiam. Bar. & Alex. D

Sin in iudicio dotis iudex ignorantia iuris lapsus, condemnauerit maritum in solidum: Neratius & Sabinus doli exceptione vti oportere aiunt, eaque tutum fore.

XVIII. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

ETiam filios mulieris, qui patri hæredes exstiterunt, in id quod facere possunt, cõdemnandos Labeo ait. Licet in dotalibus rebus non solum dolum, sed & culpam maritus præstet: cùm tamen quæritur: in iudicio de dote, an facere possit, dolus dumtaxat comprehenditur: quia in rerum ipsius administratione non erat culpa ab eo exigenda. Quanquam eum dumtaxat dolum ei nocere putem (si facere non possit) quem propter vxorem adhibuit, ne ei solidum solueret, non propter quemlibet alium: Ofilius tamen aiebat, si dolo mariti res dotales interiissent, & alioquin soluendo non esset: quamuis nihil dolo fecisset, quò minus soluendo esset: perinde tamen eum damnandum eius rei dotalis nomine, in qua dolum fecisset, atque si dolo eius factum esset, quò minus facere possit. cæterum si circa interitum rei dotalis dolus malus & culpa mariti absit: actiones solũ, quas eo nomine quasi maritus haberet, præstandas mulieri, veluti furti, vel damni iniuriæ. E

Si pendente iudicio expirat ius agentis, expirat iudicium. Alex.

XIX. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.* F

SI mulier diuerterit, & iudicio de dote contestato, reuersa fuerit in matrimonium: redintegrato matrimonio exspirat iudicium, & omnia manent in statu pristino.

Si mulieri constante matrimonio dos soluitur ex iusta caussa, vel etiam maritus nomine mulieris in caussas iustas expendit, eatenus actio de dote perimitur. Alexan.

XX. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

QVamuis mulier non in hoc accipiat constante matrimonio dotem, vt æs alienum soluat, aut prædia idonea emat: tamen vt liberis ex alio viro egentibus, aut fratribus, aut parentibus consulat, vel vt eos ex hostibus redimat: †(quia iusta & honesta caussa est) non videtur male accipere. & ideo rectè ei soluitur, idque & in si-

†*Iuxta hãc sentẽ-*

in filiafamiliâs obseruatur.

A XXI. VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

SEd & si ideo maritus ex dote expendit: vt à latronib⁹ redimeret necessarias mulieri personas, vel vt mulier vinculis aliquem de necessariis suis vindicaretr:eputatur ei id, quod expensum est: siue pars dotis sit, pro ea parte: siue tota dos sit, actio dotis euanescit. & multo magis idē dicendum est, si socer agat de dote, debere rationem haberi eius, quod in ipsum impensum est: siue ipse maritus hoc fecit, siue filiæ, vt faceret, dedit. sed & si non pater experiretur, sed post mortem eius filia sola de dote ageret: idem erit dicendum. cùm enim doli exceptio insit de dote actioni, vt cæteris bonæ fidei iudiciis: potest dici (vt &
B Celso videtur) inesse hunc sumptum actioni de dote: maximè, si ex voluntate filiæ factus sit.

XXII. IDEM *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

SI cùm dotem daret pater, vel extraneus, pro muliere in vnum casum pepigit, vel in diuortium, vel in mortem: dicendum est, in eum casum, in quem non pepigit, esse mulieri actionem. Si post solutum matrimonium filiafamiliâs citra patris voluntatem exactam communem dotem consumat: patri, & viua ea, & mortua, actio superest, vt dos ipsi soluatur. quod ita verum est, si perdituræ soluatur. Cæterùm si non perdituræ, & ex iustis caussis soluta sit: non supererit actio. sed mortuo patre, nec etiã hæ-
C redes agent, nec mulier. Si mulier, soluto matrimonio, egentem reum dotis per nouationem decepta accipiat: nihilominus actio dotis ei manebit.

Pater qui sine voluntate filiæ dotem exegit, eam hæredem instituendo, vel eidem legando, intelligitur fecisse animo compensandi cum dote exacta. Alex.

Si pater filia absente de dote egerit, & si omissa sit de rato satisdatio, filiæ denegari debet actio: siue patri hæres exstiterit, siue in legato tantũ acceperit, quantũ doti satis esset. sed & Iulianus in pluribus locis scribit, compensandum ei in dotem quod à patre datur: lucroque eius cedere, si tantum ab eo consecuta sit, quantum ei dotis nomine debebatur à marito, qui patri soluit. Si patri propter cõdemnationem Romæ, vbi dos petatur, esse non liceat: filiæ

tiã M. Cicero eos vere liberales censet, qui suis facultatib⁹, aut captos à prædonibus redimunt, aut æs alienũ suscipiunt amicorum caussa, aut in filiarũ collocatione adiuuant.

*scilicet nomine.

filiæ satis dotis * fieri oportet: ita tamen, vt caueat ratam rem patrem habiturum. D

Ante litem contestatā potest filia mutare voluntatē. Itē ex caussa quandoque datur actio filiæ, & patri denegatur, vel econtra. Bar.

Eo autem tempore consentire filiam patri oportet, quo lis contestatur. secundum hæc si filia dicat se patri consentire, & ante litis contestationem mutauerit voluntatem, vel etiam emancipata sit: frustra pater aget. Nec non illud quoque probamus, quod Labeo probat: nonnunquā patri denegandā actionē, si tam turpis persona patris sit, vt verendum sit, ne acceptam dotem cōsumat. ideóque officium iudicis interponendum est, quatenus & filiæ, & patri competenter cōsulatur. Sed si latitet filia, ne tali patri cōsentire cogatur: puto dari quidem patri actionem, sed caussa cognita. quid enim, si filia verecundè per absentiam patri contradicat? cur non dicamus, patri non esse dandam actionem? Quod si is pater sit, cui omnimodo consentire filiam deceat, hoc est vitæ probatæ: filia leuis mulier, vel admodum iuuenis, vel nimia circa maritum non merentem: dicendum est, patri potius adquiescere prætorem oportere, daréque ei actionem. E

Furiosus nō potest coniugem repudiare, nec ipse potest ex hac caussa repudiari: nisi furor sit intolerabilis. Bartolus.

Si maritus vel vxor constante matrimonio furere cœperit: quid faciendum sit tractemus. Sed illud quidem dubio procul obseruatur: eam personam, quæ furore detenta est (quia sensum non habet) nuncium remittere non posse. an autem illa repudianda sit, considerandum est. & siquidem interuallum furor habet, vel perpetuus quidem morbus est, ferendus tamen his, qui circa eam sunt: tunc nullo modo oportet dirimi matrimonium: sciente ea persona, quæ cùm compos mentis est, ita furenti (quemadmodum diximus) nuncium miserit, culpā sua nuptias esse diréptas. quid enim tam humanum est, †quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem esse? Si autē tantus furor est, ita ferox, ita perniciosus, vt sanitati nulla spes supersit, ita circa ministros terribilis: & forsitan altera persona velit, vel propter sæuitiam furoris, vel quia liberos non habet, procreandę sobolis cupidine tenta, dirimere: licentia F

†*In hanc sententiam Vale. Maxi. li. 4. ca. 6. de amo. coniuga.*

licentia erit compoti mentis personæ furenti nuncium
A mittere, vt nullius culpa videatur esse matrimonium disso lutum, neque in damnum alterutra pars incidat.

Maritus cogitur vxorem furiosam alimentare, & alia necessaria impendere. & si dotem dißipat, dos sequestrabitur. Bartolus.

Si autem in sæuissimo furore muliere cõstituta, dirimere maritus quidem matrimoniũ calliditate non vult: spernit autem infelicitatem vxoris, & non ad eam flectitur, nullámque competentem curam inferre manifestissimum est, sed abutitur dote: tunc licentiam habeat vel curator furiosæ, vel cognati, adire iudicem competentem: quatenus necessitas imponatur marito, omnem talem mulieri sustentationem sufferre, & alimenta pręstare, & medicina ei succur
B rere, & nihil prætermittere, quorum maritum vxori adferre decet, secundum dotis quantitatem. si verò dotem ita eum dissipare manifestum est, vt hominem non frugi: oportet dotem tunc sequestrari, quatenus ex ea mulier competens habeat solatium vnà cum sua familia: pactis videlicet dotalibus, quę inter eos ab initio nuptiarum inita fuerunt, in suo statu durantibus, & alterius exspectantibus sanitatem, aut mortis euentum. Item pater furiosæ vtiliter intẽdere, sibi filiæúe suæ reddi dotem, potest. quamuis enim furiosa nuncium mittere non potest, patrem eius tamen posse certum est.

Patre furẽte, eius curator vel filia de dote agit. Idem in patre ca-
C *pto.* Bartolus.

Si soluto matrimonio pater furiosus fit: curator eiusvoluntate filiæ dotem petere poterit: aut si curatoris copià non sit, agere filiam permittendum erit, caueriq́ue oportebit de rato. Item dicendum est, & si ab hostibus captus sit pater, puellæ dandam actionem de dote repetenda.

Trãsgrediamur nunc ad articulum hunc, vt quæramus, aduersus quos competat de dote actio. Et aduersus ipsum maritum competere, palàm est: siue ipsi dos data sit, siue alij ex voluntate mariti, vel subiecto iuri eius, vel non subiecto. sed si filiusfamiliâs marit⁹ sit, & dos socero data sit: aduersus socerum agetur. planè si filio data sit: siquidem iussu soceri: adhuc absolutè socer tenebitur. quod si filio data sit, non iussu patris: Sabinus & Cassius responderunt,

nihilominus

nihilominus cum patre agi oportere. videri enim ad eum peruenisse dotem, penes quem est peculium. sufficit autem ad id eum damnari, quod est in peculio, vel quod in ré patris versum est. Sin autem socero dotem dederit: cum marito non poterit experiri, nisi patri hæres extiterit. D

Vxor putatiua habet quasi priuilegium in actione de peculio contra omnes præterquam contra dominum mariti putatiui, & contra eum in rebus exstantibus, quæ propter impensas potuerunt retineri. Bartolus.

Si mulier in códitione mariti errauerit, putaueritq́ue esse liberum, qui seruus esset: concedi oportet quasi priuilegium in bonis viri mulieri: videlicet vt si sint & alij creditores, hæc pręferatur circa actionem de peculio: vt tamen si domino aliquid debeat seruus, non præferatur mulier: nisi in his tantùm rebus, quæ vel in dotem datæ sunt, vel ex dote comparatæ, quasi & hæ dotales sint. E

XXIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

ET si quid in eam doté impésum est, nec à muliere reddatur: per doli mali exceptionem seruabitur.

XXIIII. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

SI constáte matrimonio propter inopiam mariti mulier agere volet: vnde exactionem dotis initium accipere ponemus? & constat, exinde dotis exactionem cópetere, ex quo euidétissimè apparuit, mariti facultates ad dotis exactionem non sufficere. Si exhæredato marito mulier agat: magis est, vt ex die aditæ patris hæreditatis, incipiat ei dotis exactio. Quoties mulieri satisdandum est de solutione dotis post certum tempus, si maritus satisdare non possit: tunc deducto commodo temporis, condemnatio residui repræsentatur. sed si cùm maritus satisdare posset, nolet: in solidum eum condemnandum, Mela ait, non habita ratione commodi temporis. iudicis igitur officio cóuenit, vt aut satisdatione interposita absoluat maritum, aut habita ratione repræsentationis eum condemnet. quod quidem hodie magis vsurpatur. nec ferenda est mulier, si dicat, magis se velle dilationem pati, quàm in repræsentatione deductionem. Siue autem mariti, siue vxoris periculo dos fuit: nihilominus legitimo tempore debet soluere maritus. F

Vir te-

Vir tenetur restituere quidquid habet vel habere sperat à liberto dotali, nisi animo donandi vel compensandi sibi permissum fuerit manumittere. Bartolus.

A

Si vir voluntate mulieris seruos dotales manumiserit: si quidem donare ei mulier voluit: nec de libertatis caussa impositis ei præstandis tenebitur. Quod si negocium ab eo gestum est: vtique tenebitur, vt officio iudicis caueat; restituturum se mulieri, quidquid ad eum ex bonis liberti; vel ex obligatione peruenisset. Si maritus sæuus in seruos dotales fuit: videndum, an de hoc possit conueniri. & si quidem tantùm in seruos vxoris sæuus fuit: constat eum teneri hoc nomine. Si vero & in suos est natura talis adhuc dicendum est, immoderatam eius sæuitiã hoc iudicio coërcendam. Quamuis enim diligentiam vxor eam demũ ab eo exigit, quam rebus suis exhibet; nec plus possit: attamẽ sæuitia, quæ in propriis culpanda est, in alienis coërcenda est. Si vxor viri rem commodauerit, eáque perierit: vidẽdum est, an compensationẽ hoc nomine pati possit? & puto, siquidem prohibuit eam maritus commodare: statim deductionem fieri. si vero non prohibuit eam cõmodare: arbitrio iudicis modicũ tempus ei indulgeri, cautionem præbendi.

B

Quatenus bona mulieris confiscata sunt, eatenus ei desinit actio de dote competere: quia in fiscum transit: & pro illa parte iudicium inchoatum exstinguitur: & sufficit sententiam ferri pro alia parte qua non venit in confiscatione. Bartolus.

C

Si bona mulieris pro parte sint publicata, superest mulieri reliquæ partis dotis exactio. plus puto, & si post litẽ contestatam publicata sit pro parte dos: sufficiet arbitriũ iudicis ad partis condemnationem faciendam. quod si tota dos publicata sit: expirabit iudicium.

In peculio filii videtur esse quidquid mulier debet filio. & ideo illud mulier poterit compensare. Bartolus.

XXV. PAVLVS *lib.* XXXVI. *ad edictum.*

SI filiofamiliâs dos data sit iniussu patris: de peculio quidẽ agetur: sed siue propter impensas à filiofamiliâs factas, siue propter res donatas à filiofamiliâs, vel amotas ab vxore res peculiares, hoc ipso; quod habet actionem

pater

pater ex perſona filij, maius peculium fit. & ſic totum eſt præſtandum mulieri, quod in peculio eſt: modò adhuc ſit, quod vxori debeatur. Maritum in reddéda dote de dolo malo & culpa cauere oportet. quod ſi dolo malo fecerit, quò minus reſtituere poſſit: damnandum eum, quãti mulier in litem iurauerit: quia inuitis nobis res noſtras alius retinere non debeat. Si poſt diuortium res dotales deteriores factæ ſint, & vir in reddéda dote moram fecerit: omnino detrimentum ipſe præſtabit. Si qui dotalium ſeruorum in fuga erũt: cauere debebit maritus, ſe eos viri boni arbitratu perſecuturũ, & reſtituturum. Si vir in quinquennium locauerit fundum, & poſt primum fortè annum diuortium interuenerit: Sabinus ait, nõ aliâs fundum mulieri reddi oportere, quàm cauerit, ſi quid pręter vnius anni locationem maritus damnatus ſit, id ſe præſtaturi. ſed & mulieri cauendum, quidquid præter primum annum ex locatione vir conſecutus fuerit, ſe ei reſtituturum.

XXVI. IDEM *lib.* XXV. *ad edictum.*

SEmel mora facta, ſi ſeruum dotalem poſtea offerente marito mulier accipere noluerit, & ita is deceſſerit: non debebit precium eius maritus vel hęres eius: ne dãnũ ſentiat, quod poſtea offeréte eo, mulier accipere noluit.

Licet perſona actoris mutetur, non tamẽ mutatur qualitas actionis: ſcilicet reſpectu conuenti. Bartolus.

XXVII. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

SI poſt diuortium mortua muliere hæres eius cum viro parentéve eius agat: eadem videtur de reſtituenda dote interuenire, quæ ipſa muliere agente obſeruari ſolent.

Quod vir ab eius vxore poteſt exigere, in eius bonis nõ computatur: & illud dicetur poſſe facere quod dicitur hic in textu ibi, facere poſſe, & ideo in hoc compenſatio nulla obiicitur mulieri. Bartolus.

XXVIII. VLPIANVS.

FAcere poſſe maritus etiam id videtur, quod à muliere conſequi poteſt: ſcilicet ſi iam ei aliquid abſit, quod pro muliere vel expendit, vel mandatu eius præſtitit. Cæterùm ſi nondum ei abeſt, vtputa ſi ſub conditione obligatus eſt: nondum videtur facere poſſe.

Pater appropriat ſibi actionem de dote, ſi ante matrimonium ſtipuletur, vel pòſt tempore traditionis. aliâs ſecus, niſi filia ei conſentiat.

tiat.Bartolus.

XXIX. IDEM *lib.* VII. *Disputationum.*

A QVoties pater dotem dat, & stipulatur: ita demum in suam personam de dote actionem transfert, si ex cõtinenti stipuletur. Cæterùm si interposito tẽpore stipulari velit: non nisi consentiente filia poterit, quamuis in potestate sit: quia deteriorem conditionem in dote filiæ facere non potest, nisi consentiat. planè si ante nuptias dotem dederit: poterit ex interuallo (ante nuptias tamen) & citra voluntatem filiæ stipulari. Si quis pro muliere dotẽ dederit, conueneritque, vt quoquo modo dirempto matrimonio, ipsi solueretur: postea maritus vxori dotẽ dederit: rectissimè dicetur, exactionem nihilominus ei, qui dedit,
B contra maritum competere.

XXX. IVLIANVS *lib.* XVI. *Digestorum.*

NVpta non impeditur, quò minus cum priore marito de dote experiatur. Quoties culpa viri accidit, ne dos à socero, aut à quolibet alio, qui mulieris nomine pro miserat, exigeretur: si aut in matrimonio filia decesserit, aut materfamiliâs facta, eum, qui dotem repromiserat, hæredem instituerit: satis constat, nihil amplius virum præstare debere, quàm vt eos obligatione liberet.

Pro qua parte bona mariti publicantur: pro ea parte ad dotem fiscus tenetur.Bartolus.

XXXI. IDEM *lib.* XVII. *Digestorum.*

C SI marito publico iudicio damnato, pars aliqua bonorũ eius publicetur: fiscus creditoribus eius satisfacere necesse habet, inter quos vxor quoque est.

Dotẽ sibi pacto remissam pater non exigit soluto matrimonio. B.

Si pater, cùm ducenta filiæ suæ nomine doti promisisset, pactus fuerit, ne amplius, quàm centum, à se peterentur & soluto matrimonio egerit: centum, de quibus conuenit, ne peterentur, nec intelligũtur dotis esse. quod si mortuo patre cum hærede eius maritus agere cœperit: ista quoque pecunia in dotem erit.

Actio iudicati post mortem patris consolidatur in personam filiæ sicut actio de dote.Bartolus.

Si volũtate filiæ procurator à patre datus, litẽ de dote contestatus fuerit, & re secundum eum iudicata pater de-

mm cesserit:

cesserit: iudicati actionem filiæ potius, quàm hæredibus patris, dari oportebit. D

Quatenus solutum est mulieri, eatenus vir à cohæredibus eius non repetit. Bartolus.

Cùm patri dos data est, & ei filius ex aliqua parte hæres sub conditione institutus fuerit, & pendéte conditione cohæredes eius dotem pro sua portione mulieri soluerint: hoc minus ex dote filius præstare debebit, quoniam nullã actionem eius pecuniæ recuperãdæ gratia aduersus cohæredes habet.

Fructus augent dotem: & ideo quod iuris est in dote, erit & in fructibus. Bartolus.

Si fundum dotalem recepisset mulier, non habita ratione fructuũ pro portione anni, quo nupta non fuisset: nihilominus de dote agere potest: quia minorem dotem recepisset. hoc enim ad dotis augmentum pertinet: quéadmodum si partum ancillarũ non recepisset, aut legata vel hæreditates, quæ post diuortium per seruos dotales adquisitæ marito fuissent. E

Qui promittit quod debet, intelligitur de debito cum effectu. Bartolus.

XXXII. IDEM *lib.* II. *ex Minicio.*

SI prior maritus posteriori dotis nomine tanquã debitor mulieris, dotem promiserit: non plus, quàm facere possit, dotis futurum est.

Adhibitus ad stipulandum dotem animo donandi, potest eam à marito repetere, licet maritus ab vxore adhibente nunquam receperit: si tamen sibi successit in hæreditate, quanquam hæreditas non sit soluendo. Alexander. F

XXXIII. AFRICANVS *lib.* IIII. *Quæstionum.*

QVæ dotis nomine certam pecuniã promiserat: quosdam adhibuerat, qui stipularétur partem dotis distracto matrimonio sibi solui. ea nulla data dote obierat, eodem marito suo hærede relicto. is damnosam hæreditaté eius adierat. nihilominus stipulatoribus teneri, quoniam adeundo hæreditaté debitricis intelligeretur se cõpensasse. nec ad rem pertinere, quod soluédo non esset hæreditas, quando cæteris etiam creditoribus teneatur.

Exceptio opposita à tertia persona cuius interest, obstat, & venit examinandæ

examinanda in iudicio: & habet processum impedire. Alexander.

XXXIIII. IDEM *lib.* VII. *Quæstionum.*

A TItia diuortium à Seio fecit. hanc Titius in sua potestate esse dicit, & dotē sibi reddi postulat. ipsa se matremfamiliás dicit, & de dote agere vult. quæsitū est, quæ partes iudicis sint? respondi. patri, nisi probet filiam non solùm in sua potestate esse, sed etiam consentire sibi: denegandam actionē, sicuti denegaretur, etiam si constaret eam in potestate esse.

XXXV. PAPINIANVS.

LIberta, quę volūtate patroni discessit, de dote cum eo agere potest, quam ei dedit.

Etiam si fiscus succedat vxori, non perditur priuilegium mariti. Bartolus.

B

XXXVI. PAVLVS.

SI maritus minus facere potest, & dos publicata sit: in id, quod facere potest, & fisco maritus condemnandus est: ne in perniciem mariti mulier punita sit.

Non videtur filia contradicere, quæ iustam caussam contradicendi non habet. Bartolus.

XXXVII. VLPIANVS.

DOtem voluntate filiæ videri patrem recepisse, cum caussas contradicendi ei filia non haberet: maximè, cùm ab eo postea ampliore summa dotata sit.

Sponsalia contracta per patrem, non exstinguunt ius petendi dotem, vel retinendi filio competens culpa mulieris. Bartolus.

C

XXXVIII. MARCELLVS *lib. singulari Responsorum.*

LVcius Titius, cùm esset filiusfamilias, volūtate patris vxorem Mæuiam duxit, & dotem pater accepit. Mæuia Titio repudium misit. postea pater repudiati, absente filio, sponsalia cum eadem nomine filij sui fecit. Mæuia denuo repudium sponsalibus misit, atque ita alij nupsit. quæro, si Mæuia ageret cum Lucio Titio quondam marito, & à patre hærede relicto de dote, & probetur culpa mulieris matrimonium dissolutum: an possit maritus propter culpā mulieris dotem retinere? Marcellus respondit. etiam si vt hæres institutus à patre Titius conueniretur: tamen si sponsalibus non consensisset, culpam mulieris multandam esse.

 Exceptio

Exceptio adulterii tollitur replicatione lenocinii: vel econtra: cùm agitur ciuiliter de dote vel donatione propter nuptias lucranda. Alexander. D

XXXIX. PAPINIANVS *lib.* III. *Quæstionum.*

VIro atque vxore mores inuicē accusantibus, caussam repudij dedisse vtrunque pronũciatum est. Id ita accipi debet: ve ea lege, quam ambo contempserunt, neuter vindicetur†. paria enim delicta mutua pensatione dissoluuntur.

† Etenī nō modo accusator, sed ne obiurgator quidem ferend⁹ est is qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur, Cic. actio. 5. in Verrem et ibidē multa in eādē sententiam.

Pater stipulando dotem, mandato filiæ videtur stipulari, & tanquam eius procurator: ex qua stipulatione filia mortua sine liberis agit pater vt hæres filiæ. sed filia viuente ius agendi non residet in patre. Alexander.

XL. IDEM *lib.* VIII. *Quæstionum.* E

POst dotem datam & nuptias contractas stipulatus est pater, volũtate filiæ, DIVORTIO FACTO DOTEM DARI? si conditio stipulationis impleatur, & postea filia sine liberis decesserit: non erit impediendus pater quò minus ex stipulatu agat. viua autem filia, si agere vult, exceptione submouendus erit.

Etiam pro dote soluta soluto matrimonio competit actio de dote. Alexander.

XLI. IDEM *lib.* I. *Responsorum.*

SI pater ignorans filiam diuertisse, doté ex caussa promissionis numerauerit: non per indebiti cōdictionem, sed de dote actione pecunia petetur. F

Mors ciuilis patris facit actionem de dote filiæ esse pro solido. Bartolus.

XLII. IDEM *lib.* XII. *Responsorum.*

IN insulam patre deportato, qui pro filia dotem dedit, actio dotis ad filiam pertinet. Post diuortium quoque patre damnato, qui dotem consentiente filia non petierat, æquè dotis actio mulieris est.

Vir non lucratur fructus dotis putatiuæ: retinet tamen quatenus in vxorem consumpsit, & quatenus necessariò vel vtiliter impendit. Bartolus.

Fructus ex prædiis, quæ in dotem data esse videbātur, bona fide perceptos, & in mulieris oneribus ante caussam liberalem absumptos: quamuis seruam fuisse postea consti-

terit,

terit, peti non posse placuit. Sumptus verò necessarios & A vtiles in prædia, quæ dotalia videbantur, factos: compensatis fructibus perceptis, ad finé superflui seruari côuenit.

Debitum hincinde ex causa vsuraria compensatur. Item marito non debentur vsuræ qui non alit vxorem. Bartolus.

Vsuras auté numeratæ dotis ex stipulatu pater, in matrimonio defuncta filia, si petat: gener, qui residuæ dotis promissæ fœnus stipulatus est: ita demum ad finem vice mutua debitæ quantitatis compensationem opponere iustè videtur, si propriis sumptibus vxorem suam exhibuit. alioquin si patris sumptibus exhibita sit: inanis vsurarum stipulatio compésationi non proderit. Ad virum vxore post diuortium reuersa, iudicium acceptum ex stipulatione, qua extraneus, qui dotem dedit, stipulatus fuerat, non B dissoluitur, nec officio iudicis absolutio continebitur.

Maritus non tenetur per restitutionem dotis actionem de dote cedere. si aliud ad vitam sufficiens sibi non remanet. Bartolus.

XLIII. SCAEVOLA *lib.* V. *Digestorum.*

SI maritus in id, quod facere potest, condemnatus sit, & nomina sint ad dotis quantitatem, neque amplius habebit: mandare actionés debet.

Licet socer succedat genero, non tamen filia perdit ius consolidationis: imò facta sui iuris agere poterit cõtra hæredes patris sui, vel etiam contra ipsum patrem tanquã hæredem mariti. Alexand.

XLIIII. PAVLVS *lib.* *Quæstionum.*

C SI socer à genero hæres institutus, adierit hæreditaté: quandoque mortuo patre, cum hærede eius filiam de dote acturam, Nerua & Cato responderunt: vt est relatum apud Sextum Pomponium ab Aristone libro quinto, vbi idem Aristoni consensit. Ego dicerem, & si emancipasset pater filiam, ipsum quoque conueniri posse.

Qui petit illud quod restituturus est alteri quàm ei à quo petit, dolo facere non videtur. Bartolus.

Lucius Titius filiæ suæ nomine centum doti promisit Caio Seio: intérque Caium Seium & Lucium Titium patrem mulieris conuenit, ne dos à viro viuo Lucio Titio peteretur. postea culpa mariti diuortio facto solutum est matrimonium: & pater mulieris decedens alios hæredes instituit, filia exhæredata. Quæro, an ab hæredibus soceri

maritus exigere possit dotem, cùm eam mulieri redditurus sit? respondi. cum filia, aliis à patre hæredibus institutis, actionem de dote sua recuperanda habere cœperit: necesse habebit maritus, aut exactam dotem, aut actiones ei præstare. nec vllam exceptionem habebunt soceri hæredes aduersus eum: cùm absurdè dicatur: dolo videri eum facere, qui non ipsi, quem conuenit, sed alij restituturus petat. alioquin & si post mortem patris diuertisset: nondum exacta dote, excluderetur actione dotis maritus. quod non est admittendum. sed & si ex parte filia hæres patri suo extiterit: debebit maritus cohæredes eius pro parte virili exigere, & mulieri reddere, aut actiones ei præstare. D

Ex pacto aui materni dotem dătu soluto matrimonio actio quæritur mulieri. Bartolus. E

XLV. IDEM *lib. Quæstionum.*

CAius Seius auus maternus Seiæ nepti, quæ erat in patris potestate, certam pecuniæ quantitatem dotis nomine Lucio Titio marito dedit, & in instrumento dotali huiusmodi pactum & stipulationem complexus est. Si inter Lucium Titium maritum & Seiam diuortium sine culpa mulieris factum esset: dos omnis Seiæ vxori, vel Caio Seio auo materno redderetur, restitueretúrq;. Quæro. Cùm Seius auus maternus statim vita defunctus sit, & Seia postea sine culpa sua diuerterit, viuo patre suo, in cuius potestate est: an, & cui actio ex hoc pacto & stipulatione competit? vtrum hæredi aui materni, an nepti? Respondi, in persona quidem neptis videri inutiliter stipulationem esse conceptam, quoniam auus maternus ei stipulatus proponeretur. Quod cùm ita est: hæredi stipulatoris (quandocunque diuerterit mulier) actio competere videtur. Sed dicendum est: Seiæ dotem posse solui, quamuis actio ei directò non competat, ac si sibi aut illi dari auus stipulatus esset. Sed & permittendam esse nepti ex hac auita conuentione, ne commodo dotis defraudetur. vtilem actionem. fauore enim nuptiarum, & maximè propter affectionem personarum, ad hoc decurrendum esse. F

Legatum quod non potest capi, non potest in dotem compensari. Bartolus.

XLVI. IDEM.

A QVi dotem ſtipulanti vxori promiſerat, eidem teſtaméto quædam legauerat: ita tamen, ne dotem ab hæredibus peteret ea, quæ legata erant, vxor capere non poterat. Reſpondi, dotis actionem mulieri aduerſus hæredes non eſſe denegandam.

Siue marit⁹ excipiat de adulterio, vt dotẽ lucretur, ſiue criminaliter accuſet: lenocinii replicatione, vel exceptione repellitur. Alex.

XLVII. SCAEVOLA.

CVm mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinet. Cur enĩ improbet maritus mores, quos ipſe aut antè corrupit, aut poſtea probauit? Sed & ſi ex méte legis ſumat quis, vt nec accuſare poſſit, qui lenocinium

B vxori præbuit: audiendus eſt.

Appellatione liberorum nepotes continentur. Bar.

XLVIII. CALLISTRATVS *lib.* VI. *Stipulationũ.*

SI dotali inſtrumento ita ſtipulatio interpoſita ſit, vt liberorum nomine dos apud maritum reſideat: nepotũ quoque nomine dos retinebitur.

Maritus non tenetur de periculo nominis, ſi ſibi culpa imputari non poteſt. Bart.

XLIX. PAVLVS *lib* II. *Reſponſorum.*

MAeuia marito ſuo inter alias res dotis, etiam inſtrumentum ſolidorum decem tradidit: quo Otacilius eidem Mæuiæ cauerat, daturũ ſe, cũ nuptum ire cœpiſſet,

C decem. ex eo inſtruméto maritus nihil exegit: quia nec potuit. Quæſitum eſt, ſi dos à marito petatur, an compellendus ſit, etiam illam ſummam, quæ inſtrumento cõtineatur, refundere? Reſpondi. potuiſſe quidem eum, cui actiones mandatæ ſunt, debitorem conuenire: ſed ſi ſine dolo malo, vel culpa exigere pecuniam non potuerit: neque dotis nomine eum conueniri poſſe, neque mandati iudicio.

Si prædium æſtimatum in dotem datum ſine culpa euincatur, nõ debetur æſtimatio mulieri. Bar.

Fũdus æſtimatus in dotem datus à creditore antecedéte ex cauſſa pignoris ablatus eſt. Quæſitum eſt an mulier, ſi æſtimationem dotis repetat, exceptione ſubmouéda ſit? ait enim propterea ſe non teneri, quod pater eius doté pro ſe dedit, cui hæres non exſtiterit. Paulus reſpõdit. prædio

euicto sine dolo & culpa viri: precium petenti mulieri doli mali exceptionem obesse. Consequi enim eam precium D fundi euicti, euidens iniquitas est, cũ dolus patris ipsi nocere debeat.

Fundus æstimatus tali æstimatione qua non facit emptionem, potest alienari muliere volente. Bar.

L. SCAEVOLA.

AEstimatis rebus in dotem datis, pactum intercessit: vt ex quacũque caussa dos reddi deberet, ipsę res restituerentur, habita ratione augmenti & deminutionis viri boni arbitratu: si quæ verò nõ exstarent, æstimatio earum. Quæsitum est. cũ res quædam, quas maritus vendiderat, exstarent: an secundum pactum & hæ ad mulierem pertinerent? respondit. res, quæ exstant, si neque volente, neque E ratum habente muliere, venissent: perinde reddendas, atque si nulla æstimatio interuenisset.

LI. HERMOGENIANVS *lib.* II. *iuris* ἐπιτομῶν.

AEstimatæ res vsu etiam mulieris periculo mariti deteriores efficiuntur.

Dos indebitè reddita condicitur. Bar.

LII. TRIPHONINVS *lib.* VII. *Disputationũ.*

MAritus dotem, quam non accepit, si post diuortium per errorem soluit, repetet: quasi non numeratã pecuniam cauerit. exigi enim ab eo non potuit.

LIII. IDEM *lib.* VIII. *Disputationum.*

SI filiofamiliâs data est dos: ipse quidem dotis actione F tenetur, pater autem eius de peculio. nec interest, in peculio rem vel pecuniam dotalem habeat, nec ne. sed quatenus facere potest, hic quoque condemnandus est. Intelligitur autem peculioténus facere posse, quod habet rei iudicatæ tempore. Et quidem si cũ patre agatur: deducetur ex peculio, quod patri vel subiectis ei personis filius debet. at si cũ ipso filio agatur: alterius debiti non fiet detractio, in computatione quantum facere possit filius.

In æstimatione quantum quis facere potest, non fit deductio æris alieni, nisi in donatore. Bar.

LIIII. PAVLVS.

MAritus facere posse creditur, nullo deducto ære alieno: item socius, item patronus, parensúe. at is, qui ex donatione

donatione conuenietur : omni ære alieno deducto facere
A posse intelligitur.

Viro restituente dotem debet à muliere caueri de indemnitate. Bartolus.

L V. I D E M.

CVm mulier de dotis repetitione post solutum matrimonium agit: cauere debet marito, qui ædium nomine damni infecti cauit: si velit eam recipere, vt periculum marito amoueatur.

Stipulatio generalis refertur ad omnem casum soluti matrimonii. Bartolus.

L V I. I D E M.

SI quis sic stipuletur à marito, S I Q V O C A S V T I-
B T I A T I B I N V P T A E S S E D E S I E R I T, D O T E M D A B I S? hac generali commemoratione, & ab hostibus capta ea, committetur stipulatio : vel etiam si deportata fuerit, vel ancilla facta . hac enim conceptione omnes hi casus continentur. Planè quantum veniet in stipulatione: vtrum quasi mortua sit, an quasi diuortium fecerit? sed humanius quis id competere dixerit, quod propter mortem conuenit.

Vsusfructus in dotem datus in re propria mulieris, sibi & hæredi eius restituitur facto diuortio: in re verò mariti, sibi dumtaxat: in aliena verò, commoditas percipiendi fructus sibi, & hæredi debet restitui. Bar.

C L V I I. M A R C E L L V S *lib.* V I I. *Digestorum.*

VSufructu in dotem dato, si diuortium interuenerit, nec proprietas rei apud maritum vel mulierem sit: eam dotis esse restitutionem, vt maritus caueat, quandiu vixerit, passurum se vti frui mulierem hæredemq́ue eius: id an verũ sit circa adiectionem hæredis, dubito. sed interest, quemadmodum sit vsusfructus in dotem datus. vt si cũ haberet mulier vsumfructum, viro, cuius erat proprietas fundi, vsumfructũ cessit: nihil mulier hæredi suo relinquat. debebatur enim ei vsusfructus, qui ad hæredem non solet transire. Quod si fundi sui fructum mulier viro cessit: restitui is à viro debet. cũ proprietate enim ad hæredem eius transisset, si vir in reddẽdo eo non fecisset moram. Si verò alienata sit proprietas, aut aliquis fundi sui vsumfru-

sumfructũ mulieris iussu viro eius dederit in doté: inspiciẽdum est primũ, quemadmodum mulieri possit restitui. D
potest auté vel cautionibus interpositis, vt (sicut potest) vir iure suo cedat mulieri, fruique eam patiatur: vel si se accommodauerit dominus proprietatis, volente eo, mulieri constituatur vsus fructus. nam aut fructum fundi ille mulieri poterit cedere, aut aliquid videlicet pro eo (prout inter eos actum fuerit) dare. nam finge hoc ipsum mulierem posse proprietatis domino vendere. quo casu non iniquè etiam mulieris hærede agente, vir facere cogetur: quippe si moram non fecisset, precium fructuum mulier hæredi suo reliquisset. quod si facultatem vsusfructus vẽdendi proprietatis domino mulier non habuerit: patientiam percipiẽdi fructus, quam præstare ipsi debuit, & hæredi eius præstet. E

In rebus quæ ad alienum cõmodum gerũtur, consilium est illius voluntatem exquirere: vt gestor se à periculo gestionis exoneret. Bar.

LVIII. MODESTINVS *lib. singulari de differentia dotis.*

SEruus dotalis hæres ab aliquo institutus, mariti iussu, vel adire, vel repudiare debet hæreditatem. sed ne maritus aut facilè repudiando, vel temere suscipiendo, incognitam successionem dotis iudicio vxori suæ obliget: cõsulendũ est, mulierem corã testibus interrogari, vtrũ velit omittere, an adquirere hæreditaté. & si repudiare se dixerit: facilè mariti iussu repudiabit. quòd si hæreditatem F
agnoscere maluerit: reddẽdus est à marito seruus vxori, ea cõditione, vt eũ iussu eius adierit, rursum marito retradat. ita & mariti solicitudini consuletur, & vxoris desiderio parebitur.

Repudium fraudulentum patri non præiudicat. Bar.

LIX. VLPIANVS *lib.* XXV. *ad Sabinum.*

FIliæ meæ emancipatæ & ægræ vir in hoc repudiũ misit, vt mortua ea dotem potius hæredibus eius, quàm mihi redderet. Sabinus dicebat, vtile mihi eius dotis recuperandæ iudicium dandum esse.

Expẽsa funeris statim repetitur nõ expectata dilatiõe legali. Bar.

LX. IDEM *lib.* XXV. *ad edictum.*

SI filiafamiliâs nupta decesserit, & pater funus ei fecerit: ta-

rit : tametſi ei dotẽ poſt aliquod tẽpus gener reddere deberet:tamen continuò ſocer agendo conſequetur , vt A impenſam funeris præſentem recipiat : cætera dotis ſtatuto tempore ſoluantur.

Si vir manumittit vxore contradicente, reſtituit omnia. Bar.

LXI. PAPINIANVS.

DOtalem ſeruũ vir inuita vxore manumiſit. ſolus vir hæres à liberto inſtitutus, portionẽ hęreditatis, quã vt patronus conſequi potuit ac debuit, reſtituere debet: alteram verò portionem dotis iudicio, ſi modò vxor manumittenti refragatur.

Si vir voluntate mulieris donantis ſeruos dotales manumittit, de impoſitis operis nil reſtituit. Bar.

B LXII. VLPIANVS *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

QVod ſi vir voluntate mulieris ſeruos dotales manumiſit, cũ donare ei mulier ſeruos voluit: nec de libertatis cauſſa impoſitis ei præſtãdis tenebitur;

LXIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

ET deſinit ſeruus in dote eſſe : quia cui manumittendi cauſſam donare liceret, ei quodãmodo donaret, quod permitteret manumittere.

Si maritus manumittit vxore volente eo animo, vt eius negocium geratur, reſtituit omnia quæ vt patronus cõſequitur, mulieri & eius hæredi. ſecus in eo quod conſequitur vt quilibet. Bar.

LXIIII. VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *ad edictũ.*

C SI verò negociũ gerens mulieris nõ inuitæ, maritus dotalẽ ſeruũ volũtate eius manumiſerit: debet vxori reſtituere, quicquid ad eũ peruenerit. ſed & ſi quid libertatis cauſſa maritus ei impoſuit, id vxori præſtabit. planè ſi operæ fuerint marito exhibitæ, nõ æſtimatio earũ: non erit æquũ, hoc nomine vxori maritũ quidpiã præſtare. Sed & ſi poſt manumiſſionẽ aliquid fuerit ei liberto impoſitũ, id vxori præſtandũ eſt. ſed & ſi reũ marit[9] acceperat, expromiſſoréue : æquè aduerſus ipſum obligationẽ debet præſtare. Itẽ quicquid ad eũ ex bonis liberti peruenerit, æquè præſtare cogetur: ſi modò ad eũ quaſi ad patronũ peruenerit. cæterũ ſi alio iure: nõ coget̃ præſtare. nec enĩ beneficiũ, quod in eũ libert[9] cõtulit, hoc vxori debet: ſed id tãtũ, qđ iure patronatus adſequit̃, vel adſequi potuit. planè ſi ex

si ex maiore parte, quàm debet, hęres scriptus fuerit: quod amplius est, non præstabit. & si fortè, cùm ei nihil deberet libertus, hæredé eum scripsit: nihil vxori restituet. Dabit autem (vt ait lex Iulia) quod ad eum peruenit. peruenisse accipimus, siue iam exegit, siue exigere potest: quia actio ei delata est. Adiicit in lege, ET SI DOLO MALO FACTVM SIT, QVO MINVS AD EVM PERVENIAT. Si filium exhæredauerit patronus, vt ad eum bona liberti pertineant: videndũ est, an hæres hoc nomine teneatur. & cùm nihil, neq; ad ipsum, neque ad hęredem eius perueniat: quomodo fieri potest, vt hoc nomine teneatur? D

Prouisio legis contra ius commune non extenditur vltra illud, quod lex exprimit, licet eadem sit ratio. Bartolus. E

De viro hæredeque eius lex tãtùm loquitur: de socero, successoribusque soceri nihil in lege scriptum est. & hoc Labeo quasi omissum adnotat. In quibus igitur casibus lex deficit, non erit nec vtilis actio danda.

Quãdo quis tenetur ad quãtitatem respectu certæ speciei, soluẽdo speciem liberatur. Bartolus.

Quod ait lex, QVANTA PECVNIA ERIT, TANTVM PECVNIAM DATO: ostendit æstimationem hæreditatis, vel bonorum liberti, non ipsam hæreditatem voluisse legem præstari: nisi maritus ipsas res tradere maluerit. & hoc enim benignius admitti debet.

LXV. SCAEVOLA.

HAec actio etiam constante matrimonio mulieri competit. F

Damnum datum ab inimicis mariti, culpa mariti dari videtur: & ideo maritus tenetur. Bartolus.

LXVI. IABOLENVS *lib.* V. *ex posterioribus Labeonis.*

IN his rebus, quas præter numeratam pecuniam doti vir habeat, dolum malum, & culpam præstare eum oportere, Seruius ait. eaque sententia & Publij Mutij est. nam is in Licinnia Gracchi vxore statuit: quod quæ res dotales in ea seditione, qua Gracchus occisus erat, periissent: (quia Gracchi culpa ea seditio facta esset) eas Licinniæ præstari oporteret.

Facto diuortio maritus vestimenta data seruis dotalibus recuperat,

rat, qualia sunt. aliàs compensat in dotem. Bartolus.

Seruis vxoris vir numos in vestiariū dederat. quo per-
A acto, deinde intra annum diuortium intercesserat. placuit Labeoni & Trebatio, qualia vestiméta post diuortium essent, talia viro reddi. Idem iuris futurum fuisse, si ipsæ vestimenta vir emisset, & seruis dedisset. quòd si vestimenta non redderētur: tunc virū preciū in dotem compésaturū.

Voluntas de soluendo patri non impedit filiæ ius consolidationis mortuo patre in ea parte quæ soluta non est. Bartolus.

Filiafamiliâs diuortio facto, dotem patri reddi iusserat. deinde parte dotis persoluta, pater decesserat. reliquam partem, si nec dum delegata, nec promissa nouandi animo patri fuisset: mulieri solui debere, Labeo & Trebatius pu-
B tant. idque verum est.

Si ad maritum spectat periculum ancillarū, ad eum spectat partus earum. Bartolus.

Mancipia in dotem æstimata accepisti. pactum conuentum deinde factum est, vt diuortio facto, tantidem æstimata redderes: nec de partu dotalium ancillarum mentio facta est. manebit (inquit Labeo) partus tuus: quia is pro periculo mancipiorum penes te esse debet.

Si maritus per errorem promisit plus debito, non potest exigi vltra debitum. Bartolus.

Mulier, quæ centum dotis apud virum habebat, diuortio facto ducēta à viro errante stipulata erat. Labeo putat,
C quāta dos fuisset, tantam deberi: siue prudens mulier plus esset stipulata, siue imprudens. Labeonis sentētiam probo.

Dos primi matrimonii videtur in sequenti matrimonio repetita: licet matrimonium tertii in medio interuenerit. Bartolus.

Vxor diuortio facto partem dotis receperat, partem apud virum reliquerat. deinde alij nupserat. iterum vidua facta ad priorem virum redierat, cui centum doti dederat. neque eius pecuniæ, quæ reliqua ex priore dote erat, mentionem fecerat. diuortio facto, reliquū ex priore dote iisdem diebus virum redditurum ait Labeo, quibus reddidisset, si superius diuortium inter eos factum non esset: quoniam prioris dotis caussa in sequentem dotis obligationé esset translata. & hoc verum puto.

Dos acceptilata potest repeti sicut dos data. Bartolus.

Si vir

Si vir socero, iniussu vxoris, manente matrimonio, dotem acceptam fecisset: etiam si id propter egestatem soceri factum esset, viri tamen periculum futurum, ait Labeo. & hoc verum est. D

Pro qua parte mulier tenetur soluere, pro ea parte ad virum non spectat periculum. Bartolus.

Si quis pro muliere dotem viro promisit, deinde hærede muliere relicta decessit: qua ex parte, mulier ei hæres esset, pro ea parte dotis periculum, quod viri fuisset, ad mulierem pertinere, ait Labeo: quia nec melius, nec æquius esset (quod exigere vir ab vxore non potuisset) ob id ex detrimento viri mulierem lucupletari. & hoc verũ puto.

Vir tenetur de dolo & culpa in quærendo & conseruando peculium: & fructus peculii spectant ad virum. Bar. E

LXVII. POMPONIVS *lib.* XI. *ad Qu. Mutium.*

IN partem dotis reddendæ erit id, quod mulieri ex peculio serui restitui debebit. & ideo & dolum & culpam in eo peculio, vel adquirendo, vel conseruando maritus præstare debet: & fructus ex eo percepti, quomodo cuiuslibet rei dotalis, ad maritum pertinebunt.

DIGESTORVM SEV PANdectarum liber uicesimus quintus.

F

DE IMPENSIS IN REBVS DOtalibus factis. Tit. I

VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*



IMPENSARVM quędam sunt necessariæ, quædam vtiles, quædã voluptariæ. Necessariæ hæ dicũtur, quæ habent in se necessitatem impendẽdi. cæterùm si nulla sit necessitas: alio iure habentur. In necessariis impensis hoc sciendum est: eas demum impẽsas dotem minuere, quæ in dotem factæ sunt. cæterùm si in dotem factæ non sint: non habent

bent in se reputationem. Inter necessarias impensas esse
A Labeo ait, moles in mare vel flumen proiectas. sed & si pistrinum vel horreum necessariò factum sit, in necessariis impensis habendum ait. proinde Fulcinius inquit. si ædificium ruens, quod habere mulieri vtile erat, refecerit: aut si olivueta defecta restaurauerit: vel si ex stipulatione damni infecti nomine, ne committatur, præstiterit:

II. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

VEl si in valetudinem seruorum impenderit.

Quæ sunt ad perpetuam vtilitatem rei, dicuntur expensæ necessariæ: sed quæ facta sunt ad præsentem tantum vtilitatem, sunt expensæ vtiles.

III. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

B VEl si vites propagauerit, vel arbores curauerit, vel seminaria pro vtilitate agri fecerit: necessarias impensas fecisse videbitur. Nos generaliter definimus. multum interesse, ad perpetuam vtilitatem agri, vel ad eam, quę ad præsentis temporis, an verò quæ non ad præsentis anni fructum pertineat. si in præsens: cum fructibus hoc computandum. si verò non fuit ad præsens tantùm apta erogatio: necessariis impensis computandum, Iulianus putat.

IIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

ET in totum id videtur necessariis impensis contineri, quod si à marito omissum sit, iudex tanti eum damnabit, quanti mulieris interfuerit eas impensas fieri. sed in
C hoc differt: quod factarum ratio habetur, & si res malè gesta est: non factarum, ita si ob id res malè gesta est. Itaque si fulserit insulam ruentem, eaque exusta sit: impensas consequitur. si non fecerit: deusta ea, nihil præstabit.

Expensæ necessariæ in dotem factæ minuunt dotem & quantitatem in dote contentam, non corpora dotalia. secus si extra dotem sint factæ. Item muliere soluente eas dos crescit. Bartolus.

V. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

QVod dicitur, NECESSARIAS IMPENSAS DOTEM MINVERE, sic erit accipiendum (vt & Pomponius ait) non vt ipsæ res corporaliter deminuantur (vtputa fundus, vel quodcunque aliud corpus.) (etenim absurdum est, deminutionem corporis fieri propter pecuniam.) cæterùm hæc res faciat desinere es-

se

se fundum dotalem, vel partem eius. manebit igitur maritus in rerum detentionem, donec ei satisfiat. non enim ipso iure corporum, sed dotis fit deminutio. Vbi ergo admittimus deminutioné dotis ipso iure fieri? vbi non sunt corpora, sed pecunia. Nam in pecunia ratio admittit deminutionem fieri. proinde si æstimata corpora in dotem data sint: ipso iure dos deminuetur per impensas necessarias. hoc de his impensis dictum est, quæ in dotem ipsam factæ sint. cæterùm si extrinsecus: non deminuent dotem. Sed si impésis necessariis mulier satisfecerit: vtrum dos crescit, an verò dicimus ex integro videri dotem? & ego, vbi & pecunia data est, non dubito dotem videri creuisse. D

Tota dos soluta sine deductione impensarum necessariarum: indebiti condictione condicitur. Bartolus. E

Si dos tota soluta sit, non habita ratione impensarum: videndum est, an condici possit id, quod pro impensis necessariis compensari solet. Et Marcellus admittit, condictioni esse locum. sed & si plerique negent, tamen propter æquitatem Marcelli sententia admittenda est. Vtiles autem impensæ sunt, quas maritus vtiliter fecit remque meliorem vxoris fecerit.

VI. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

Veluti si nouelletum in fundo factum sit, aut si domui pistrinum aut tabernam adiecerit. idem erit, si seruos artes docuerit.

VII. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.* F

Voluptariæ autem impensæ sunt, quas maritus ad voluptatem fecit, & quæ species exornant. quarum vti les quidem ipso iure dotem non minuunt, verumtamen habent exactionem.

Mulier tenetur ad impensas vtiles, si eius voluntate factæ sunt, vel aliunde soluere potest: aliàs secus. Bartolus.

VIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

Vtilium nomine ita faciédam deductionem quidam dicunt, si volútate mulieris factæ sint. iniquum enim esse, compelli mulierem rem vendere, vt impensas in eam factas soluat, si aliunde soluere non potest. quod summam habet æquitatis rationem.

Mulier debet pati virum tollere quod voluptarie impendit, si ablatum

latum viri commodo cedat: aliàs secus. & si non patitur, debet soluere. Bartolus.

A IX. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

ET pro voluptariis impensis, nisi parata sit mulier pati maritum tollentem, exactionem patitur. Nam si vult habere rem mulier: reddere ea, quæ impensa sunt, marito debet. aut si non vult: pati debet tollentem: si modò recipiant separationem. cæterùm si non recipiant: reliquendæ sunt. ita enim permittendum est marito auferre ornatum, quem posuit: si futurum est eius, quod abstulit.

X. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

QVod si hæ res, in quibus impésæ factæ sunt, promercales fuerint: tales impensæ non voluptariæ, sed vtiles sunt.

B XI. VLPIANVS. *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

IN voluptariis autem Aristo scribit, nec si voluntate mulieris factæ sunt, exactionem parere. Donationem inter virum & vxorem circa impensas quoque inhibitam, verè Sabinus scribit.

In actione de dote de impensa modica nõ curatur. secus in actione neg. gest. Bar.

XII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

OMnino & in ædificãdis ædib⁹, & in reponẽdis propagãdisq; vineis, & in valetudine mãcipiorũ, modicas impensas nõ debet arbiter curare. alioquin negociorũ gestorum potius, quàm de dote iudicium videbitur.

C *Qui percipit fructus, debet tributa & collectas soluere. Bar.*

XIII. IDEM.

NEque stipendium, neque tributum ob dotalem fundũ præstita, exigere vir à muliere potest. onus enim fructuum hæc impendia sunt.

XIIII. VLPIANVS.

IMpensæ necessariæ sunt, quibus non factis dos imminuitur: veluti aggeres facere, flumina auertere, ædificia vetera fulcire, iter reficere, arbores in locum mortuarum reponere. Vtiles sunt, veluti pecora prædiis imponere, stercorare. Voluptuosæ sunt, balinea exstruere.

Impensæ necessariæ minuunt dotem, si in dotem sunt factæ ad perpetuam vtilitatem. secus si caussa quærendorum fructuum: vel

ad temporalem rei custodiam. Bartolus.

XV. NERATIVS *lib.* IIII. *Membranarum.* D

QVod dicitur, IMPENSAS, QVAE IN RES DOTALES NECESSARIO SVNT FACTAE, DOTEM DEMINVERE, ita interpretandum est: vt si quid extra tutelam necessariam in res dotales impensum sit, id demũ in ea caussa sit. nã tueri res dotales vir suo sumptu debet. alioquin tam cibaria dotalibus mancipiis data, quàm quæuis modica ædificiorũ dotaliũ refectio, & agrorũ quoq; cultura, doté minuent. omnia enim hæc in specie necessariarũ impẽsarũ sunt. sed ipsæ res ita præstare intelliguntur, vt nõ tam impẽdas in eas, quàm deducto eo minus ex his percepisse videaris. quæ autem impẽdia secundũ eã distinctioné ex dote deduci debeant: nõ tam facilè in vniuersũ definiri, quàm per singula ex genere & magnitudine impendiorũ æstimari possunt. E

XVI. IDEM.

ET ante omnia, quæcumque impensæ quærendorũ fructuum caussa factæ erunt (quanquã eædem etiã colendi caussa fiant, ideoque non solùm ad percipiẽdos fructus, sed etiam ad conseruãdam ipsam rem speciemque eius necessariæ sunt) eas vir ex suo facit, nec vllam habet eo nomine ex dote deductionem.

RERVM AMOTARVM. Tit. II.

PAVLVS. F



Erum amotarum iudicium singulare introductum est aduersus eam, quæ vxor fuit: quia nõ placuit cum ea furti agi posse. quibusdam existimãtibus, nec quidem furtum eam facere (vt Nerua & Cassio) quia societas vitæ quodammodo dominam eam faceret: aliis (vt Sabino & Proculo) furtum quidem eam facere, sicut filia patri faciat, sed furti non esse actionem constituto iure. in qua sententia & Iulianus rectissimè est.

II. CAIVS *lib.* XII. *ad edictum prouinciale.*

NAm in honorem matrimonij turpis actio aduersus vxorem negatur.†

† Vnde & veteribus

III. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

Et ideo

A ET ideo si post diuortium easdem res contrectet, etiam furti tenebitur. Item si seruus eius furtum fecerit: furti cum ea agere possumus. Sed & cum vxore furti agi possibile est: si ei, cui hæredes sumus, furtum fecit, vel nobis, antequàm nuberet. tamen propter reuerentiam personarum in vtroque casu furtiuam tantùm condictioné competere, non etiam furti actioné dicimus. Item verum est, quod Ofilius ait: etiam eas res, quas diuortij tempore mulier comederit, vendiderit, donauerit, qualibet ratione cõsumpserit: rerum amotarum iudicio contineri.

placuit, vt si quid iurgii inter virũ & vxoré intercessisset, id nõ apud iudices, sed priuatim inter se ipsimet inuicẽ locuti dirimerent. Vale Maxi. lib. 2. cap. 1.

Filia amouens tenetur in solidum, & pater de peculio: & pater adiuncta filia dotem repetens ipsam tenetur defendere in solidum ea viua: sed ea mortua, tenetur ad id quod ad eum peruenit.

B Si filiafamiliâs res amouerit: Mela & Fulcinius aiunt, & de peculio in patrem, quia displicuerit eam furti obligari: & in ipsam, ob res amotas, dari actionem. sed si pater adiuncta filia de dote agat: non aliter ei dandam actionem, quàm si filiam rerum amotarum iudicio in solidum, & cũ satisdatione defendat. sed mortua filia, in patrem rerum amotarum actionem dari non oportere, Proculus ait: nisi quatenus ex ea re pater locupletior sit.

IIII. POMPONIVS.

DOlóve malo fecerit, quò minus ad eũ perueneri̇t.

V. PAPINIANVS.

C VIua quoque filia, quod ad patrem ex rebus amotis peruenit, vtili iudicio petendum est.

VI. PAVLVS.

COntra nurum quoque socero hoc iudicium dandũ, Atilicin⁹ & Fulcinius aiũt. Quoties filiofamiliâs dos data est: socerum ob res diuortij caussa amotas, furti agere non posse. Item cùm rerũ amotarum etiam in virum datur iudicium, si filiusfamiliâs maritus sit: vtrum de peculio, an in ipsum actio dari debeat: eadem repetemus, quæ de filiafamiliâs diximus. Si post diuortium maritus decesserit: hæres eius rerum amotarum iudicio vti potest. Item hæres mulieris ex hac caussa tenebitur, sicut cõdictionis nomine ex caussa furtiua. Sed si morte mariti solutum sit matrimonium: hæres mariti hæreditatis petitione, vel ad exhibendum actione, eas consequi poterit.

Aristo & cōdictione posse, rectè putat: quia ex iniusta caussa apud eam essent. Quod si mortuo viro amouerit, non facit furtum: quia rei hæreditariæ nondum possessæ furtum non fit. ideoq́ue aut vindicari poterunt, aut in hæreditatis petitionem venient. D

Si maritus & vxor inuicem agunt rerum amotarum actione, poterunt compensare. Bar.

VII. VLPIANVS.

CVm mulier habebit rerum amotarum actionem aduersus virum: & compensare potest cum actione, qua maritus agere vult, ob res amotas.

Qui soluit quod debet, nō phibetur petere quod sibi debetur. B.

VIII. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

SI cùm dos solueretur mulieri, aut satis doti fieret, dictum non esset, actum iri rerum amotarum: nihilominus agi potest. nam & cùm dos nulla est, eadem actio datur. Sabinus ait. si mulier res, quas amouit, non reddat: æstimari debere, quanti in litem vir iurasset. E

IX. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

NOn enim æquum est, inuitum suo precio res suas vendere.

X. POMPONIVS *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

IDeoq́ue nec debere eū pro euictione promittere: quod ex contumacia mulieris id ita acciderit.

XI. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

MArcellus libro septimo Digestorū scribit. siue vir vxorem, siue vxor virū domo expulit, & res amouit: rerum amotarum teneri. F

Conuento hac actione potest deferri iusiurandum, nisi alieno nomine conueniatur: & is cui defertur, non potest referre. Bartolus.

Qui rerum amotarum instituit actionem, si velit magis iusiurandū deferre: cogitur aduersarius iurare, nihil diuortij caussa amotum esse: dum prius de calūnia iuret, qui iusiurandum defert. Iurare autem tam vir, quàm vxor cogetur. pater autem amouentis iurare non cogitur: cùm iniquum sit, de alieno facto alium iurare. Is ergo cogitur iurare, qui amouisse dicitur. & idcirco nec hæres eius, qui quæve amouisse dicetur, iurare cogetur. Si quis delatū sibi iusiurandū referre velit: nō videt̄ prętor id permisisse.

XII.

XII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

A Non magis, quàm si quis ei, qui furti agat, iusiurandum referat, an ipse fur sit.

XIII. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

IDem Labeo scribit, mulieri nõ esse permittendũ, referre iusiurandum. & ita edicto ordinatum videtur.

XIIII. PAVLVS *lib.* II. *Sententiarum.*

DE rebus amotis permittendum est marito, vel vxori de quibusdam rebus iusiurandum deferre, de quibusdam probare.

XV. VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

NIhil interest, vtrum simul, an separatim habitauerũt: cùm actio rerum amotarum competat etiam aduersus
B eam, quæ ex ea domo subtraxit, in qua non simul cum viro habitabat.

Contra coniugem eius, quam quis habet in potestate, non datur actio furti: secus si emancipata fuerit. Bartolus.

Vxor, & nurus, & pronurus, viro, & socero, & prosocero furtum facere possunt, furti autem non tenẽtur: nisi fortè emancipatus sit filius. tunc enim nurus patri eius & furtum facit, & furti tenetur.

XVI. HERMOGENIANVS *lib.* III. *iuris* ἐπιτομῶν.

AD fiscum mariti bonis deuolutis, vxor rerum amotarum nomine in simplum conuenitur: quamuis alij in quadruplum condemnentur.

C *Inter eos, inter quos non fuit matrimonium vere, non habet locum hac actio.* Bartolus.

XVII. VLPIANVS.

SI cõcubina res amouerit, hoc iure vtimur, vt furti teneatur cõsequenter dicem⁹, vbicunq; cesset matrimoniũ: vtputa in ea, quæ tutori suo nupsit, vel contra mandata conuenit, vel sicubi alibi cessat matrimonium: cessare rerum amotarum actionem, quia competit diuortij caussa.

Res amotas dicimus non solùm eas, quas mulier amouit, cùm diuortij consilium inisset: sed etiam eas, quas mulier nupta amouit, si cùm discederet, eas cælauerit. Non solùm eas res, quæ exstant, in rerum amotarum iudicium venire, Iulianus ait: verùm etiam eas, quæ in rerum natura esse desierunt. simili modo & certi cõdici eas posse ait.

Quæ viro suo res pignori datas amouerit, hoc iudicio tenebitur. D

XVIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

SEd & domino condictio competet, sed alterutri agere permittendum est.

Amouere dicitur, qui dolo caussam dat vt alius amoueat. Bar.

XIX. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

SEd & si diuortij tempore fures in domum mariti induxerit, & per eos res amouerit, ita vt ipsa non cõtrectauerit: rerum amotarum iudicio tenebitur. verum est itaq;, quod Labeo scripsit i vxorem rerum amotarũ teneri, etiã si ad eam res non peruenerint.

Hæc actio competit coniugi pro re à se bona fide possessa. Bar.

XX. MARCELLVS *lib.* VII. *Digestorum.* E

SI rem, quam maritus bona fide emerat, vxor amouerit, vel opem furi tulerit, idque fecerit diuortij caussa: rerum amotarum iudicio damnabitur.

In eam quæ caussa mortis sperata amouet, vtilis hæc actio datur. vel sic: Qui amouit caussa mortis speratæ, tenetur hac actione, si postea diuortium est secutum. Bar.

XXI. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

SI mulier, cùm de viri vita desperasset, subreptis quibusdam rebus, diuertisset: si conualuerit vir, vtilis rerum amotarum actio ei danda est.

Etiam si in amouendo furtum non fiat: mulier cuius dolo fit amotio, tenetur rerum amotarum actione. Bar. F

Si seruus mulieris iussu dominæ diuortij caussa res amouerit: Pedius putat, nec furtum eum facere (quoniam nihil lucri sui caussa contrectet) nec videri furtum facienti opem ferre, cum mulier furtum non faciat: quamuis seruus in facinoribus domino dicto audiens esse nõ debeat.† sed rerum amotarũ actio erit. At si in dotem seruus datus furtũ viro fecerit: siquidem mulier talem esse eũ scierit: tòtum damnum viro sarcietur. quod si ignorauerit: tũc non vltra condemnationem noxæ multanda erit. Rerum amotarum actio damnum repræsentat, etiamsi postea dotis exactio competat. commodi quoque, si quidem amotis rebus vir amiserit, ratio habenda est. Hæc actio, licet ex delicto nascatur, tamen rei persecutionẽ cõtinet.

†*In hanc sententiam Gel. lib. 2. noct. Att. cap. 7.*

& ideo

& ideo non anno finitur, ficuti nec condictio furtiua. præterea & hæredibus cōpetit. Nec viro, nec mulieri prodeſt in hoc iudicio, ſi facere non poſſint. pendet enim id ex furto.

Litis æſtimatio facit emptionem: ideo ſoluens habet exceptionem & retentionem. Bartolus.

XXII. IVLIANVS *lib.* XVII. *Digeſtorum.*

SI propter res amotas egero cum muliere, & lis æſtimata ſit: an actio ei danda ſit, ſi amiſerit poſſeſſionem? mouet me, quia dolo adquiſiuit poſſeſſionem. reſpondi. qui litis æſtimationem ſuffert, emptoris loco habēdus eſt. ideóque ſi mulier, cum qua rerum amotarum actum eſt, æſtimationem litis præſtiterit: aduerſus vindicātem maritum vel hæredem mariti exceptionem habet: & ſi amiſerit poſſeſſionem, in rem actio ei danda eſt. Si mulier mortis cauſſa res amouerit, deinde mortuus ei ſit maritus: hæreditatis petitione, vel actione ad exhibēdum conſequi poterit hæres id, quod amotum eſt.

XXIII. AFRICANVS *lib.* VII. *Quæſtionum.*

REdintegrato matrimonio, ſi iterum diuortiū factum erit: ob res amotas prioris diuortij cauſſa, item ob impenſas, donationéſque priore matrimonio factas, manere actionem exiſtimauit.

Ob res amotas mulier tenetur pluribus actionibus: licet altera debet eligi. Bartolus.

XXIIII. VLPIANVS.

OB res amotas, vel proprias viri, vel etiam dotales, tam vindicatio, quàm condictio, viro aduerſus mulierem competit: & in poteſtate eſt, qua velit actione vti.

Pro rebus amotis ſecuto diuortio competit hæc actio: ſi diuortium non eſt ſecutum, competit condictio. Bartolus.

XXV. MARCIANVS *lib.* XI. *Inſtitutionum.*

REram quidem amotarum iudicium ſic habet locum, ſi diuortij conſilio res amotæ fuerint, & ſecutum diuortiū fuerit. ſed ſi in matrimonio vxor marito res ſubtraxerit: licet ceſſet rerum amotarum actio, tamē ipſas res maritus condicere poteſt. nam iuregentium puto res condici poſſe ab his, qui non ex iuſta cauſſa poſſident.

Iſta actio eſt in perſonam. Bartolus.

XXVI. CAIVS *lib.* XII. *ad edictum prouinciale.*

REum amotarum actio condictio est.

Actio ciuilis proposita ab vno, non differtur propter accusationem criminalem propositam ab alio. Bartolus. D

XXVII. PAPINIANVS *lib.* I. *de adulteriis.*

REum amotarum actio ob adulterij crimen, quo mulier postulata est, non differtur.

Pro re viri subtracta competit actio furti extraneo, cuius interest, licet non viro. Bartolus.

XXVIII. PAVLVS *lib.* XXXIX. *ad edictum.*

SI vxor rem viri ei, cui eam vir commodauerat, subripuerit, isque conuentus sit: habebit furti actionem, quamuis vir habere non possit.

Inspicitur quantum res valuit tempore amotionis, & postea quanti plurimi fuerit. Bartolus. E

XXIX. TRIPHONINVS *lib.* VIII. *Disputationum.*

REum amotarũ æstimatio ad tempus, quo amotę sunt res, referri debet. nam veritate furtum fit, & si leuius coërcetur mulier. quare nec à bonæ fidei possessore ita res amotæ vsucapiũtur. sed si pluris factę nõ restituũtur, quæ amotæ sunt: crescit æstimatio, vt in cõdictione rei furtiuę.

Per matrimoniũ redintegratum soluitur hoc iudicium. Bartolus.

XXX. PAPINIANVS.

CVm soluto matrimonio rerum amotarum iudicium contra mulierem restituitur, redintegrato rursus matrimonio, soluitur iudicium. F

DE AGNOSCENDIS, VEL ALENdis liberis, uel parentibus, uel patronis, uel libertis. Tit. III.

VLPIANVS.



Enatuscõsultũ, quod factũ est de liberis agnoscẽdis, duas species cõplectitur: vnã eorũ, qui agnoseũt: aliã earum, quæ falsum partũ subiiciunt. Permittitur igitur mulieri parentíve eius, in cuius potestate est, vel ei, cui mandatum ab eis est: si putet prægnantem, denũciare intra dies triginta post diuortium connumerandos, ipsi marito, vel parenti, in cuius po-

ius poteſtate eſt:aut ad domũ denunciare,ſi nullius eorum
A copiam habeat. Domum accipere debemus, hoſpitium, ſi in ciuitate maneat.quod ſi non ſit in ciuitate, ſed in villa vel in municipio:illic, vbi larem matrimonio collocauerunt. Denunciare autem hoc tantum, eſſe mulierem ex eo prægnantem.non ergo hoc denũciat,vt mittat cuſtodes maritus.ſufficit enim mulieri notum facere, quod ſit prægnans.Mariti eſt iam aut mittere cuſtodes,aut eidem renunciare,quod non ſit ex eo prægnans.hoc autem vel ipſi marito, vel alij nomine eius facere permittitur. Pœna autem mariti ea eſt: vt niſi aut cuſtodes præmiſerit,aut cõtrà denunciauerit, non eſſe ex ſe prægnantem: cogatur maritus partum agnoſcere.& ſi nõ agnouerit:extra ordinem coërcetur.debebit igitur reſpondere,non eſſe ex ſe prægnantẽ,
B aut nomine eius reſpõderi.quod ſi factum fuerit:non aliâs neceſſe habebit agnoſcere, niſi verè filius fuerit. Illud notandum eſt, quôd denunciatio à marito non incipit, ſed à muliere.

Si mulier contemnat ſenatuſconſultum Plautianum, præiudicat filio,niſi verè probet ſe filium. fallit ſi erraret:vel ex neceſſitate mulier denunciationem omiſiſſet.Bartolus.

Sed ſi maritus vltrò cuſtodes offerat, & ea non admittat: vel ſi non denunciauerit mulier, aut ſi denunciauerit quidem, cuſtodes autem arbitratu iudicis non admiſerit: liberum eſt marito parentíve eius, partum iam non agno-
C ſcere. Si mulier ſe prægnantẽ intra triginta dies non denunciauerit: & poſtea denuncians, cauſſa cognita, audiri debebit.quinimò & ſi in totum omiſerit denunciationẽ: Iulianus ait, nihil hoc nocere ei, quod editur. Dies autem triginta continuos accipere debemus ex die diuortij, non vtiles. Eleganter autem apud Iulianum libro decimonono Digeſtorum quæritur. ſi intra triginta dies marito mulier non denunciauerit, & intra triginta partum ediderit:an ſenatuſconſulto locus ſit?& ait Plautianum ſenatuſconſultum ceſſare:quia de eo partu non videatur ſentire,qui intra dies triginta naſcatur: quippe dies triginta ad denunciandum præſtat ſenatus. ſed hanc rem non facere præiudicium partui arbitror.

Vxor & maritus obſeruant ſenatuſconſultum:licet maritus partum non

tum non agnosceret. Bartolus.

Quemadmodum & per cōtrarium, si maritus vxore denunciāte custodes miserit, nullum præiudicium sibi facit. licebit igitur ei partum editum ex se negare: nec ei nocebit, quod vētrem custodierit. & ita Marcellus libro septimo Digestorū scripsit. ait enim. siue quis neget suam vxorem, siue ex se prægnantem sine præiudicio rectè mittit custodes: maximè, si missurus id ipsum protestetur. D

Si maritus contemnat senatusconsultum Plautianū, cogitur partum agnoscere: nisi verè probet non filium. sed si mulier contemnit, maritus non cogitur, nisi ille probetur filius. Bartolus.

Iulianus libro decimonono Digestorum scripsit. quod senatusconsulto comprehensum est, Si mulier viro denunciauerit se ex eo concepisse, & is, cui denunciatum erit, custodes ad ventrem custodiendum inspiciendúmve nonmiserit, neque contestato dixerit, eam ex se prægnantem non esse: vt ei id, quod editum sit, agnoscere sit necesse: non eò pertinere, vt quasi iudicio agnoscere se filiū diceret, suum hæredem habeat, quãuis ex alio conceptus sit. quandocūque enim (inquit) cœperit caussa agi, grande præiudicium adfert pro filio confessio patris. E

Si maritus cōtemnit senatusconsultum Plautianum, *cogitur partum agnoscere, nisi probet illum non filium.* Bartolus.

Idem per contrarium quoque ait. si mulier diuortio facto non fecerit ea, quæ senatusconsulto pręcipiuntur, vt liceat patri non agnoscere: non eò pertinere, vt filius natus suum se dicere non possit: sed ad id tantum, vt ita pater alere eum cogatur, si constiterit eum filium esse. Idem Iulianus scribit. si vxore denunciante se prægnantem, maritus non negauerit: non vtique suum illico partū effici, cogendum tamen alere. Cæterùm si cesset, satis iniuriosum esse ait, si quis longo tempore abfuerit, & reuersus vxorem prægnantem inuenerit, & idcirco reiecerit: si quid ex his, quæ senatuscōsulto cōtinentur, omiserit, suum hæredem ei nasci. Ex his apparet: siue vxor omiserit, quæ eam ex senatuscōsulto obseruare oportuit: nihil præiudicabit filio (si filius est) non tantùm in iure sui, verùm ne in alimentis quidem, secundum diui Pij rescriptum. siue maritus neglexerit facere, quæ ex senatusconsulto deberet: natū cogetur F

omnimodo

omnimodo alere. cæterùm recuſare poterit filium.

A *Sententia lata in cauſſa filiationis inter patrem & filium, facit fidem quo ad omnes. Bartolus.*

Planè ſi denunciante muliere, negauerit ex ſe eſſe prægnantē: tametſi cuſtodes non miſerit, non euitabit, quò minus quæratur, an ex eo mulier prægnans ſit, nec ne? quæ cauſſa ſi fuerit acta apud iudicem, & pronunciauerit (cùm de hoc agetur) quod ex eo prægnans fuerit: in ea cauſſa eſt, vt agnoſci debeat (ſiue filius non fuerit, ſiue fuerit) quaſi ſuus.

II. IVLIANVS *lib.* XIX. *Digeſtorum.*

IN omnibus cauſſis. quare & fratribus ſuis conſanguineus erit.

B III. VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

SI verò contrà pronunciauerit. non fore ſuum, quamuis ſuus fuerit. placet enim eius rei iudicē ius facere. & ita Marcell⁹ lib. ſeptimo Digeſtorū probat, eoq; iure vtimur.

Si partus naſcitur conſtante matrimonio, & eo ſoluto morte viri auo ſuperſtite, vel ſi de hoc dubitetur an ſit vxor, præiudicialis in rem redditur: & non habet locum cùm extraneus in petitione hæreditatis incidenter examinabitur de filiatione: quia ad Carbonianū deuenitur: & hæc inſtantia incepta cum patre, ad hæredem non tranſit. Bartolus.

Quia Plautianum ſenatuſconſultum ad eos partus pertinet, qui poſt diuortium eduntur: aliud ſenatuſconſultum C temporibus diui Hadriani factum eſt, vt etiam ſi conſtante matrimonio partus ſit editus, de agnoſcendo eo agatur. quid ergo, ſi quis poſt mortem patris naſcatur, auo ſuperſtite, in cuius poteſtate recaſurus eſt? & ſi ex filio eius ſuſceptus probetur: videndum, quid dici debeat. & certè probandum eſt, cum auo præiudicio de partu agnoſcendo ſimiliter agendum. quid ſi hoc ipſum in quæſtionem veniat, vtrum in matrimonio, an poſtea editus ſit? dicendum eſt, & ſuper hoc ex ſenatuſconſulto agendum, & quid ſi, an vxor fuerit, diſceptetur? & Iulianus Sexto Cæcilio Africano reſpondit, locum eſſe præiudicio. Illud tenendum, hæc ſenatuſconſulta poſt mortem parentis ceſſare: ſi is ſuperſit, in cuius poteſtate recaſuri non ſunt. quid ergo eſt in petitione hæreditatis, quam filius intēdit? quæritur, vtrū

tur, vtrum ex eo natus sit, cuius hæreditatem petit, an non. & adeo hoc verum est, vt Iulianus libro decimonono Digestorum scribat: si viuo patre redditum sit præiudicium, & antè quàm sententia feratur, pater decesserit: transeundum esse ad Carbonianum edictum. Item hæc senatusconsulta pertinent & ad eos, qui sui hæredes adnascũtur. Cæterũ si fortè non sint in potestate recasuri: verius est, senatusconsulta cessare. D

IIII PAVLVS.

NEcare videtur non tantũ is, qui partum præfocat: sed & is, qui abiicit, & alimoniã denegat, & qui publicis locis misericordiæ caussa exponit, quam ipse non habet.

Alimenta liberis à parentibus, vel à liberis parentibus decernũtur officio iudicis cognoscentis, an sit filius vel pater, & an de facultatibus conuenti possit ali, & an sibi petens sufficiat propter res & operas suas, vel an subsit caussa propter quam possint legitime denegari. Bartolus. E

V. VLPIANVS.

SI quis à liberis ali desideret, vel liberi, vt à paréte exhibeantur: iudex de ea re cognoscet. sed vtrum eos tãtùm liberos, qui sunt in potestate, cogatur quis exhibere: an verò etiam emancipatos, vel ex alia caussa sui iuris cõstitutos, videndum est. & magis puto, etiam si non sunt liberi in potestate, alendos à parentibus: & vice mutua alere parétes debere. Vtrum autem tantùm patrem, auúmue paternum, proauúmue paterni aui patrem, cæterosque virilis sexus parentes: an verò etiam matrem, cæterosque parentes, per illum sexum cõtingentes cogamur alere, videndum. & magis est, vt vtrubique se iudex interponat: quorumdam necessitatibus facilius succursurus, quorumdam ægritudini. & cũ ex æquitate hæc res descendat, charitateque sanguinis: singulorum desideria perpendere iudicem oportet. Idem in liberis quoque exhibendis à parentibus dicendum est. ergo & matrem cogemus, præsertim vulgo quæsitos liberos alere, necnon ipsos eam. F

Item diuus Pius significat, quasi auus quoque maternus alere compellatur. Idem rescripsit, vt filiam suam pater exhibeat, si constiterit apud iudicem iustè eam procreatã. Sed & si filius possit se exhibere: æstimare iudices debét, ne non

ne nō debeant ei alimenta decernere. Deinde idem ita reſcripſit ad Titianum. competentes iudices ali te à patre tuo iubebunt pro modo facultatum eius: ſi modò (cū opificem te eſſe dicas) in ea valetudine es, vt operis ſufficere non poſſis.

A

In cauſſa alimentorum proceditur ſummariè: & ſententia lata non facit præiudicium in cauſſa filiationis ordinariè exercenda. Bartolus.

Si vel parens neget filium, idcircoque alere ſe non debere contendat: vel filius neget parentem: ſummatim iudices oportet ſuper ea re cognoſcere. & ſi conſtiterit filium vel parentem eſſe: tunc ali iubebunt. cæterùm ſi non conſtiterit: nec decernēt alimenta. Meminiſſe autem oportet, & ſi pronunciauerint ali oportere: attamen eam rē præiudicium non facere veritati. nec enim hoc pronunciatur, filium eſſe, ſed ali debere. & ita diuus Marcus reſcripſit. Si quis ex his alere detrectet: pro modo facultatum alimenta conſtituentur. quòd ſi non præſtentur: pignoribus captis & diſtractis, cogetur ſententiæ ſatisfacere. Idem iudex æſtimare debet, num habeat aliquid parens: vel an pater meritò filios ſuos nolit alere. Trebatio denique Marino reſcriptum eſt: meritò patrem eum nolle alere, qui eum detulerat. Non tantum alimenta, verum etiam cætera quoque onera liberorum patrem à iudice cogi præbere, reſcriptis continetur. Et ſi impubes filius emancipatus ſit: patrem inopem alere cogetur. iniquiſſimū enim quis meritò dixerit, patrem egere, cū filius ſit in facultatibus.

B

C

Mater alimenta quæ fecit in filiū qui à patre ali debebat, à patre repetit. Bart.

Si mater alimenta, quæ fecit in filium, à patre repetat: cū modo eam audiendam, diuus Marcus reſcripſit Antoniæ Montanæ in hæc verba. Sed & quantum tibi alimentorum nomine, quibus neceſſariò filiam tuam exhibuiſti, à patre eius præſtari oporteat: iudices æſtimabunt. nec impetrare debes ea, quæ exigente materno affectu, in filiam tuam erogatura eſſes, etiā ſi à patre ſuo educeretur. A milite quoque filio, qui in facultatibus eſt, exhibendos parentes eſſe, pietatis ratio exigit. Parens, quamuis ali à filio ra-

lio ratione naturali debeat: tamen æs alienum eius non eſſe cogendum filium exſoluere reſcriptum eſt. D

Onus alimentandi in ſubſidium tranſit contra hæredes. Bar.

Item reſcriptum eſt, hæredes filij ad ea præſtanda, quæ viuus filius ex officio pietatis ſuæ dabat, inuitos cogi non oportere: niſi in ſummam egeſtatem pater deductus ſit.

Liberti coguntur alere patronos & eorum filios & parentes: & officio iudicis cognoſcetur an ſit libertus: & de facultatibus liberti & patroni, & an cauſſam habeant recuſandi. Bar.

Solent iudices cognoſcere & inter patronos & libertos, ſi de alendis his agatur. itaque ſi negent ſe eſſe libertos: cognoſcere eos oportebit. quod ſi libertos eſſe conſtiterit: tunc demum decernere, vt alant. nec tamen alimentorum decretum tollet liberto facultatem, quò minus præiudicio certare poſſit, ſi libertum ſe neget. E Alimenta autem pro modo facultatum erunt præbenda, egentibus ſcilicet patronis. Cæterū ſi ſit, vnde ſe exhibeant, ceſſabunt partes iudicis. Vtrum autem tantùm patroni alendi ſint, an etiam patronorum liberi, tractari poteſt. & puto, cauſſa cognita iudices & liberos quoque patronorum alendos decernere: non quidem tam facilè, vt patronos: ſed nonnunquam & ipſos. nam & obſequium non ſolùm patronis, verumetiam liberis eorum debet præſtari. ſed & libertus maternus alere cogitur. Si quis à liberti liberto ali ſe deſideret, vel ab eo, quem ex cauſſa fideicommiſſi manumiſit, quemq́ue ſuis numis redemit: nō debet audiri, vt & Marcellus ſcribit: qui exæquat eum ei, F qui mercedes exigendo, ius libertorum amiſit. ſed & patroni filium, qui capitis accuſauit libertum paternum, negat exhibendum. Sed & liberta cogitur patronum alere.

De alimentis patroni arbiter ſolet dari: arbitraturus, quantum ſit in facultatibus, vt proinde poſſit alimenta moderari: quæ tandiu præſtabuntur, quandiu liberto ſuperſit, patrono deſit. Patrem quoque & matrem patroni, cū patronus & filij eius minimè ſuperſint, alere liberti ipſi (ſi idonei facultatibus ſint) coguntur.

Si patronus liberto denegat alimenta, perdit ius patronatus. ſi libertus patrono, redigitur in ſeruitutem. Bar.

VI. MODESTINVS.

Alimen-

A Limenta liberto petente, non præſtando patronus amiſſione libertatis cauſſa impoſitorum, & hæreditatis liberti punietur: non autem neceſſe habebit præſtare, etiam ſi poteſt. Imperatoris Commodi conſtitutio talis profertur. cũ probatum ſit, contumeliis patronos à libertis eſſe violatos, vel illata manu atrocius eſſe pulſatos, aut etiam paupertate, vel corporis valetudine laborantes relictos: primùm eos in poteſtate patronorum redigi, & miniſterium præbere dominis iubemus cogi. ſin autem nec hoc modo admoneantur: vel à præſide emptori addicentur, & precium patronis tribuetur.

Cũ de ſtatu inter virum & uxorem diſceptatur, liberi communes ſunt interim à patre alendi: nec alimenta præſtita à patre filiis liti præiudicium faciunt. Bar.

B VII. IDEM.

SI neget, qui maritus fuiſſe dicitur, matrimonium eſſe contractum, eo quod eam, quæ ſe vxorem fuiſſe dicit, ancillam eſſe probare paratus ſit: alimenta quidem liberis præſtare interim compellendum. ſin autem conſtiterit, eã ſeruam fuiſſe: nihil ei, qui paſcendos curauit, ex hoc præiudicij generari reſpondi.

Deſcendentes per lineam maſculinam coguntur alere aſcendentes: ſecus ſi per fœmininam: niſi in ſubſidium. Bar.

VIII. MARCELLVS.

C NOn quemadmodum maſculorum liberorum noſtrorum liberi ad onus noſtrum pertinent, ita & in fœminis eſt. nam manifeſtum eſt, id quod filia parit, non auo, ſed patri ſuo eſſe oneri: niſi pater aui non ſit ſuperſtes, aut egens ſit.

Patronus non habet ius in bonis liberti: niſi pro alimentis in caſu neceſſitatis. Bar.

IX. PAVLVS.

IN bonis ſuperſtitum libertorum, nullum omnino ius patroni liberiue patronorum habent: niſi ſi tam infirmos ſe eſſe, tamque pauperes præſidibus probauerint, vt meritò menſtruis alimẽtis à libertis ſuis adiuuari debeãt: idque ius ita plurimis principum conſtitutionibus manifeſtatur.

De inſpi-

DE INSPICIENDO VENTRE, *cuſtodiendóque partu.* Tit. IIII. D

VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*



Emporibus diuorũ fratrũ cũ hoc incidiſſet, vt maritus quidam prægnantem mulierem diceret, vxor negaret: conſulti, Valerio Priſciano prætori vrbano reſcripſerunt in hæc verba. Nouam rem deſiderare Rutilius Seuerus videtur: vt vxori, quæ ab eo diuertit, & ſe non eſſe prægnantem profitetur, cuſtodes adponat. & ideo nemo mirabitur, ſi nos quoque nouum conſilium & remedium ſuggeramus. Igitur ſi perſtat in eadem poſtulatione: commodiſſimum eſt, eligi honeſtiſſimæ fœminæ domum, in quã Domicia veniat: & ibi tres obſtetrices probatæ & artis & fidei, quæ à te adſumptæ fuerint, eam inſpiciant. & ſiquidem vel omnes, vel duæ renunciauerint prægnantem videri: tunc perſuadendum mulieri erit, vt perinde cuſtodẽ admittat, atque ſi ipſa hoc deſideraſſet. quod ſi enixa non fuerit: ſciat maritus ad inuidiam exiſtimationemq́ue ſuam pertinere: vt non immeritò poſſit videri, captaſſe hoc ad mulieris iniuriam. ſi autem vel omnes vel plures non eſſe grauidam renunciauerint: nulla cauſſa cuſtodiendi erit. E

Hoc reſcriptum locum habet ante partum editum, non poſt. Nam poſt partum locum ſibi vindicat edictum de liberis exhibendis. Bartolus. F

Ex hoc reſcripto euidentiſſimè apparet, ſenatuſconſulta de liberis agnoſcendis locum nõ habuiſſe, ſi mulier diſſimularet ſe prægnantem, vel etiam negaret. nec immeritò. partus enim, antè quàm edatur, mulieris portio eſt, vel viſcerum. poſt editum planè partum à muliere, iam poteſt maritus iure ſuo filium per interdictũ deſiderare, aut exhiberi ſibi, aut ducere permitti extra ordinem. Igitur princeps in cauſſa neceſſaria ſubuenit. ſecundum quod reſcriptum euocari mulier ad prætorem poterit, & apud eũ interrogari, an ſe putet prægnantem, cogendaq́ue erit reſpondere. quid ergo, ſi non reſponderit, aut non veniat ad prætorem? nunquid ſenatuſconſulti pœnam adhibemus,

ſcilicet

ſcilicet vt liceat marito non agnoſcere? ſed finge non eſſe
A eo contentum maritum, qui ſe patrem potius optet, quàm
carere filio velit. cogenda igitur erit remediis prætoris,
& in ius venire (& ſi venit) reſpondere: pignoraque eius
capienda & diſtrahenda, ſi contemnet, vel multis coërcẽda. quid ergo, ſi interrogata dixerit ſe prægnantem? ordo
ſenatuſconſulti expoſitus ſequetur. quod ſi negauerit: tũc
ſecũdum hoc reſcriptum prætor debebit obſtetrices adhibere. Et notandum, quod nõ permittitur marito, vel
mulieri obſtetricem adhibere: ſed omnes à prætore adhibendæ ſunt. item prætor domum honeſtæ matronæ eligere debet, in quam mulier veniat, vt poſſit inſpici. quid ergo, ſi inſpici ſe non patiatur, vel ad domum non veniat? æ-
B què prætoris authoritas interueniet. Si omnes, vel plures
renunciauerint, prægnantem non eſſe: an mulier poſſit iniuriarum experiri ex hac cauſſa? & magis puto, agere eam
iniuriarum poſſe. ſic tamen, ſi iniuriæ faciẽdæ cauſſa id maritus deſiderauit. cæterũ ſi nõ iniuriæ faciendæ animo, ſed
quia iuſtè credidit, vel nimio voto liberorum ſuſcipiendorum ductus eſt, vel ipſa eum illexerat, vt crederet,
quod conſtante matrimonio hoc omnino fingebat: æquiſſimum erit, ignoſci marito. Meminiſſe autem oportet, tempus non eſſe præſtitutum reſcripto: quamuis
in ſenatuſconſultis de liberis agnoſcendis triginta dies
præſtituantur mulieri. quid igitur eſt? ſempérne dice-
C mus marito licere vxorem ad prætorem euocare: an verò & ipſi triginta dies præſtituimus? & putem, prætorem
cauſſa cognita debere maritum etiam poſt triginta dies
audire. De inſpiciendo ventre, cuſtodiendoque partu
ſic prætor ait. SI MVLIER MORTVO MARITO PRAEGNANTEM SE ESSE DICET: HIS, AD QVOS EA RES PERTINEBIT, PROCVRATORIBVSVE EORVM, BIS IN MENSE DENVNCIANDVM CVRET, VT MITTANT (SI VELINT) QVAE VENTREM INSPICIANT. MITTANTVR MVLIERES LIBERAE DVMTAXAT QVINQVE, HAEQVE SIMVL OMNES INSPICIANT: ET NE QVA EARVM, DVM INSPICIT,

CIT, INVITA MVLIERE VENTREM TANGAT. MVLIER IN DOMO HONESTISSIMAE FOEMINAE PARIAT, QVAM EGO CONSTITVAM. MVLIER ANTE DIES TRIGINTA, QVÀM PARITVRAM SE PVTAT, DENVNCIET HIS, AD QVOS EA RES PERTINET, PROCVRATORIBVSVE EORVM, VT MITTANT (SI VELINT) QVI VENTREM CVSTODIANT. IN QVO CONCLAVI MVLIER PARITVRA ERIT, IBI NE PLVRES ADITVS SINT, QVÀM VNVS: SI ERVNT: EX VTRAQVE PARTE TABVLIS PRAEFIGANTVR. ANTE HOSTIVM EIVS CONCLAVIS LIBERI TRES, ET TRES LIBERAE CVM BINIS COMITIBVS CVSTODIANT. QVOTIESCVMQVE EA MVLIER IN ID CONCLAVE, ALIVDVE QVOD, SIVE IN BALINEVM IBIT: CVSTODES (SI VOLENT) ID ANTE PROSPICIANT, ET EOS, QVI INTROIERINT, EXCVTIANT. CVSTODES, QVI ANTE CONCLAVE POSITI ERVNT (SI VOLVERINT) OMNES, QVI CONCLAVE, AVT IN DOMVM INTROIERINT, EXCVTIANT. MVLIER CVM PARTVRIRE INCIPIET, HIS, AD QVOS EA RES PERTINET, PROCVRATORIBVSVE EORVM DENVNCIET, VT MITTANT, QVIBVS PRAESENTIBVS PARIAT. MITTANTVR MVLIERES LIBERAE DVMTAXAT QVINQVE: ITA VT PRAETER OBSTETRICES DVAS, IN EO CONCLAVI NE PLVRES MVLIERES LIBERAE SINT, QVÀM DECEM: ANCILLAE, QVÀM SEX. SED HAE, QVAE INTVS FVTVRAE ERVNT IN EO CONCLAVI, EXCVTIANTVR OMNES, NE QVA PRAEGNANS SIT. TRIA LVMINA, NEC MINVS, IBI SINT: SCILICET QVIA TENEBRAE AD SVBIICIENDVM APTIORES SVNT.

QVOD

QVOD NATVM ERIT, HIS, AD QVOS EA
A RES PERTINET, PROCVRATORIBVSVE
EORVM (SI INSPICERE VOLENT) OSTEN
DATVR. APVD EVM EDVCATVR, APVD
QVEM PARENS IVSSERIT. SI AVTEM
NIHIL PARENS IVSSERIT, AVT IS, A-
PVD QVEM VOLVERIT EDVCARI, CV-
RAM NON RECIPIET: APVD QVEM EDV-
CETVR, CAVSSA COGNITA CONSTI-
TVAM. IS, APVD QVEM EDVCABITVR,
QVOD NATVM ERIT: QVOAD TRIVM
MENSIVM SIT, BIS IN MENSE, EX EO
TEMPORE, QVO AD SEX MENSIVM SIT,
B SEMEL IN MENSE: À SEX MENSIBVS, QVO
AD ANNICVLVS FIAT, ALTERNIS MENSI-
BVS: AB ANNICVLO, QVO AD FARI POS-
SIT, SEMEL IN SEX MENSIBVS (VBI VO
LET) OSTENDAT. SI CVI VENTREM IN-
SPICI, CVSTODIRI, ADESSEVE PAR-
TVI LICITVM NON ERIT: FACTVMVE
QVID ERIT, QVOMINVS ITA EA FIANT,
VTI SVPRÀ COMPRAEHENSVM EST: EI,
QVOD NATVM ERIT, POSSESSIONEM
CAVSSA COGNITA NON DABO. SIVE
QVOD NATVM ERIT, VT SVPRÀ CAV-
C TVM EST, INSPICI NON LICVERIT:
QVAS VTIQVE ACTIONES ME DATV-
RVM POLLICEOR HIS, QVIBVS EX EDI-
CTO MEO BONORVM POSSESIO DATA
SIT: EAS, SI MIHI IVSTA CAVSSA ESSE
VIDEBITVR, EI NON DABO.

Hic declarat, quibus perſonis ſit denunciandum: & intellige ſemper hoc ſecundum edictum mortuo marito. nam in primo edicto quod eſt à principio tituli vſque ad. §. de inſpiciendo, denunciatur marito.

Quamuis ſit manifeſtiſſimum edictum prætoris: attamen non eſt negligenda eius interpretatio. denunciare igitur mulierem oportet his, ſcilicet quorum intereſt, partũ non edi: vel totam habituris hæreditatem, vel partẽ eius,

 ſiue ab

ſiue ab inteſtato, ſiue ex teſtamento. Sed & ſi ſeruus hæres inſtitutus fuerit, ſi nemo natus ſit: Ariſto ſcribit, huic quoque ſeruo (quamuis non omnia) quædam tamen circa partũ cuſtodiendũ arbitrio prętoris eſſe concedenda. quã ſententiam puto veram. publicè enim intereſt, partus non ſubiici, vt ordinũ dignitas *familiarũque ſalua ſit. ideoq; etiã ſeruus iſte, cũ ſit in ſpe conſtitutus ſucceſſionis (qualis qualis ſit) debet audiri, & rem publicam, & ſuã gerens. D

*Huc ptinẽt exempla, quæ Val. Max. lib. 9. cap. 16. refert de iis, qui infimo loco nati, mendacio ſe clriſſimis familiis inſerere conati ſunt.

Denunciari autem oportet iis, quos proxima ſpes ſucceſſionis contingit: vtputa primo gradu hæredi inſtituto, non etiam ſubſtituto. & ſi inteſtatus ſit paterfamiliâs: his, qui primũ locum ab inteſtato tenent. ſi verò plures ſint ſimul ſucceſſuri: omnibus denunciandum eſt.

Omiſſio modicæ ſolennitatis non vitiat. Bar. E

Quod autẽ prætor ait, CAVSSA COGNITA SE POSSESSIONEM NON DATVRVM, VEL ACTIONES DENEGATVRVM, eò pertinet: vt ſi per ruſticitatem aliquid fuerit omiſſum ex his, quæ prętor ſeruari voluit, nõ obſtet partui. quale eſt enim, ſi quid ex his, quæ leuiter obſeruanda prætor edixit, non ſit factum, partui denegari bonorum poſſeſſionem? ſed mos regionis inſpiciendus eſt, & ſecundum eum & obſeruari ventrem, & partum, & infantem oportet.

Mulier propter imperitiam excuſatur. Bar.

II. IVLIANVS *lib.* XIX. *Digeſtorum.*

EDictum de cuſtodiendo partu, derogatorium eſt eius, quod ad Carboniani decreti exemplum comparatum eſt. ſed hoc aliquando remittere prætor debet, ſi non malicia, ſed imperitia mulieris factum fuit, ne venter inſpiceretur, aut partus cuſtodiretur. F

III. PAVLVS.

QVi ventri ſubſtitutus eſt, vel inſtitutus: ſi ventrẽ ſeruare velit, audiendus eſt.

Fideicommiſſarius vniuerſalis cuius conditio deficit propter natiuitatem poſthumi, admittitur ad cuſtodiendum partum. Bartolus.

IIII. SCAEVOLA.

IS, à quo, ſi ſine liberis deceſſiſſet, quidquid ad eum ex bonis perueniſſet, ſorori fideicommiſſo relictum erat: deceſſit

deceſſit poſthumo hærede inſtituto, & ſubſtitutis aliis.
A quæſitum eſt, cũ vxor defuncti prægnantem ſe dicat: an ſorori procuratoriúe eius ſecundum formam edicti ventrem inſpicere,& partum cuſtodire permittendum ſit? reſpondi in eiuſmodi ſpecie,de qua quæreretur,poſſe videri ad eius,cui fideicommiſſum datum eſſet,ſollicitudinem proſpiciendum,idque cauſſa cognita ſtatuendum.

SI VENTRIS NOMINE MVLIERE IN POSSESSIONE MISSA, EADĒ POSSESSIO DOLO MALO AD ALIŨ TRANSLATA ESSE DICATUR. Tit. V.

VLPIANVS.

B Hoc edicto rectiſſimè prætor proſpexit,ne dũ in fauorem partus poſſeſſionem polliceatur, aliis prædæ occaſioné præbeat. Idcirco cõſtituit actionem in mulierem, quæ in aliũ hãc poſſeſſionem dolo malo tranſtulit. nec ſolùm mulierem prætor coërcet,verum eum quoque,in cuius poteſtate ea fuit: ſcilicet, ſi dolo ipſorum alius in poſſeſſionem fuerit admiſſus. actionemq́ue in tantum pollicetur in eos, quanti interfuerit eius, qui experitur. Neceſſariò prætor adiecit. VT QVI PER DOLVM VENIT IN POSSESSIONEM, COGATVR DECEDERE. coget autem eum decedere non prætoria poteſtate, vel manu miniſtrorum: ſed melius & ciuilius faciet,ſi eum
C per interdictum ad ius ordinarium remiſerit. Intereſt autem eius, qui experitur, admiſſum alium in poſſeſſioné non fuiſſe: cũ fortè bona fide fructus perceptos conſumpſerit: aut ſi prædo venerit in poſſeſſionem, à quo fructus conſequi non poſſit, quia ſoluendo non eſt. Hæc actio etiam poſt annum dabitur: quia rei habet perſecutionem. & ſi filia ſit,quæ dolo fecit: in patrē dabitur actio, ſi quid ad eum peruenerit.

II. PAVLVS.

Dolo facit mulier,non quæ in poſſeſſionem venientem non prohibeat: ſed quæ circumſcribendi alicu ius cauſſa, clam & per quãdam machinationem in poſſeſſionem introducat. Si & patris & filię factum arguetur: in alterum, quem actor velit, reddenda eſt actio: quia in


 id,quod

id, quod agentis interest, datur. ideo si id, quod ei abest, ab eo, qui in possessione est, seruari possit (præter sumptus li- D tis caussa factos) inutilis erit ei hæc actio.

SI MVLIER VENTRIS NOMINE *in possessionem calumniæ caussa esse dicetur.* Tit. VI.

Iuramentum mulieris excusat eam à calumnia: & partui non prodest nec nocet. Bart.

VLPIANVS.



I de possessione ventris nomine quæratur, & deferente hærede mulier iurauerit se prægnitem esse: seruandum est iusiurandum, nec tenebitur mulier, quasi calumniæ caussa fuerit in E possessionem missa, nec vis ei facieda est post iusiurandum. si tamen pepererit: quæretur veritas, an ex eo prægnans fuerit. alteri enim nec prodest: nec nocet iusiurandum inter alios factum. nec partui igitur nocebit. Et hoc edictum ex eadem caussa proficiscitur, qua superius. debet enim prætor, quemadmodum facilis est circa bonorum possessionem mulieri dandam ventris nomine, ita calumniam eius impunitam non relinquere. Per calumniã autem in possessioné fuisse videtur, quæ sciens prudensq; se prægnantem non esse, voluerit in possessionem venire.

Hanc autem actionem prætor intra annum vtilem pollicetur, vltra non, videlicet quasi pœnalem. Simili autem F modo & hic, quanti agentis interfuit, prætor actioné hãc pollicetur. In parentem etiam prætor actioné pollicetur: si modò per eum factum sit, vt in possessionem per calumniam veniret. Competit autem actio ei, cuius interfuit in possessionem missum nó esse: vtputa vel cohæredi speranti partum, vel ei, qui substitutus fuit, vel qui ab intestato, si partus non fuisset, succedere potuit. Interesse auté videtur primũ de alimentis, quæ in ventrem sunt erogata. nec enim aliâs hæc repetuntur, nisi per calumniam in possessionem venit. cæterũ si res calumnia caret: nihil præstabit mulier, quasi sine caussa alta sit sub prætextu ventris.

In hoc interesse non potest venire æstimatio totius hæreditatis, si propter ventrem alius successurus est ab hæreditate exclusus. Bar.

Nonnun-

Nonnunquam augebitur, quod intereſt: ſi quis fortè du
A bitans, an prægnans ſit, excluſus ſit hæreditate. nam hæredi eius, qui excluſus eſt, dandam hanc actionem, Iulianus ait. Si quidem eius quoque interfuit, non fuiſſe calumniæ cauſſa in poſſeſſionem mulierem: quia hoc ſi non fuiſſet, adeundo hæreditatem, inſtitutus hæredi ſuo locupletiorem hæreditatem ſuam relinqueret. ſed & hoc imputatur mulieri, quod deminuta ſunt multa in hæreditate: dum hic contemplatione ventris non attingit hæreditatem.

Contra mulierem ſuccurritur hæredi ſubſtituto defuncti: & conſeruantur legata & libertates. Bartolus.

Idem Iulianus libro decimonono Digeſtorum ſic ait. ſi ſubſtitutus, manente muliere in poſſeſſione, deceſſerit: hæ-
B res eius eadem actione precium hæreditatis à muliere exiget. ſed an decedant legata, cæteraque onera hæreditatis, videndum. & mihi videtur potius dici poſſe, legatarios cũ muliere vſuros hac actione: quia & ipſorum interfuit adiri hæreditatem. Libertatibus planè ſubueniendum erit aduerſus eum, qui propter hæreditatem hac actione aget: ſcilicet vt fideicommiſſarias cogatur is præſtare, qui precium etiam eorum vtique conſequitur. Sed & directis credo prætorem ſuccurrere oportere, vt interuentu ſuo tueatur eorum libertates. Si dolus filiæfamiliâs interuenerit, & particeps doli pater fuerit: ſuo nomine tenebitur.

C DE CONCVBINIS. Tit. VII.

Liberta concubina patroni ſui non poteſt patronum relinquere, & alii nubere: licet poſſit alteri ſe in concubinam dare. Item illa ſola poteſt eſſe concubina, cum qua ſtuprum non committitur: & concubina patris non poteſt eſſe concubina filii vel nepotis: & concubina non debet eſſe minor duodecim annis.

VLPIANVS.



Væ in concubinatu eſt, ab inuito patrono poterit diſcedere, & alteri ſe aut in matrimoniũ, aut in concubinatum dare. Ego quidem puto in concubina, adimendum ei connubium, ſi patronum inuitum deſerat; quippe cùm honeſtius ſit patrono, libertam concubinam, quàm matremfa-

miliâs habere. Cum Atilicino sentio, & puto, solas eas in cócubinatu haberi posse sine metu criminis, in quas stuprum non committitur. Qui etiam adulterij damnatam in concubinatu habuit, non puto lege Iulia de adulteriis teneri: quamuis si vxorem eam duxisset, teneretur. Si quę in patroni fuit concubinatu, deinde in filij esse cœpit, vel nepotis, vel contrà: non puto eam rectè facere: quia pro nefaria est huiusmodi coniunctio. & ideo huiusmodi facinus prohibendum. Cuiuscunque ætatis concubinam haberi posse, palam est: nisi minor annis duodecim sit. D

II. PAVLVS.

SI patronus libertam concubinam habens, furere cœperit: in concubinatu eam esse, humanius dicitur.

Cum ingenua honestè nata in dubio præsumitur matrimonium, nisi contrarium probetur: secus si fuerit liberta, vel viliter nata. Bartolus. E

III. MARTIANVS.

IN concubinatu potest esse & aliena liberta, & ingenua, sed maximè ea, quæ obscuro loco nata est, vel quæ corpore quæstũ fecit. alioquin si honestæ vitæ, & ingenuam mulierem in concubinatu habere maluerit: sine contestatione hoc manifestum faciente, non cócediturs. sed necesse est ei, vel vxorem eam habere, vel hoc recusante eo, stuprũ cum ea committere. nec adulterium per concubinatum ab ipso cõmittitur. nam cũ concubinatus per leges nomen assumpsit, †extra legis pœnam est, vt Marcellus libro septimo Digestorum scribit. F

†Aristoteles tamen, li. 7. Poli. ca. 16. Cõcubitũ omnẽ alteri' quàm cõiugis cẽset penit' interdicẽdũ eumq́; qui cõtrà fecerit grauiter puniẽdũ. idq́; & apud Christianos obtinere extra cõtrouersiã est.

IIII. PAVLVS.

COncubinã ex sola animi destinatiõe ęstimari oportet.

V. IDEM.

COncubinã ex ea prouiñcia, in qua quis aliquid administrat, habere potest.

DIGESTORVM SEV PANdectarum liber uicesimus sextus.

DE TVTELIS Tit. I.

PAV-

PAVLVS.

A  VTELA est (vt Seruius definit) vis ac potestas in capite libero cõstituta ad tuendũ eum, qui per ætatem sua spõte se defendere nequit, iure ciuili data ac permissa. Tutores autẽ sunt, qui eam vim ac potestatẽ habẽt, exq; re ipsa nomẽ acceperunt. itaq; appellãtur tutores, quasi tuitores, atq; defensores: sicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur. Mutus tutor dari non potest: quoniam authoritatem præbere non potest. Surdum non posse dari tutorem, plerique, & Pomponius libro decimo sexto ad Sabinum probant:
B quia non tantùm loqui, sed & audire tutor debet.

II. POMPONIVS *lib.* XVI. *ad Sabinum.*

NOn est exigendum à pupillo, vt sibi tutorem petat, aut vt ad tutorem suum proficiscatur.

Quando concurrunt duæ caussæ, vna naturalis, alia accidẽtalis, præualet naturalis. Bartolus.

III. VLPIANVS *lib.* XXXVIII. *ad Sabinum.*

QVi habent tutorem, si furere cœperint, in ea caussa sunt, vt in tutela nihilominus durent. quæ sententia Quinti quoque Mutij fuit, & à Iuliano probatur: eoque iure vtimur, vt cesset cura, si tutelę ætas indigeat. quare si tutores habent, per furorem in curam nõ re-
C diguntur. si verò non habent, & furor eis accessit: nihilominus tutores accipere poterunt: quia lex duodecim tabularum ita accepta est, vt ad pupillos vel pupillas non pertineat. Quia autem in pupillorũ persona adgnatos curatores non admittimus: idcirco putamus, & si minor viginti quinque annis furiosus sit, curatorem ei, non vt furioso, sed vt adolescenti dari, quasi ætatis sit impedimentum. & ita definiemus, ei, quem ætas curæ vel tutelæ subiicit, non esse necesse, quasi dementi, quæri curatorem: & ita Imperator Antoninus Augustus rescripsit: cùm magis ætati, quam dementiæ tantisper sit consulendum.

Propter litem quam quis habiturus est cum tutore vel curatore, datur curator, qui non datur nisi præsenti & petenti. Item cogitur *quis petere. Bartolus.*

Si

Si pupillus pupilláve cũ iusto tutore litem agere vult, & curator in eam rem petitur: vtrum ipsis poscentibus datur, an verò & aduersario? & sciendum est (siue agant, siue conueniantur) dari his hunc curatorem posse: licet nõ aliâs, quàm si ipse petat, cui dari eum oportet. denique Cassius libro sexto scripsit, talem curatorem neminem dari posse, nisi præsentem: neque cuiquam, nisi præsenti, & postulanti. itaque infanti non potest dari. Idemq́ue Cassius ait. si pupillus curatorem poscere non vult, quò minus cum eo agatur: cogi eum à prætore debuisse. Quolibet loco & tempore hunc curatorem dari posse, Pomponius libro decimo sexto ad Sabinum scripsit. D

Curator simpliciter ad litẽ datus, intelligitur datus ad omnes lites, quas pupillus habet cũ tutore, cũ quo litigare intendit. Bar. E

Si pupillus petat talem curatorem, nec addat in quam rem: an in omnes cõtrouersias datus sit? Et ait Celsus Seruium constituisse, in omnes res datum videri.

IIII. PAVLVS *lib.* IX. *ad Sabinum.*

QVod dicitur, si indistinctè datus sit curator, in totam litem datum videri: fortasse eò spectat, si familiæ erciscundæ, aut communi diuidundo, aut finium regundorum actio esset cum tutore. Et si indistinctè datus esset: non solùm eo nomine curator esset, quo ageret pupillus pupilláve: sed inuicem quoque, quo cum his ageretur. Possunt autem vel plures in plurium locum, vel vnus in plurium, vel vnus vnius loco, vel in vnam litem, vel in plures curator peti. F

In eadem caussa dato vno curatore non potest dari alius. Item datus in vna caussa non potest dari in alia. Bartolus.

V. POMPONIVS *lib.* XVI. *ad Sabinum.*

CVm semel petitus est talis curator: quàm diu is curator manet, alius in eandem litem curator peti non potest. Et si Titius (verbi gratia) aduersus Seium curator petitus sit: idem Titius & aduersus alium curator esse poterit: vt ex diuersis caussis vnus duorum curatorum locum obtineat. Quod quidem & aduersus eundem accidet, si in diuersas lites, & diuersis temporibus idem petatur.

Muto potest dari tutor, qui ei poterit authorari. Bartolus.

VI. VLPIANVS.

Muto,

A MVto, itemq; mutæ impuberib⁹ tutorem dari posse, verum est. Sed an authoritas eis accõmodari possit, dubitatur. & si potest tacenti, & muto potest. Est autẽ verius (vt & Iulian⁹ libro vicesimo primo Digestorũ scripsit) etiam tacentibus authoritatem posse accõmodari.

A iudice non potest dari tutor sub conditione: & expressio eius quod tacite inest, dispositionem conditionalem non inducit. Bar.

Sub conditione à præsidibus prouinciarum non posse dari tutorem placet: & si datus sit, nullius esse mométi dationem. & ita Pomponius ait. hanc autem adiectionem, quã præsides prouinciarũ faciũt, TVTOREM DO, SI SATIS DEDERIT: non conditioné in se habere, sed admonitionem: non scilicet aliter ei tutelam committi, quàm

B si rem pupillo saluam fore cauerit. Tutoris datio neque imperij est, neque iurisdictionis: sed ei soli competit, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel senatusconsultum, vel princeps. Surdo impuberi poterit tutor dari.

Ei cuius status est dubius, non potest dari tutor: sed dabitur curator bonis. Bartolus.

Ei, cuius pater in hostium potestate est, tutorem dari nõ posse, palàm est. Sed si datus sit, an in pendenti sit datio, quæri potest? & non puto dationem valere. Sic enim post patris regressum recidit in potestatem, atque si nunquam pater ab hostibus captus fuisset. Imò curator substãtiæ dari debet, ne medio tempore pereat.

C *Si pater cõsentit filio tutori datiuo, tenetur in solidum: & admonitio pro consensu non habetur. Bartolus.*

VII. VLPIANVS.

SI filiusfamiliâs tutor à prætore datus sit, si quidé pater tutelam agnouit: in solidũ debet teneri, si nõ agnouit: dũtaxat de peculio. Agnouisse autem videtur, siue gessit, siue gerenti filio consensit, siue omnino tutelã attigit. vnde cùm quidã filio scripsisset, vt diligenter tutelã gereret, CVM SCIAS (inquiens) PERICVLVM AD NOS PERTINERE: dixi, hunc quoq; videri agnouisse. planè si solum monuit filium, non videbitur agnita.

Patrono imputatur negligentia & fraus in bonis liberti, sicut in bonis extranei. Bartolus.

VIII. IDEM.

Patronus

PAtronus quoque tutor liberti sui fidem exhibere debet: & si qua in fraudem debitorum (quamuis pupilli liberti) gesta sunt, reuocari ius publicum permittit. D

IX. MARTIANVS *lib.* XI. *Institutionum.*

IN eos extra ordinem animaduertitur, qui probantur nummis datis tutelam occupasse, vel precio accepto operam dedisse, vt non idoneus tutor daretur, vel consulto in edendo patrimonio quantitatem minuisse, vel euidenti fraude pupillorum bona alienasse.

X. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

P.F. ita habent, quãq̃ codex Me. negationẽ nõ habeat.

ETiam non municeps tutor dari potest, dummodo municipi detur.

XI. PAVLVS.

FVriosus si tutor datus fuerit, potest intelligi ita dari, cùm suæ mentis esse cœperit. E

XII. IDEM.

QVæsitum est, an hi, qui in locum absentis reipublicæ caussa tutores dati sunt, mortuo illo, tutores perseuerent: an alij petendi sint? Paulus respondit. eos, qui in locum absentis dati sunt, non reuerso eo, in eadem caussa perseuerare vsque ad tempus pubertatis.

Curator vel coadiutor datur tutori per iudicem ex caussa: vel per ipsum tutorem cum decreto iudicis. Bartolus.

XIII. POMPONIVS.

SOlet etiam curator dari aliquando tutorem habenti, propter aduersam tutoris valetudinem, vel senium ætatis: qui magis administrator rerum, quàm curator esse intelligitur. sed etiam actor tutelæ, quem solet prætor permittere tutoribus constituere, qui non possunt sufficere administrationi tutelæ: ita tamen, vt suo periculo eum constituant. F

Si pupillus trãsit in alterius potestatem, vel perdit ciuitatem, tutela finitur. Idem si tutor remoueatur: vel conditio exstitura exstiterit. Bartolus.

XIIII. VLPIANVS.

SI adrogati sint adhuc impuberes, vel pupilli deportati sint: tutores habere desinunt. Item si in seruitutem pupillus redigatur, vtique finitur tutela. aliis quoque modis desinunt esse tutores: si fortè quis ab hostibus fuerit captus,

ptus,

ptus, vel pupillus, vel tutor. sed & si ad tempus fuerit quis
A datus, tempore finito desinit esse tutor. præterea si tãquam suspectus quis fuerit remotus, desinit esse tutor. sed & si ad certam conditionem datus sit: æquè eueniet, vt desinat esse tutor, existente conditione.

Si tutor est apud hostes sine mutatione status: non finitur tutela. Bartolus.

XV. IDEM.

SI quis tutor non sit captus ab hostibus, sed ad eos quasi legatus missus, aut etiam receptus ab eis, aut transfugerit: quia seruus non efficitur, tutor manet: sed interim à præsidibus alius tutor dabitur.

Tutela est officium virile, & non transit ad hæredes. Bartolus.

B XVI. CAIVS.

TVtela plerũque virile officium est. & sciendum est, nullam tutelam hæreditario iure ad alium transire, & licet ad liberos virilis sexus perfectæ ætatis descendũt legitimæ: cæteræ tamen non descendunt.

XVII. PAVLVS.

COmpluria senatusconsulta facta sunt, vt in locum furiosi, & muti, & surdi tutoris alij tutores dentur.

XVIII. NERATIVS.

FOeminæ tutores dari nõ possunt: quia id munus est masculorum: nisi à principe filiorum tutelam specialiter postulent.

C DE TESTAMENTARIA TVTELA. Titulus II.

CAIVS *lib.* IIII. *ad* L. XII. *tabularum.*



LEge duodecim tabularũ permissum est parentibus, liberis suis, siue masculini, siue fœminini sexus (si modo in potestate sunt) tutores testamento dare. item scire debemus, etiam posthumis filiis, vel nepotibus, vel cęteris liberis licere parentibus testamento tutores dare: qui modo in ea caussa sint, vt si eo viuo nati fuerint, in potestate eius futuri, neque testamentum rupturi sint. Item ignorandum non est: eum, qui filium in potestate, & nepotem ex eo æquè in potestate habebit: si nepoti tutorem dederit: ita rectè dedisse videri,

si nepos

ſi nepos poſt mortem eius in patris ſui poteſtatē recaſurus non ſit. quod euenit, ſi viuo teſtatore filius in poteſtate eius eſſe deſierit. D

II. VLPIANVS.

NEc militem liberis recaſuris in poteſtatem, tutorem dare poſſe, à diuis fratribus reſcriptum eſt.

III. IDEM.

TEſtamento datos tutores accipere debemus etiã eos, qui cōdicillis teſtamento cōfirmatis ſcripti ſunt. ſed eos demum teſtamento datos accipere nos oportet, qui iure dati ſunt.

Pater dat tutorem filio instituto vel exhæredato, mater instituto tantum: & tunc cum inquiſitione confirmabitur. Bartolus.

IIII. MODESTINVS. E

PAter hæredi inſtituto filio, vel exhæredato, tutorem dare poteſt: mater autē, non niſi inſtituto: quaſi in rem potius, quàm in perſonam tutorem dare videatur. Sed & inquiri in eum, qui in matris teſtamento datus eſt tutor, oportebit: cùm à patre datus, quamuis minus iure datus ſit, tamen ſine inquiſitione confirmetur: niſi cauſſa, propter quam datus videbatur, in commutata ſit: veluti ſi ex amico inimicus, vel ex diuite pauperior effectus ſit.

Appellatione filiorum continentur poſthumi filii, non nepotes: ſed appellatione liberorum etiam nepotes continentur. appellatione verò poſterorum omnes deſcendentes continentur. Bartolus.

V. VLPIANVS. F

SI quis filiabus ſuis tutores dederit, etiam poſthumæ videtur dediſſe: quia filiæ appellatione etiam poſthuma continetur.

VI. IDEM.

QVid ſi nepotes ſint: an appellatione filiorum & ipſis tutores dati ſint, videndum eſt. & magis eſt, vt ipſis quoque dati videantur: ſi modo liberos dixit. cęterùm ſi filios: non continebuntur. aliter enim filij, aliter nepotes appellantur. Planè ſi poſteris dixerit: tã filij poſthumi, quàm cæteri liberi continebuntur.

Dies tutelæ cedit ab adita hæreditate, & immediatè illa poteſtas tranſit à teſtatore in tutorem. Bartolus.

VII. PAVLVS.

Tutores

A Tutores non ab hærede, sed à testatore protinus proficiscuntur, & simul atque aliquis hæres exstitisset. nam & ipse hæres tutor dari potest. sed & post mortem hæredis tutor rectè dari potest.

Vnūquodque per id per quod ligatur, per contrarium dissoluitur.

VIII. VLPIANVS.

Tutor dat⁹, vetari tutor esse potest, vel testamēto, vel codicillis. Sed & si sub cōditione fuerit tutor datus: deficiente cōditione, tutor non erit. Tutorē autem & à certo tempore dare, & vsque ad certum tempus licet, & sub conditione, & vsque ad conditionem. In tutoris datione, vtrum leuissima cōditio, an nouissima spectanda est? vtputa ita TITIVS, CVM POTERIT, TVTOR

B ESTO. TITIVS, SI NAVIS EX ASIA VENERIT, TVTOR ESTO. & Iulianus lib. vicesimo Digestorum rectè scripsit, nouissimā scripturā esse spectandam.

IX. POMPONIVS *lib. XVI. ad Sabinum.*

Si nemo hæreditatem adierit: nihil valet ex his, quæ testamento scripta sunt. si verò vnus ex pluribus adierit: tutelæ statim valent, nec expectandum erit, vt omnes hæreditatem adeant.

X. VLPIANVS.

Si hæreditas nondum adita sit, ex qua tutor speratur: verius est, alium tutorem dari posse, quasi nondum sit, nec speretur. In tutelis testamentariis id sequimur, quod nō

C uissimum est: & si sæpius tutor datus sit, nouissimam scripturam intuemur.

Si nepos viuo auo incipit tenere locum sui: sicut confirmatur testamentum per l. Velleiam: ita tutelæ datio. Bartolus.

Qui filium, & ex eo nepotem habebat, si nepoti tutorē dederit: habet disceptationem, an aliquo casu non sit vtilis datio: vtputa si proponas, filium viuo patre decessisse, & nepotem ex eo successisse viuo auo. & fortius dicēdum est tutelam quoque ex lege Iunia Vellea confirmatā. nam & Pomponius libro decimosexto ex Sabino scripsit, valere tutoris dationem. cùm enim confirmatum sit testamentum, consequenter tutoris quoque datio valebit in eo testamēto scripta, quod valet (idem vbi nepos vel hæres institutus sit, vel nominatim exhæredatus.)

Inhabilis

Inhabilis datus tutor, intelligitur datus cùm fuerit habilis.

Si furioſus teſtamento tutor detur, ſiquidem cùm furere deſierit: rectè tutoré eſſe datum, Proculus exiſtimat. quod ſi datus ſit purè: negat Proculus valere dationem. ſed eſt veriùs, quod & Pomponius ait: rectè videri datum, & tunc fore tutorem, cùm ſapere cœperit. D

Seruus alienus poteſt dari tutor ſub conditione libertatis: & ſi ſimpliciter datur, in dubio videtur ei data fideicommiſſaria libertas. Bartolus.

Seruus alienus ita dari tutor poteſt, SI LIBER ERIT, TVTOR ESTO. quinimo & ſi purè datus ſit, videtur ineſſe hæc conditio, CVM LIBER ERIT. poteſt autem quis & extraneo ſeruo defendere ex hac cauſſa fideicommiſſariam libertatem. quid enim intereſt, ſuum ſeruum, an alienum tutorem ſcripſerit: cùm pupilli fauore, & publicæ vtilitatis gratia aſſumpta libertas ſit in perſona eius, qui tutor ſcriptus eſt? poteſt igitur & huic fideicommiſſaria libertas defendi, ſi voluntas apertiſſimè non refragetur. E

Spes teſtamentaria facit ceſſare legitimam, & locus erit datiuæ. Item ſi teſtamentarius deſiit eſſe naturaliter vel ciuiliter, iudice hoc principaliter agente. Secus ſi deſiit eſſe naturaliter vel ciuiliter iudice principaliter hoc non agente: quia tunc legitimus ſuccedit: ſed non ſuccedit ibi, ſi aliquis ex teſtamentariis ſuperuiuit. Bartolus.

XI. IDEM.

SI quis ſub conditione, vel ex die tutorem dederit: medio tempore alius tutor dãdus eſt, quamuis legitimum tutorem pupillus habeat. ſciendum eſt enim, quamdiu teſtamentaria tutela ſperatur, legitimam ceſſare. & ſi ſemel ad teſtamentarium deuoluta ſit tutela, deinde excuſatus ſit tutor teſtamentarius: adhuc dicimus in locum excuſati alium dandum, non ad legitimum tutorem redire tutelam. Idem dicimus, & ſi fuerit remotus. nam idcirco abiicitur, vt alius detur. quod ſi tutor teſtamento datus deceſſerit, ad legitimum tutela rediit: quia hic ſenatuſconſultum ceſſat. Planè ſi duo pluréſve fuerint tutores teſtamentarij: in locum eius, qui ceſſit, vel in ciuitate eſſe deſiit, poterit dari alius. cæterùm ſi nullus ſuperſit, vel in ciuitate ſit: legitima tutela ſuccedit. F

Tutor

Tutor non potest dari certæ rei, sed personæ vel vniuersitati. Bartolus.

A

XII. IDEM.

CErtarum rerum vel caussarum testamento tutor dari non potest, nec deductis rebus.

XIII. POMPONIVS.

ET si datus fuerit, tota datio nihil valebit.

XIIII. MARCIANVS.

QVia personæ, non rei, vel caussæ datur.

XV. VLPIANVS.

SI tamen tutor detur rei Africanæ, vel rei Syriacæ, vtilis datio est. hoc enim iure vtimur.

Indefinita in singulari vel etiam in plurali prolata in tutelis æquipollet vniuersali: non tamen comprehendit eos, de quibus constat testatorem non sensisse. Bartolus.

B

XVI. IDEM.

SI quis ita dixerit, FILIIS MEIS TVTOREM DO: in ea conditione est, vt tam filiis, quàm filiabus dedisse videatur. filiorum enim appellatione & filiæ continentur. Si quis filio tutoré dederit, & plures filios habeat: an omnibus filiis dedisse videatur? & de hoc etiam Pōponius dubitat. magis est autem, vt omnib⁹ dedisse videatur.

Si quis liberis tutores dederit, vel filiis, & habeat quosdam apud hostes: etiam ipsis dedisse videbitur, si nō aliud apertè probetur testatorem sensisse. Si quis cùm ignoC raret se Titium filium habere, filiis tutores dederit: vtrum his solis dedisse videbitur, quos ī potestate scit: an ei quoque, quem ignorauit se habere? & magis est, vt huic dedisse non videatur: licet nomen filiorum admittat & ipsum. sed quia de ipso non sensit: dicendum est, cessare in personam eius dationem. proinde & si certior sit factus filium decessisse, qui supererat: idem erit dicendum. nec enim videtur ei dedisse, quē obiisse credebat. Si posthumis dederit tutores, hique viuo eo nascantur: an datio valeat? & magis est, vt vtilis datio fiat, etiam si viuo eo nascantur.

Testamentarii non coguntur à iudice satisdare: sed quandoque possunt offerre, vt soli administrent. ad quod admittuntur, nisi alii etiam offerant idoneè: vel indici cognoscenti aliud videatur. quod si plures simul offerunt: idoneior eligitur. Bartolus.

XVII. IDEM.

TEſtamento datos tutores non eſſe cogendos ſatisdare rem ſaluam fore, certo certius eſt. Sed nihilominus cùm quis offert ſatiſdationem, vt ſolus adminiſtret, audiendus eſt, vt edicto cauetur. ſed rectè prætor etiam cæteris detulit hanc conditionem, ſi & ipſi velint ſatiſdare. nam & ſi ipſi parati ſint ſatiſdare, non debent excludi alterius oblatione: ſed impleta videlicet ab omnibus ſatiſdatione, omnes gerent: & qui contentus eſt magis ſatis accipere, quàm gerere, ſecurus erit. Nō omnimodo tamen is, qui ſatiſdat, præferendus eſt. quid enim, ſi ſuſpecta perſona ſit, vel turpis, cui tutela committi nec cum ſatiſdatione debeat? vel quid, ſi iam multa flagitia in tutela admiſit? nónne magis repelli & reiici à tutela, quàm ſolus adminiſtrare debeat? Nec ſatis non dantes temerè repelluntur: quia plerunque bene probati & idonei atque honeſti tutores, etiam ſi ſatis non dent, nō debent reiici. quinimò nec iubendi ſunt ſatiſdare. Duplex igitur cauſſæ cognitio eſt. vna ex perſona eius, qui obtulit ſatiſdationem, quis & qualis ſit. alia verò contutorum, quales ſint: num fortè eius exiſtimationis, vel eius honeſtatis ſint, vt non debeāt hanc contumeliam ſatiſdationis ſubire. D E

XVIII. CALLISTRATVS.

QVod ſi plures ſatiſdare parati ſint, tūc idonior præferendus erit: vt & tutorum perſonæ inter ſe & fideiuſſorum comparentur. F

Extraneus volens ſatiſdare, non repellit tutores ab adminiſtratione. Bartolus.

XIX. VLPIANVS.

SI nemo tutorum prouocet ad ſatiſdationē: ſed exiſtat quidam, qui tutor non eſt, deſiderétque, vt aut ſatiſdēt tutores, aut ſi non dent, parato ſibi ſatiſdare committant tutelam: non eſt audiendus. neque enim aut extero tutela committenda eſt, aut teſtamento dati tutores contra ius ſatiſdationi ſubiiciendi ſunt. Hoc edictum de ſatiſdatione ad tutores teſtamentarios pertinet. ſed & ſi ex inquiſitione dati ſint tutores: Marcellus ait, ad eos pertinere hoc edictum, & id etiam oratione diuorum fratrum ſignificari. ideóque & illi clauſulæ ſunt ſubiecti: & ſi cui maior pars tutorum

tutorum decernat. is enim geret, quē maior pars elegerit: A quãuis verba edicti ad testamentarios pertineant.

De eo quod quis gerit antequam nascatur posthumus, tenetur actione nego.gest.si verò post eum natum gerat, in actionem tutelæ de voluitur. Bartolus.

Licet testamento datus posthumo tutor, nondum est tutor, nisi posthumus edatur: datur tamen aduersus eum substituto pupilli negociorum gestorum actio. sed & si partus editus fuerit, deinde hic tutor prius, quàm quicquam gereret, remotus à tutela fuerit: & hic eadem actione tenebitur. si quid planè gessit post editum partum: de eo quoque quod antè gessit, tutelæ iudicio tenebitur, & omnis administratio in hanc actionem veniet.

B XX. PAVLVS.

TVtor incertus dari testamento non potest. Quemlibet possumus tutorem dare, siue is prætor, siue consul sit: quia lex duodecim tabularum id confirmat.

XXI. IDEM.

TEstamento tutores hi dari possunt, cum quibus testamenti factio est.

XXII. IDEM.

SI quis tutorem dederit filio suo seruum, quem putabat liberum esse: is neque tutor, neque liber erit.

Incertitudo circa personas quibus datur tutor, vitiat dationem. Item datio certa potest conferri in voluntatem eius, cui datur. Bar.

C XXIII. AFRICANVS.

TVtor ita rectè non datur, ILLI AVT ILLI FILIIS MEIS, VTRI EORVM VOLET, TITIVS TVTOR ESTO. quid enim dicemus, si Titius cõstituere nolit, vtri ex filiis tutor esse velit? ita autem rectè tutor dabitur, TITIVS (SI VOLET) ILLI FILIO MEO TVTOR ESTO.

XXIIII. IABOLENVS.

SI plures tutores dati sint à prætore, curatorem posci litis caussa superuacuum est: quia altero tutore authore cum altero agi potest.

XXV. MODESTINVS.

DVobus pupillis tutor datus, & si alterius tutela se excusare potest, cùm res separatæ sint: attamen alte-

rius tutor manet.

Mater non potest esse tutrix testamentaria: nec à iudice confirmatur. Bartolus. D

XXVI. PAPINIANVS.

IVre nostro tutela communiũ liberorum matri testamento patris frustra mãdatur. nec si prouinciæ præses imperitia lapsus patris voluntatem sequendam decreuerit: successor eius sententiam, quam leges nostræ non admittunt, rectè sequetur. Honoris caussa tutor datus non videbitur, quem pater à cæteris tutoribus, quibus negotia gerenda mandauit, rationes accipere voluit. Propter litem inofficiosi testamenti ordinandam, exhæredato filio, quem ei tutorem pater dedit, eundem à prætore confirmari oportet. euentus etenim iudicatæ rei declarabit, vtrum ex testaméto patris, an ex decreto prætoris authoritaté acceperit. E

XXVII. TRIPHONINVS.

IDem fiet, si intestatum decessisse patrem pupilli nomine defendatur, falsúmve testamentum nomine pupilli dicatur: & si patruus exstet, legitimus tutor futurus ab intestato: quia tutoré habenti tutor dari non potest. nam cõmodius ipse, qui scriptura cõtinetur, à prætore dabitur: vt sine vllo litis præiudicio, iustus tutor author pupillo ad eam litem fiat. Cùm autem ipse patruus, quem tutorem legitimum sibi dicebat pupillus esse, subiectum filium criminaretur, & ad se legitimam hæreditatem pertinere contenderet: alium tutorem petendum, Iulianus respondit. F

XXVIII. PAPINIANVS.

QVi tutelam testamento mandatam excusationis iure suscipere noluit: ab his quoque legatis submouẽdus erit, quæ filiis eius relicta sunt: modò si legata filij non affectione propria, sed in honoré patris meruerũt. Verbis fideicommissi manumissus, non iure tutor testamento datur. post libertatem itaque redditam ex voluntate testatoris ad tutelam vocatur. Impuberi liberto patronus frustra tutorem dabit: sed voluntatem eius, si fides inquisitionis congruet, prætor sequetur.

Qui sibi asscripsit tutelam in testamento, non erit tutor, nisi testator subscripsit: & executionem amittit. Bartolus.

XXIX. IDEM.

Ex sen-

A EX ſententia ſenatuſconſulti Liboniani tutor non erit, qui ſe in teſtamento pupillo tutorem ſcripſit. cùm autem patris voluntas, hoc ipſum manu ſua declarantis, ambigua non eſſet: eum (quamuis alij tutores eſſent) curatorem dandum reſpondi: nec admittendam excuſationem, quam iure publico habebat (quoniam promiſiſſe videbatur:) nec vt ſuſpectum remoueri.

Incertitudo perſonæ, cui datur tutor, vitiat dationem. Bartolus.

XXX. PAVLVS.

DVo ſunt Titij, pater & filius. datus eſt tutor Titius. nec apparet, de quo ſenſit teſtator. quæro, quid iuris ſit? Reſpondi. is datus eſt, quem dare ſe teſtator ſenſit. ſi id non apparet: non ius deficit, ſed probatio. igitur neuter eſt tutor.

B *Tutores dati in teſtamento rupto, debent confirmari. Bartolus.*

XXXI. SCAEVOLA.

SI pater exhæredatæ filiæ tutores dederit, & teſtamentum eius ruptum dicatur, nato poſthumo. commodiſſimum eſt, eoſdem tutores pupillæ dari ad petendam inteſtati hæreditatem.

XXXII. PAVLVS.

QVæro, an non eiuſdem ciuitatis ciues teſtamento quis tutores dare poſſit? Paulus reſpondit, poſſe. Idem Paulus reſpõdit. eum quoque, qui propter rerum noticiam tutor datus ſit: perinde in omnib⁹ & adminiſtrationis & acceſſionis iure cõueniri poſſe, atque cæteros tutores, qui eodem teſtamento dati ſunt.

C *Licet expreſſum differatur, tacitum non differtur. Bartolus.*

Lucius Titius hæredes inſtituit filios ſuos pupillaris ætatis, eiſque tutores his verbis dedit. FILIIS MEIS TVTORES SVNTO CAIVS MAEVIVS, ET LVCIVS EROS. cui Eroti libertatem non dedit. fuit autem Eros intra vigintiquinque annos ætatis. Quæro, an poſſit libertatem ſibi vindicare? Paulus reſpondit. quoniam placet eum, qui à domino tutor eſt datus, libertatem quoque meruiſſe videri: eum quoque, de quo quæritur, in eadem cauſſa habendum: & liberum quidem ab adita hæreditate eſſe, tutela autem poſt legitimam ætatem onerari.

Verba præſentis temporis cum aduerbio, Tunc, referuntur ad tempus mortis. Bartolus. D

XXXIII. IABOLENVS.

TVtorib⁹ ita datis, LVCIVM TITIVM TVTOREM DO. SI IS NON VIVIT, TVNC CAIVM PLAVTIVM TVTOREM DO. Lucius Titius vixerat, & tutelam geſſerat, deinde mortuus erat. Trebatius negabat ad Plautium pertinere tutelam, Labeo contrà: Proculus quod Labeo, ego Trebatij ſententiam probo: quia illa verba ad mortis tempus referuntur.

XXXIIII. SCAEVOLA.

CVm codicillis ideo alios ſe tutores dare ſignificaſſet, quoniam teſtamento datos quoſdam defunctos, aut excuſationem habere poſſe comperiſſet: an nihilominus, qui eorum viuerent, nec excuſati eſſent, tutores permanerent? reſpondi, nihil proponi, cur non permanerent. E

DE CONFIRMANDO TVTORE uel curatore. Tit. III.

Tutor legitimè datus in teſtamento non eget confirmatione: ſecus ſi minus legitimè, vel ex perſona dantis, vel eius cui datur, vel ex modo dandi. Bartolus.

MODESTINVS *lib.* VI. *Excuſationum.*

Lex Græca



T ne de his quidem tutoribus, qui confirmari poſſunt, omittamus, de his etiā breuiter cōſiderandū eſt. Sunt quidā, qui rectè dātur teſtamento tutores, hoc eſt, & à quibus oportet, & quibus oportet, & quo oportet modo, & vbi oportet. Nam pater filiis vel nepotib⁹, quos habet in poteſtate rectè dat tutorem in teſtamento tamen. Si verò ea perſona ſit, quæ dare nō poteſt, mater puta, vel patronus, vel extraneus quiuis, aut ei, cui datur, dari non poſſit: vt à patre filio, vel filiæ, qui non ſunt in poteſtate, aut ſi ſcriptum ſit, ROGO TE, VT ILLAS RES CVRES, aut codicillis non confirmatis tutor aut curator datus ſit, conſtitutiones permiſerūt quod deeſt, cōſulari poteſtate ſuppleri, & tutores ſecundū teſtatoris volūtatem datos cōfirmari. F

Et ſi

Et si quidem pater erat, qui dedit, plerũque solet nõ in-
A quirere Præses, sed simpliciter cõfirmare: si verò alius, di-
ligenter inquirit, an idoneus sit. Præterea scire oportet
curatorem testamento ne à patre quidẽ rectè dari, sed da-
tum confirmari à Præside solere.

Tutor vel curator datus à matre, confirmatur ex inquisitione. Bartolus.

II. NERATIVS *lib.* III. *Membranarum.*

MVlier liberis non rectè testamento tutorem dat. sed
si dederit: decreto prætoris, vel proconsulis ex in-
quisitione confirmabitur, nec satisdabit pupillo rem saluã
fore. sed & si curator à matre testamento datus sit filiis e-
ius, decreto confirmatur ex inquisitione.

B *Tutor datus à patre in testamento inualido confirmatur: secus si in testamento valido datus esset Bar.*

III. IVLIANVS *lib.* XX. *Digestorum.*

QVi à patre tutor scriptus est, aut non iusto testamen-
to, aut non vt lege præcipiebatur: confirmandus est
ad tutelam gerendam, perinde ac si ex testamẽ-
to tutor esset, id est, vt satisdatio ei remittatur.

Quilibet potest dare tutorem impuberi, quem instituit, si nihil aliud habet. Bar.

IIII. PAVLVS.

SI patronus, vel quiuis extraneus impuberi, quem hæ-
redem instituit, tutorem dederit, & extra ea nihil in bo
C nis pupillus habeat: non malè dicetur, iudicium eius se-
quendum esse: quippe qui & personam eius, quem tutorẽ
esse voluit, nouerit: & impuberem ita dilexerit, vt eũ hæ-
redem institueret.

Ad magistratus qui tutores confirmant sine inquisitione, & fideiussores non recipiunt, pertinet periculum administrationis Bar.

V. PAPINIANVS.

TVtores à patruo testamento datos iussit prætor ma-
gistratus confirmare. hi cautionem quoque accipere
debuerunt: nec voluntas eius, qui tutorem dare nõ potuit,
negligentiam magistratuum excusat. denique prætor non
ante decretum interponere potest, quàm per inquisitionẽ
idoneis pronunciatis. vnde sequitur, vt si tutelæ tempore
soluendo non fuerunt: in id, quod de bonis eorum seruari

non poterit,contra magiſtratus actio decernatur.

Tutor datus à patre,ſine inquiſitione confirmatur. Bar. D

VI. IDEM.

SI filio impuberi pater tutoré, aut puberi curatoré dederit:citra inquiſitioné prętor eos cõfirmare debebit.

VII. HERMOGENIANVS *lib.* IIII. *iuris* ἐπιτομῶν.

NAturali filio,cui nihil relictum eſt,fruſtra tutor à patre datur,nec ſine inquiſitione cõfirmatur. Si quæratur,an ex inquiſitione rectè datus ſit tutor:quatuor hęc conſiderãda ſunt.an & hic dederit,qui dare potuit: & ille acceperit,cui fuerat dandus: & is datus ſit,cuius dandi facultas erat:& pro tribunali decretum interpoſitum ſit.

VIII. TRIPHONINVS *lib.* VII. *Diſputationum.* E

IN confirmando tutore hoc prætor inquirere debet, an durauerit patris voluntas.quod in facili eſt,ſi in proximo mortis tempore tutores non iure vel curatores ſcripſerit pater. nam ſi ante annos : vt medio ſpacio potuerit facultatum tutoris non iure à patre dati fieri deminutio, vel morum antè cælata vel ignorata emerſerit improbitas,aut inimicitiæ cũ patre exarſerint,

IX. PAVLVS.

VEl cũ fiſco aliqué contractum dãnoſum miſcuiſſet:

X. TRIPHONINVS.

VTilitatem pupillorum prætor ſequetur,nõ ſcripturam teſtamenti,vel codicillorum.nam patris voluntaté prætor ita accipere debet, ſi non fuit ignarus ſcilicet eorum,quæ ipſa prætor de tutore cõperta habet.quid denique,ſi poſtea de eo,quem pater teſtamento codicillisúe non iure dedit,ſcripſerit tutoré eſſe nolle? nempe non ſequetur primam voluntatem prætor, à qua pater diſceſſit. F

Curator datus à patre nòn debet ſatiſdare rem pupilli ſaluã fore: ſed de fideicommiſſo reſtituendo ſibi relicto, ſi curam dimiſerit. *Bartolus.*

XI. SCAEVOLA.

AVia teſtamẽto nepotibus curatorem dedit, fideicommiſſo ei relicto.quæſitum eſt,an adminiſtrare curator compelli debeat?reſpondi.curatorem quidem nõ eſſe:ſed cũ aliquid teſtamento ei datum eſſet, teneri eum ex fideicommiſſo,

commisso, si non curam susciperet: nisi id, quod ei datum
A esset, nollet petere, aut reddere paratus esset. Item quæsitum est, an iste curator satisdare nepotibus debeat? respondi, quasi curatorem non debere: sed cũ fideicommissum peti ab eo posset, fideicommissi nomine satisdare debere.

DE LEGITIMIS TVTORIBVS. Tit. IIII.

Legitima tutela ex verbis & ex mente. l. duodecim Tabularum defertur cognatis, ad quos defertur hæreditas. fallit si mulier est in medio. Bar.

VLPIANVS.

B Legitimæ tutelæ lege duodecim tabularũ adgnatis delatæ sunt, & consanguineis, item patronis: id est his, qui ad legitimam hæreditatẽ admitti possint. hæc summa prouidentia: vt qui sperarent hanc successionem, iidẽ tuerẽtur bona, ne dilapidarentur. Interdum tamen alibi hæreditas est, alibi tutela: vtputa si consanguinea pupillo sit. nam hæreditas quidẽ ad adgnatam pertinet, tutela autem ad adgnatũ. Idem in libertinis, si sit patrona, & patroni filius. nam tutelam patroni filius, hęreditatem patrona obtinebit. tantũdemq́ue erit, & si sit patroni filia, & nepos.

Spes primi legitimi facit tutelam non deuolui ad sequentem, sed
C *esse locum datiuo. Bar.*

Si apud hostes sit frater, inferioris gradꝰ adgnato tutela non defertur. nam & si patronus apud hostes sit. patroni filio tutela non defertur, sed interim à prætore datur.

Interdum etiam sine hæreditate tutela defertur, interdũ hæreditas sine tutela: vtputa in eo, qui latitauit, cũ seruum rogatus esset manumittere. nã generaliter diuus Pius rescripsit Aurelio Basso, ius patroni eum non habere, his verbis. Planè tergiuersatio eorum, qui subuertere fideicõmissariam libertatem voluerunt, eo modo puniatur: ne ius patroni adquirant in eo, quem liberum esse noluerunt. idẽ erit, si filiæ adsignatus libertus sit: tutela quidem apud fratres remanebit, (vt Marcellus notat) legitima autem hæreditas ad sororem pertinebit.

II.

II. IDEM.

LEgitimam tutelam capitis deminutione pupilli (etiã ea, quæ salua ciuitate contingit) amitti, nulla dubitatio est. D

III. IDEM.

TVtela legitima, quæ patronis defertur lege duodecim tabularum, non quidem specialiter vel nominatim delata est: sed per consequentias hæreditatum, quæ ex ipsa lege patronis datæ sunt. ergo manumissor ex lege duodecim tabularum tutor est: siue sponte, siue etiam cõpulsus ex caussa fideicommissi manumisit. sed & si hac lege emit, vt manumitteret, & ex constitutione diui Marci ad Aufidium Victorinum peruenit ad libertatem: dicendum est, tutorem esse. Planè si fortè ex Rubriano senatusconsulto peruenerit ad libertatem: non habebit tutorem eum, qui rogatus est. sed Orcinus libertus effectus, ad familiam testatoris pertinebit. in qua specie incipit tutela ad liberos patroni primos pertinere, quę ad patronos non pertinuit. quod quidem in omnibus Orcinis libertis locũ habet, testamento manumissis. E

Si plures sunt patroni, omnibus defertur tutela, & aliquo deficiente remanet apud cæteros: & omnibus deficientibus vadit ad liberos eorum, per eundem modum per quem defertur hæreditas. Bar.

Si duo pluresúe manumittant: omnes tutores sunt. sed si mulier sit inter manumissores: dicendum est, solos masculos fore tutores. Sed & si aliquis ex patronis decesserit: tutela penes cæteros patronos est, quamuis ille filium reliquerit. Sed & si ab hostibus fuerit captus: interim soli compatroni tutores sunt. Simili modo & si in seruitutẽ redactus sit: apparet cæteros esse tutores. Sed si omnes patroni decesserint: tũc tutela ad liberos eorum incipit pertinere. Proinde si alter ex patronis filium, alter nepotem reliquerit: vtrum ad solum filium, an verò & ad nepotẽ tutela pertineat: quia & nepos in familia patris sui proximus est? hoc apparebit ex legitimis hęreditatibus. legitima autẽ hæreditas ad solũ filiũ pertinet. ergo & tutela ad solum filium descendit, post filium tunc ad nepotem. F

Si primus legitimus desinat facto iudicis hoc principaliter agẽtis, locus

tis, locus est datiuo, non sequenti legitimo: secus si desinit casu naturali vel ciuili, iudice hoc principaliter non agente. Bar.

A Quæri potest, si patroni filius sit remotus vel excusatus, an nepoti tutela deferatur? & Marcellus in ea sententia est, vt succedi non posse scribat. idcirco enim abierunt tutela, vt alij in locum eorum dentur, non vt & successio admittatur. Non tantùm autem morte, verum etiam capitis deminutione successio debet in legitima tutela admitti. quarè si proximior capite deminutus est: qui post eum est, succedit in tutelæ administratione.

Pater est legitimus tutor filii emancipati: frater fratris emancipati est tutor fiduciarius. Bar.

B Si parens filium, vel filiam, vel nepotem, vel neptem, vel deinceps impuberes, quos in potestate habebat, emãcipet: vicem legitimi tutoris sustinet.

IIII. MODESTINVS.

QVo defuncto, si liberi perfectæ ætatis existant: fiduciarij tutores fratris vel sororis efficiuntur.

Tutores legitimi constituuntur ipso iure per legem, non tamen possunt administrare nisi satisdent: quæ satisdatio à patrono caussa cognita non exigitur. Bar.

V. VLPIANVS.

LEgitimos tutores nemo dat, sed lex duodecim tabularum fecit tutores. sed etiam hos cogi satisdare, certum est: in tantũ, vt etiam patronum, & patroni filium,

C cæterosque liberos eius, cogi rem saluam fore satisdare, plerisque videatur. sed hic caussa cognita prætorem statuere debere, melius est: vtrum debeat satisdare patronus, liberique eius, an non. vt si persona honesta sit: remittatur ei satisdatio, & maximè si substantia modica sit. si autẽ patroni persona vulgaris, vel minus honesta sit: ibi diceñdũ est, satisdationem locum habere: vt aut modus tutelæ, aut persona, aut caussa admittat satisdationem. In legitimis, & in his, qui à magistratibus dantur, quæsitum est, an vni decerni tutela possit? & ait Labeo, & vni rectè tutelam decerni posse enĩ aliquos, vel absentes, vel furiosos esse. quæ sentẽtia vtilitatis gratia admittẽda est, vt vni decernatur administratio, an ergo & prouocare se inuicẽ secundũ

superiorem

ſuperioré clauſulam poſſint?& magis eſt, vt ſi omnes ſatis non dederint, vel potuerint & noluerint: vel ſi finita ſit ſatiſdatio (nonnunquam enim ſatiſdatio ab eis non petitur) aut ſatis deſinat eſſe cautum: aut magiſtratus municipales ab his, quos dederunt, aut non potuerint, aut noluerint ſatis exigere: poſſit dici in his, & quo caſu cautum non eſt, admittendam prouocationem. an ergo & in patronis idem ſit dicendū, maximè vbi ceſſat ſatiſdatio?& puto in patronis non oportere admitti prouocationem, niſi ex magna cauſſa: ne quis ſpem ſucceſſionis deminuat. nam ſi patrono tutela non fuerit cōmiſſa: poterit per cōpatronum damno affici, qui ſolus rem pupilli malè adminiſtrat. Si quis legitimus tutor capite minutus ſit: dicendum eſt, deſinere eum eſſe tutorem, & locū eſſe iudicio tutelæ finita tutela. D E

VI. PAVLVS.

INteſtato parēte mortuo adgnatis defertur tutela. Inteſtatus autem videtur non tantùm is, qui teſtamentū non fecit: ſed & is, qui teſtamento liberis ſuis tutores nō dedit. quantum enim ad tutelam pertinet, inteſtatus eſt. Idem dicemus, ſi tutor teſtamento datus, adhuc filio impubere manente deceſſerit. nam tutela eius ad adgnatū reuertitur.

VII. CAIVS *lib.* II. *Rerum quotidianarum.*

SVnt autem adgnati, qui per virilis ſexus perſonas cognatione iuncti ſunt, quaſi à patre cognati: veluti frater eodé patre natus, fratris filius, nepóſve ex eo, item patruus, & patrui filius, nepóſve ex eo.

Qui ſunt in pari gradu adgnationis, pariter vocantur ad tutelam. Bartolus. F

VIII. PAVLVS.

SI reliquero filium impuberem, & fratrem, & nepotem ex alio filio: conſtat vtroſque eſſe tutores, ſi perfectæ ætatis ſint: quia eodem gradu ſunt.

IX. CAIVS *lib.* II. *Rerum quotidianarum.*

SI plures ſint adgnati, proximus tutelam nanciſcitur: & ſi in eodem gradu plures ſint, omnes tutelam nanciſcuntur.

Propinquior cognatus non impedit ſequentem, nec propinquior cognata impedit ſequentem cognatum. Bartolus.

X. HERMOGENIANVS *lib.* III. *iuris* ἐπιτομῶν.

Adgnato

A Adgnato propior fœmina, quò minus sit impuberis adgnati tutor, non obiicitur. ideoque patruus sororem consanguineam habentis fratris filij legitimus erit tutor: nec amita patruo magno, vel matertera fratris filiis, ne sint tutores, obstat. Surdus & mutus nec legitimi tutores esse possunt: cùm nec testamento, nec alio modo vtiliter dari possint.

XI. PAVLVS.

Minus autem audiens potest.

DE TVTORIBVS ET CVRATORIBVS datis ab his, qui ius dandi habẽt: & qui, & in quibus caussis specialiter dari possunt. Tit. V.

B *Is potest dare tutorem cui est concessum, & illi qui sua iurisdictioni subest.* Bartolus.

VLPIANVS.



Siue proconsul, siue præses, siue etiam præfectus Aegypti, siue qui proconsulatũ, vel moderamen prouinciæ temporis caussa obtinet, proconsule scilicet vel præside defuncto, vel quia ipsi prouincia regenda commissa est: tutorem dare poterit. Legatus quoque proconsulis, ex oratione diui Marci, tutorem dare potest. quod autem permit-
C titur tutorẽ dare prouinciæ præsidi: eis tantũ permittitur, qui sunt eiusdẽ prouinciæ, vel ibidem domiciliũ habent.

II. IDEM.

Cvm quidam tutores dati appellassent, quidam autem non adessent: diuus Pius rescripsit, dandum temporarium tutorem, qui tutela fungeretur.

III. IDEM.

Ius dandi tutores datũ est omnibus magistratibus municipalibus, eoque iure vtimur: sed illum, qui ab eodem municipio, vel agro eiusdem municipij est.

IIII. IDEM.

PRætor ipse se tutorem dare non potest: sicut nec pedaneus iudex, nec compromissarius ex sua sententia fieri potest.

V. CAIVS *lib.* II. *Rerum quotidianarum.*

ILlud semper constitit: præsidem posse tutorem dare, tam absentem, quàm præsentem, & tam præsenti, quàm absenti. D

VI. VLPIANVS.

NEc non ignoranti & inuito.

VII. IDEM.

NOn tantùm ad dotem dãdam nupturæ curatorem dari oportet: verum etiam ei, quæ iam nupta est. sed & ad dotem augendam datur. & mutandæ quoque dotis gratia curator dari potest.

VIII. IDEM.

NEc mandante præside alijs tutor dari poterit. Si prætor vel præses prouinciæ in furore aut dementia constitutus, dederit tutorem: non puto valere. quamuis enim prætor vel præses sit, nec furor ei magistratum abroget: attamen datio nullius erit momenti. Dari tutor omni die poterit. Furioso, & furiosæ, & muto, & surdo tutor vel curator à prætore vel præside dari poterit. E

IX. MARTIANVS.

IMpuberi ad hæreditatem adeundam, vt tutor detur, ex caussa permissum est.

Si in caussa dandi tutorem erratur, datio est nulla. Bartolus.

X. IDEM.

TVtor si petitus fuerit habenti, & absente eo, quasi non habenti datus sit: datio nulla est. Nam & si quoquo modo in petitione tutoris erratum fuerit in facti caussa, maximè post constitutionem diuorum fratrum, non valet tutorum datio. F

XI. CELSVS *lib.* VIII. *Digestorum.*

CVrator pupillo vel pupillæ non datur, si tutor eorum adfuerit.

Filius potest dari curator patri curatore egenti. Bartolus.

XII. VLPIANVS *lib.* V. *de officio proconsulis.*

HIs, qui in ea caussa sunt, vt superesse rebus suis nõ possint, dare curatorem proconsulem oportebit. nec dubitabit filium quoque patri curatorem dare. quamuis enim contrà sit apud Celsum, & apud alios plerosque relatum, quasi indecorum sit patrem à filio regi: attamen diuus

diuus Pius Iusto Celeri, item diui fratres rescripserunt: filium, si sobriè viuat, patri curatorem dandū magis, quàm extraneum. Diuus Pius matris querelam de filiis prodigis admisit, vt curatorem accipiant in hæc verba. Non est nouum, quosdam, & si mentis suæ videbuntur ex sermonibus compotes esse: tamen sic tractare bona ad se pertinētia, vt nisi subueniatur his, deducantur in egestatem. eligendus itaque erit, qui eos consilio regat. nam æquum est, prospicere nos etiam eis, qui quod ad bona ipsorum pertinet, furiosum faciunt exitum.

Seruo pupillo in caussa quā potest habere cum domino, datur tutor: qui desinit esse statim cùm cœperit habere patronum, & legitimè satisdederit.

XIII. PAPINIANVS.

SI impuberi libertas & hæreditas per fideicommissum data sit, & institutus adire nolit: senatus censuit, eum (si impuberis nomine desideretur) adire cogendum: vt tamen pupillo pupillæúe tutor ab eo, cui ius dandi erit, detur: qui tutelam retineat, quoad restituatur hæreditas, & rem saluam fore ab hærede caueatur. postea autem diuus Hadrianus, vt idem in eo seruetur, quod in eo, cui directa libertas data fuerit, rescripsit. Quamuis autem à patrono REM SALVAM PVPILLO FORE non facilè cautio exigatur: tamē senatus pro extraneo haberi voluit eum, qui quod in ipso fuit, etiam libertate priuauit impuberem. & ius quidem liberti, quod habet, qui ex caussa fideicommissi manumittit, non est ei ablatum: tutela verò sine vinculo cautionis non committitur: quid ergo, si non caueat? non dubiè tutela non erit apud patronum. Sed si puella duodecimū annum impleuerit, tutor desinit esse. quoniam tamen minoribus annis desiderantibus curatores dari solent: si curator patronus petatur, fides inquisitionis pro vinculo cedet cautionis.

XIIII. IDEM.

LIbertus non aliis patroni patronæúe liberis tutor esse cogitur, quàm qui iura patronatus sperare possunt.

XV. PAVLVS.

IN omnem rem tutor dandus est, in eius tutoris locum, qui reipublicæ caussa abfuit.

XVI.

XVI. IDEM.

NEc ille deſinit tutor eſſe.quod & in omnibus, qui ad tempus excuſantur, iuris eſt. D

XVII. VLPIANVS.

EI, qui de ſtatu ſuo litigat, tutorem dari poſſe, Pomponius ſcribit, & verum eſt: vt ita demum teneat datio, ſi liber eſt.

XVIII. IDEM.

IN dando tutore ex inquiſitione, & in eum inquiritur, qui ſenator eſt: & ita Seuerus ſcripſit.

XIX. PAVLVS.

VBi abſunt hi, qui tutores dare poſſunt, decuriones iubentur dare tutores: dummodo maior pars cõueniat. vbi non eſt dubium, quin vnũ ex ſe dare poſſint. Magiſtratus municipalis collegam ſuum, quin dare tutorem poſſit, non dubium eſt. E

XX. MODESTINVS.

VEntri tutor à magiſtratibus populi Romani dari nõ poteſt, curator poteſt. nã de curatore cõſtituendo edicto cõprehenſum eſt. Curatorem habenti, quò minus alius curator detur, regula iuris non eſt impedimento.

Mulieres nõ poſſunt eſſe curatrices. Fallit hodie in matre & auia: vt in authentica, matri & auia. C. quãdo mu. tu. offi. fun. poſ. Bar.

Lex Græca. XXI. IDEM *lib. I. Excuſationum.*

SCire oportet magiſtratus, non oportere curas minorũ mulieribus committi. Si mater ea conditione ſcripſerit filios hæredes, ſi liberati fuerint patria poteſtate, liberatis his, & ob id hæredibus ipſe pater curator creari, etiam ſi velit, non poteſt, ne alia via quod teſtatrix fieri noluit, fiat. & hoc ita à diuo Seuero conſtitutum eſt. Sed & ſi quis à parentibus prohibeatur tutor eſſe, creandus nõ eſt. quòd ſi fuerit creatus, neque ſe excuſauerit, prohibendus eſt exiſtimatione quidem ſalua tutelam gerere. Qui in legatione ſunt, non ſunt à magiſtratibus tutores aut curatores creandi. nam dum legatione funguntur, ad eos periculum non pertinet. Si prouincialem hominem legatum magiſtratus Romæ dederit tutorem, liberabitur. Inter cæteras cauſſas magiſtratum oportet creãdorum mores animaduertere. neque enim tam facultates, aut dignitas apta ſunt F

ſunt

ſunt ad fidem eis habẽdam, quàm vitæ inſtitutum decens,
A & mores probi. Semper autem hoc maximè magiſtratus obſeruent, ne creent eos, qui ſe ingerũt, vt creentur, aut ob id pecuniam dant, quos pœnæ quoque obnoxios eſſe cõſtitutum eſt.

XXII. IDEM. *lib.* V. *Excuſationum.*

Καὶ οἱ μὴ βουλευταὶ βουλευτῶν παισὶ χειροτονοῦνται ἐπίτροποι, ὥσπερ καὶ βουλευταὶ τοῖς μὴ ἐκ βουλευτῶν.

XXIII. IDEM.

SImul plures tutores dari poſſunt.

XXIIII. PAVLVS.

DIuus Marcus & Verus Cornelio Proculo. Si quando deſunt in ciuitate, ex qua pupilli oriũdi ſunt, qui
B idonei videantur eſſe tutores: officium erit magiſtratuum, inquirere ex vicinis ciuitatibus honeſtiſſimum quemq́ue, & nomina præſidi prouinciæ mittere: non ipſos arbitrium dandi ſibi vindicare.

XXV. IDEM. *lib.* VI. *Reſponſorum.*

CVratorem impuberi datũ quacunq; ex cauſſa, perſeuerare in diẽ pubertatis in eadem cura reſpõdi. ergo poſt pubertatem alium curatorem ſibi petere debebit.

Si tutor datur tanquam impuberi qui non eſt, nõ valet datio. B.

XXVI. SCAEVOLA *lib.* IIII. *Digeſtorum.*

SEiæ egreſſæ annos duodecim, decreto prætoris ex inquiſitione datus eſt tutor, quaſi minori. quæro, an excu-
C ſare ſe deberet? reſpondi. ſecundum ea, quæ proponerentur: neque excuſationem neceſſariam eſſe, neque obligari, quod non gereret.

XXVII. HERMOGENIANVS *lib.* V. ἐπιτομῶν.

PVpillo, qui tam Romæ, quàm in prouincia facultates habet: rerum, quæ ſunt Romæ, prætor: prouincialiũ, præſes tutorem dare poteſt. Libertino tutores libertini dandi ſunt. ſed & ſi ingenuus detur, nec ſe excuſauerit, tutor perſeuerabit.

Poteſt quis dari contutor ei, pro quo tenetur. Bartolus.

XXVIII. PAVLVS *lib* IIII. *Decretorum.*

ROmanius Apulus à iudice appellauerat, dicens ſe nõ debuiſſe dari in tutela collegam ei, quem ipſe, cùm magiſtratus eſſet, nominaſſet ſuo periculo: ne in vna tute-

la duplex periculum sustineret.decreuit Imperator, posse quem & fideiussorem pro tutore esse,& nihilominus tutorem dari.itaque detentus est in tutela. D

XXIX. IDEM.

SI peregre agant,qui tutores, vel curatores dati sunt, vt intra dies triginta notum his à magistratib⁹ fiat, diuus Marcus rescripsit.

QVI PETANT TVTORES VEL curatores,& ubi petantur. Tit. VI.

MODESTINVS lib. IIII. πανδεκτῶν.



Atris sollicitudo in petendis filio tutoribus, non etiam curatorib⁹ obseruatur:nisi quo casu impuberi curator petendus est. E

II. IDEM lib. I. Excusationum.

Lex Graca. SI minores nō habeant legitimos defensores: siquidem tutoribus egeant ob impuberem ætatem, possunt cognatione, aut adfinitate propinqui parentibus eorum masculis, aut fœminis petere, vt eis tutores constituantur. Possunt id quoque parentum amici, & ipsorum puerorum educatores. Sed alij libera voluntate petunt, alij id facere cogūtur,mater puta,& liberti. Namque illa,nisi legitimos liberis defensores petat,damno,hi pœna plectuntur. Etenim mater expellitur à legitima filij hæreditate, tanquam indigna ex eius bonis legitimam portionem consequi, cui tutorem quærere neglexerit. Neque solum si non petat, F sed & si quem petat,defunctoriè petat, vtpote eum, qui se potest excusare,vel eo postea aut excusato, aut reiecto alium non petat,vel dedita opera malos petat. Liberti verò apud Præsidem ob hanc caussam accusati grauiter puniuntur,si id negligentia aut vitio omisisse videantur. Quę de matre scripta sunt, Seueri epistola constant, cuius verba infra scripsim⁹, DIVVS SEVERVS CVSPIO RVFINO. Omnem me rationem adhibere subueniendis pupillis,cùm ad curam publicam pertineat, liquere omnibus volo. Et ideo quæ mater, vel non petierit tutores idoneos filiis suis,vel prioribus excusatis,reiectísve, non confestim aliorum nomina dederit,ius non habeat vindicandorum sibi bonorum intestatorum filiorum. Sanè si quis

Ca.2.§. Si mater. Ad senatusconſ. Tertyl.

quis aut creditor, aut legatarius sit, aut qui aliam habeat
A necessariam cum pupillo contentionem, non ipse petet ei tutorem, sed eos rogabit, qui petere possunt, vt petant, aut si ipsi petitionem tardabũt, adito tum Præside rem totam explicabit, vt constituto legitimo tutore lis cum pupillo habeatur. Et hæc quidem de tutorib⁹. Curatores verò ipsi sibi minores petent, si adsunt per se. sin autẽ quis absit per procuratorem. Sed an alius petere curatorem possit, quæritur? & optimus Vlpianus ita scribit, quasi necesse sit ipsum sibi petere, neq; alius possit. Et apud Paulũ libro nono Responsorum ita relatum est. Curatorem ignorãte, nec mandante pupilla, nõ rectè ei à tutore petitum videri, periculumque eorum, quæ curator non iure datus gessit, non
B sine ratione eum, qui petit, cogendum agnoscere. Et alia parte eiusdem libri ita respondit. Si matris iudiciũ princeps secutus, curatores filiæ eius dedit, periculum administrationis eorum eam respicere debere. Qui quomodocumque per excusationem tutela liberati sunt, non habent necesse tutorem pupillis petere, vt Seueri & Antonini constitutione continetur.

III. PAVLVS.

Decreto decurionum & ipsum magistratum curatorem dari potuisse, respondi.

Mater, quæ tutorem non petiit confirmari, vel in locum excusati alium dari cùm alius non superesset, perdit successionem filii: non id
C *quod ei debetur ex testamento mariti, nec sibi imputatur, si vt suspectum non petiit remoueri.* Bartolus.

IIII. TRIPHONINVS *lib.* VII. *Disputationum.*

Credendum est, & eam matrem constitutione contineri, quæ tutores à patre non legitimè testamento vel codicillis datos filiis impuberibus, non postulauit decreto confirmari. sin autem pluribus tutoribus idoneis datis, vnus eorum vel decessit, vel temporalem excusationem accepit: mater, quæ propterea in locum illius alium non petit, quia numerus reliquorũ administrationi tutelæ sufficiebat: incidit quidem in verba constitutionis, sed sententia excusatur. Sed si suspecto tutore pupilli accusato, decretum erit, ei adiungi alios: mater eos quoque petere debet: & si nõ petit, incidet in sententiam constitutionis.

Hæc autem mater ab omni quidem bonorum vindicatione inteſtatorum filiorum repellitur. Si verò maritus ei fideicommiſſum à filio reliquerit, cui mulier non petiit tutorem, SI SINE LIBERIS DECESSERIT, vel ſub hac ipſa conditione, SI INTESTATVS MORTVVS ERIT: fideicōmiſſi petitio, quę ex alieno iudicio deſcēdit, nō eſt perempta. Quæ autē ſuſpectū tutorem nō fecit: nec verbis, nec ſententia cōſtitutionis in pœnā incidit: quod eiuſmodi facta diiudicare, & æſtimare, virilis animi eſt. & poteſt etiā delicta ignorare mater: ſatiſque eſt eam petiſſe talem, qui inquiſitione per prætorem habita, idoneus apparuit. & ideo nec iudiciū eius ſufficit ad eligendos tutores: ſed inquiſitio fit, etiā ſi maximè in propria bona liberis ſuis teſtamento tutores dederit. D E

DE ADMINISTRATIONE ET *periculo tutorum & curatorū, qui geſſerunt uel non: & de agentibus, uel cōueniendis uno uel pluribus.* Tit. VII.

Tutor cogitur adminiſtrare, & ad eum ſpectat periculū, ex quo ſcit ſe datum. Bartolus.

VLPIANVS.

Gerere atq; adminiſtrare tutelam extra ordinē tutor cogi ſolet. Ex quo ſcit ſe tutorem datū, ſi ceſſet tutor, ſuo periculo ceſſat. id enim à diuo Marco conſtitutū eſt: vt qui ſcit ſe tutorem datū, nec excuſationē (ſi quam habet) allegat intra tēpora præſtituta: ſuo periculo ceſſet. F

Tutor poteſt defendere pupillum per ſe, vel ei ſe defendenti authorari, prout elegerit ipſe: ſed curator poteſt defendere adultum per ſe, vel ei defendenti authorari, prout elegerit actor. Item tutor & curator poſſunt agere, vel agentibus authorari, prout ipſi elegerint. Et eſt ſolennis & magiſtralis caſus. Bartolus.

Sufficit tutoribus ad plenā defenſionem: ſiue ipſi iudicium ſuſcipiant, ſiue pupillus ipſis authoribus. nec cogendi ſunt tutores cauere, vt defenſores ſolent. licentia igitur erit: vtrum malint ipſi ſuſcipere iudiciū, an pupillum exhibere,

hibere, vt ipſis authoribus iudicium ſuſcipiatur. ita tamen, vt pro his, qui fari non poſſint, vel abſint, ipſi tutores iudicium ſuſcipiant: pro his autem, qui ſupra ſeptimũ annum ætatis ſunt, & præſto erunt, authoritatem præſtent.

A

In cauſſis autem adultorum licentia erit agentibus, vel ipſum adultum præſentem in iudicium vocare, vt conſenſu curatoris conueniatur: vel contra curatorem agere, vt ipſe litem ſuſcipiat. In abſentibus autem adultis omnimodo contra curatorem agendum. Non denegari autem, neque tutoribus, neque curatoribus debet, etiam debitores pupillorum vel adultorum ex perſona ſua reſpectu officij in iudicium vocare: vel illis hoc faciẽtibus, ſuum accommodare conſenſum.

B

Iudicati actio non datur contra tutorem, niſi ſe liti obtulerit: ſed contra pupillum, niſi ab hæreditate, cuius cauſſa eſt condemnatus, ſe abſtinuerit. Bartolus.

II. IDEM.

Siue tutor condemnauit, ſiue ipſe condemnatus eſt: pupillo, & in pupillum potius actio iudicati datur: & maximè, ſi ideo ſe liti obtulit, quod non poſſet vel propter infantiã, vel propter abſentiã author eſſe ei ad accipiendũ iudiciũ. & hoc etiam diuus Pius reſcripſit: & exinde multis reſcriptis declaratũ eſt, in pupillum dãdam actionẽ iudicati ſemper, tutore condẽnato: niſi abſtineat. tunc enim nec in tutorem, nec in pupillum dari, nec pignora tutoris accipienda eſſe, ſæpe reſcriptum eſt. Amplius Marcellus libro viceſimo Digeſtorum ſcribit. & ſi ſatiſdedit tutor, mox abſtinuit pupillus: fideiuſſoribus quoque eius debere ſubueniri. ſed ſi pupillus non abſtinuit: quemadmodum ipſi, ita & fideiuſſoribus eius ſubueniri: maximè, ſi pro abſente pupillo, vel pro infante ſatiſdederit.

C

Ex pluribus tutoribus, vel curatoribus quilibet poteſt adminiſtrare: & vni erit decernenda adminiſtratio per iudicem. vel ſi vni erat decreta per teſtatorem, ille adminiſtrabit: & alii non gerentes tenentur ad ea, quæ hic exponuntur in textu. Bartolus.

III. IDEM.

SI plures curatores dati ſunt: Pomponius libro ſexageſimo octauo ad edictum ſcripſit, ratum haberi debere, etiam quod per vnum geſtum eſt. nam & in furioſi curato-

ribus, ne vtilitates furioſi impediantur, prætor vni eorum curationem decernet: ratumq́ue habebit, quod per eum ſine dolo malo geſtum eſt. Si parens vel pater, qui in po D teſtate habet, deſtinauit teſtamento, quis tutorum tutelam gerat: illum debere gerere prætor putauit. meritoq́ue patris ſtatur voluntati, qui vtique filio rectè proſpexit. tantumdem prætor facit & de his, quos parens deſtinauit teſtamento, aut confirmauit. vt ſi parens, quem velit tutelam adminiſtrare, declarauit: ille ſolus adminiſtret. cæteri igitur tutores non adminiſtrabunt: ſed erunt hi, quos vulgo honorarios appellamus. nec quiſquam putet ad hos periculum 'nullum' redundare. conſtat enim hos quoque, excuſſis prius facultatibus eius, qui geſſit, conueniri oportere. dati ſunt enim quaſi obſeruatores actus ei⁹ & cuſtodes: E imputabiturq́ue eis quãdoque, cur ſi malè eũ conuerſari videbant, ſuſpectum non fecerint? Aſſiduè igitur, & rationem ab eo exigere eos oportet, & ſollicitè curare, qualiter conuerſetur: & ſi pecunia ſit, quæ deponi poſſit, curare, vt deponat ad prædiorum comparationem. blandiuntur enim ſibi, qui putant honorarios tutores omnino non teneri. tenentur enim ſecundum ea, quæ ſuprà oſtendimus.

In P.F. eſt ſignũ tale ' 'quod expũctionẽ ſignificat.

Ex cauſſa receditur à voluntate defuncti, & alii quam teſtator dixit, adminiſtratio conceditur. idem in curatore. & ſi teſtator non dixerit, vnus eligitur. Bartolus.

Quamuis autem ei potiſſimum ſe tutelam commiſſurũ F prætor dicat, cui teſtator delegauit: attamen nonnunquam ab hoc recedetur. vtputa ſi pater minus perpenſo conſilio hoc fecit, fortè minor viginti quinque annis: vel eo tempore fecit, quo iſte tutor bonæ vitæ vel frugi videbatur, deinde poſtea idem cœpit malè conuerſari, ignorante teſtatore: vel ſi contemplatione facultatũ eius res ei cõmiſſa eſt, quibus poſtea exutus eſt. nam & ſi vnũ pater tutorẽ dederit, nonnunquã ei adiunguntur curatores. nam Imperator noſter cum patre reſcripſit, cùm duos quis libertos ſuos tutores dediſſet, vnũ rerũ Italicarum, aliũ rerũ Africanarum, curatores eis adiungẽdos: nec patris voluntatem ſecuti ſunt. Quod in tutoribus reſcriptũ eſt, & in curatoribus erit obſeruandũ, quos pater teſtamento deſtinauit

à prætore

à prætore cõfirmãdos. Apparet igitur prætori curæ fuis-
A se,ne tutela per plures administretur.quippe & si pater nõ
destinauerit, quis gerere debeat: attamen id agit, vt per v-
num administretur.sanè enim facilius vnus tutor & actio-
nes exercet,& excipit, ne per multos tutela spargatur.

*Tutores possunt vni ex eis administrationem committere, vel omnes simul gerere,vel diuidere.*Bartolus.

Si non erit à testatore electus tutor , aut gerere nolet: tunc is geret, cui maior pars tutorum tutelam decreuerit. prætor igitur iubebit eos conuocari : aut si non coibunt, aut coacti non decernent : caussa cognita ipse statuet, quis tutelam geret.planè si non cõsentiant tutores prætori, sed velint omnes gerere : quia fidem non habeant electo , nec
B patiuntur vt succedanei sint alieni periculi:dicendum est, prætorem permittere eis omnib' gerere.Item si diuidi inter se tutelam velint tutores, audiendi sunt : vt distribuatur inter eos administratio.

IIII. IDEM *lib.* IX. *ad edictum.*

VEl in partes,vel in regiones:& si ita diuisa fuerit: vnusquisque exceptione submouebitur pro ea parte, vel regione,quam non administrat.

*Dictum determinatur secundum suam caussam.*Bartolus.

V. IDEM *lib.* XXXV. *ad edictum.*

ITa autem depositioni pecuniarum locus est,si ea summa corradi possit, vt inde ager cõparari possit. si enim tam
C exiguam esse tutelam probabitur,vt ex numo refecto,prędium puero comparari non possit:depositio cessat quæ ergo tutelæ quantitas depositionem inducat , videamus. & cũ caussa depositionis exprimatur,vt prædia pupillis comparentur : manifestum est , vt ad minimas summas non videatur pertinere, quibus modus præfiniri generaliter non potest: cùm facilius caussa cognita per singulos possit examinari . nec tamen auferenda facultas est , etiam minores summas interdum deponi postulare,si suspecti tutores esse videantur.

Gessisse dicitur , qui modicum attigit per se vel per alium : & si cessat, vt suspectus poterit accusari : & qui non gessit, tenetur vtili, Bartolus.

Gessisse autem videtur tutor,qui quid omnino pupilla-

re attigit, etiam ſi modicum: ceſſántque partes eorum, qui ſolent ceſſantes cogere adminiſtrare. quod ſi poſtea, quàm geſſit, tunc ſe geſtu abſtinuit: etiam ſuſpecti poſtulatio ſuc cedit. Quod ſi quis tutelam mandauerit gerendam, geſtáque fuerit ab eo, cui mandatum eſt: locus erit tutelę actioni. geſſiſſe enim videtur, & qui per alium geſſit. quod ſi nõ acceſſit is, cui mandatum eſt: vtili actione conuenitur. D

Debitor patris, qui tutelam adminiſtrauit filij, tutelæ iu dicio tenebitur etiam ob id, quod patri debuit. Si tutor pupillum ſuum puberem factum non admonuerit, vt ſibi curatores peteret: (ſacris enim conſtitutionibus hoc facere iubetur, qui tutelam adminiſtrauit) an tutelæ iudicio teneatur? & magis puto, ſufficere tutelæ iudicium, quaſi connexum ſit hoc tutelæ officio, quãuis poſt pubertatem admittatur. E Poſt completum viceſimumquintum annum ætatis, ſi nondum rationes redditæ ſunt, nec ad cauſſam pertinentia inſtrumenta: fidei ac verecundiæ curatorum conuenit, vt conſilio ſuo cœptam litem perficiant. ſi igitur ceſſent in his, quæ conſtituta ſunt, faciendis: magis puto, ſufficere negociorum geſtorum iudicium, etiam ſi iam actum ſit: ſi tamen huius rei ratio reddita non eſt. Iulianus libro viceſimo primo Digeſtorũ huiuſmodi ſpeciem proponit. Quidam decedens filiis ſuis dederat tutores, & adiecerat, EOS ἈΝΕΚΛΟΓΊΣΤΟΥΣ ESSE VOLO. & ait Iulianus, tutores, niſi bonam fidem in adminiſtratione præſtiterint, damnari debere: quamuis teſtamento comprehenſum ſit, vt ἀνεκλόγιστοι eſſent. ſed nec eo nomine ex cauſſa fideicommiſſi quicquam conſequi debebunt, vt ait Iulianus. & eſt vera iſta ſententia. nemo enim ius publicum† remittere poteſt huiuſmodi cautionibus, aut mutare formam antiquitus cõſtitutam. damnum verò quodcunque ex tutela quis ſenſerit, & legari & per fideicommiſſum ei relinqui poteſt. Papinianus libro quinto Reſponſorum ita ſcribit. pater tutelam filiorum conſilio matris geri mãdauit, & eo nomine tutores liberauit. non idcirco minus officium tutorum integrum erit. ſed viris bonis conueniet, ſalubre conſilium matris admittere: tametſi neque liberatio tutoris, neque voluntas patris, aut interceſſio matris tutoris officium infringat. Vſque adeo autem licet tutoribus F

†Vnde & pupillorũ cauſſã cõmunẽ omniũ cauſſã appellat Cicero Act. 3. in Verrem

toribus patris præceptum negligere: vt si pater cauerit, ne
A quid rei suæ distraheretur, vel ne mãcipia, ne vestis, ne domus, ne aliæ res periculo subiectæ: liceat eis contemnere hanc patris voluntatem. Ex quo innotuit tutori, se esse tutorem: scire debet, periculum tutelæ ad eum pertinere. innotescere autem qualiter qualiter sufficit, non vtique testatò eum conueniri. nam & si citra testationem, scilicet vndecunque, cognouerit: nulla dubitatio est, quin debeat periculum ad ipsum respicere.

VI. IDEM.

HOc autem, quod cognouerit tutor, pupillus probare debet.

Contra tutorem, qui non facit inuentarium absque caussa, iuratur in litem: & antequam faciat, non potest administrare, nisi quæ di-
B *lationem non recipiunt* Bartolus.

VII. IDEM *lib.* XXXV. *ad edictum.*

TVtor, qui repertoriũ nõ fecit, quod vulgo inuentariũ appellatur, dolo fecisse videtur: nisi fortè aliqua necessaria & iustissima caussa allegari possit, cur id factũ non sit. Si quis igitur dolo inuentarium non fecerit: in ea conditione est, vt teneatur in id, quod pupilli interest: quod ex iureiurando in litem æstimatur. Nihil itaq; gerere ante inuentarium factum eum oportet: nisi id, quod dilationem nec modicam expectare possit.

Nimia festinantia vel negligentia tutoris in rebus pupilli ven-
C *dendis punitur.* Bartolus.

Si tutor cessauerit in distractione earũ rerum, quæ tempore depereunt: suum periculum facit. debuit enim confestim officio suo fungi. Quid si contutores expectauit differentes, vel etiam volentes se excusare, an ignoscatur ei? & nõ facilè ignoscetur. Debuit enim partibus suis fungi, non quidẽ præcipiti festinatione, sed nec moratoria cũctatione†. Cõpetet aduersus tutores tutelæ actio, si malè contraxerunt, si prędia non idonea comparauerũt per sordes, aut gratiã. Quid ergo, si neque sordidè neque gratiosè: sed non bonam conditionem elegerint? rectè quis dixerit, solam latam negligentiam eos præstare hac in parte debere.

Si tutor pecuniam pupillarem ociosam relinquit, vel in vsus suos conuertit, tenetur eius pecuniæ vsuras præstare.

† *Multa in hanc sententiã grauiter et copiosè* Erasm' *chiliadis secũdæ, prouerbio.* I.

Si post

Si post depositionem pecuniæ comparare prædia tutores neglexerunt: incipient in vsuras conueniri. quanquã e- D
nim à prætore cogi eos oportet ad cõparandum: tamen si cessent, etiã vsuris plectendi sunt tarditatis gratia: nisi per eos factũ non est, quo minus cõpararent. Pecuniæ, quam in vsus suos verterũt, tutores legitimas vsuras præstãt. sed hoc ita demũ, si euidenter doceantur, pecuniã in vsus suos vertisse. Cæterùm non vtiq;, qui non fœnerauerit, vel non deposuerit, in suos vsus vertit. & ita diuus Seuerus decreuit. doceri igitur debet, in vsus suos pecuniã vertisse. Vertisse in suos vsus accipimus eum, qui debitor patris pupilli fuit, deinde ipse sibi non soluit. hic enim eas vsuras pręstabit, quas patri promiserat. Si tutor pecuniã pupillarem suo nomine fœnerauit: ita demũ cogetur vsuras, quas E
percepit, pręstare: si suscipiat pupillus cęterorũ nominum periculum. Si deponi oporteat pecunias ad prædiorum comparationẽ: si quidem factũ est: vsuræ non current. sin verò factũ non est: si quidem nec præceptum est, vt deponantur: pupillares præstabũtur. si præceptum est, & neglectum: de modo vsurarũ videndum est. Et solent prætores cõminari: vt si non fiat depositio, vel aliquãto tardius fiat, legitimæ vsuræ præstentur. si igitur cõminatio intercessit: iudex, qui quãdoq; cognoscet, decretum prætoris sequetur. Idem solẽt facere prætores etiã circa eos tutores, qui negant haberi ad alendos pupillos penes se aliquid: vt quidquid constiterit penes eos esse, eius grauissima vsura F
pẽdatur. & hoc persequi oportere iudicem, palàm est, cum alia etiam pœnæ adiectione. residuarũ autem summarũ pupillares vsuras pendi oportet. Quæ sint autem pupillares vsurę, videndũ est. & apparet hanc esse formã vsurarũ: vt eius quidẽ pecuniæ, quam quis in vsus suos cõuertit, legitimam vsuram præstet. Sed & si negauit apud se esse pecuniam, & prætor pronunciauit contra eum: legitimã soluere debebit. vel si morã depositioni fecit, & prætor irrogauit ei legitimas. Sed & si, dum negat aliquã quantitatem penes se esse, pupillis ad onera sua expedienda imposuit necessitatẽ mutuã pecuniam legitimis vsuris accipiẽdi: tenebitur in legitimis.. itẽ si à debitoribus legitimas exegit. Ex cæteris caussis secundũ morẽ prouinciæ pręstabit vsu

ras, aut

ras,aut quicũces,aut triẽtes,aut si quę alię leuiores in pro
A uincia frequẽtantur. Vsuræ à tutoribus nõ statim exigun
tur,sed interiecto tẽpore ad exigendũ & ad collocandum
duorũ mensium;idq; in iudicio tutelæ seruari solet. quod
spaciũ seu laxamentũ temporis tribui non oportet his,qui
numos impuberũ vel adolescentiũ in suos vsus conuerte-
runt. Si vsuras exactas tutor vel curator vsibus suis reti-
nuerit: earũ vsuras agnoscere eũ oportet, sanè enim parui
refert,vtrũ sortẽ pupillarẽ,an vsuras in vsus suos conuer-
terit. Pecuniæ,quæ in arca fuit,etiã hæredes tutoris tan-
diu vsuras præstabũt,quãdiu non interpellauerint,vt loco
defuncti curator cõstituatur. Si tutor pro cõtutore con-
demnetur:an etiam in vsuras condemnandus sit,quæritur?
B & placet(vt multis rescriptis cõtinetur,& Papinianus lib.
duodecimo Quæstionũ ait)etiam in vsuras eum condẽnan
dum, si suspectũ facere supersedit: & quidem eas demum
vsuras cogendum præstare, quas ex sua etiam administra-
tione cogeretur. Sciendum est,tutorem & post officium
finitum vsuras debere in diem,quo tutelam restituit.

Tutor tenetur restituere pecuniam, quã credidit aduentente die: nisi in credendo non potuit sibi culpa imputari. Bartolus.

VIII. IDEM.

SI tutelæ agat is,cuius tutela administrata est: dicẽdum est, nonnunquam diem creditæ pecuniæ exspectãdam: si fortè tutor pecunias crediderit pupilli nomine, quarum
C exigendarum dies nondum venit. sanè quod ad pecunias attinet:ita demum est,si potuit & debuit credere. cæterùm si non debuit credere:non exspectabitur.

Tutor debet facere pupillo,si potest,vt quæratur directa: alias actionem vtilem quæri sufficit. Bartolus.

IX. IDEM.

QVoties tutor pecuniam pupillarẽ fœnori dat: stipulatio hoc ordine faciẽda est. stipulari enim debet aut pupillus,aut seruus pupilli. quod si neq; pupillus eius ætatis erit,vt stipulari possit,neq; seruũ habebit: tunc ipse tutor, quíve in eius potestate erit. Quo casu Iulianus sępissimè scripsit,vtilẽ actionẽ pupillo dandã. sed & si absens sit pupillus:oportere tutorem suo nomine stipulari.

Debitum ex alia caussa, in actionem tutelæ deuoluitur, si tutor debuit

debuit & potuit soluere, & pupilli interest quod in actionem illam deuoluatur. Bar.

Nequaquam ambigẽdum est, si paterfamiliâs eum, pro quo fideiussit, tutoré dederit filio suo: officio tutoris cõuenire, vt cũ dies pecuniæ præteriit, creditori debitũ soluat. Et ideo cessante eo, si pupillus suæ tutelæ factus, soluerit ex caussa fideiussoria: non solũ mandati, sed etiã tutelæ agere poterit. hoc enim ei imputatur, cur pro se non soluerit, quod si in diem debitor fuit iste tutor: quibusdã videtur nõ venire in tutelæ iudicium, si modò is dies post tutelam finitam superuenit. quòd si dies adhuc durãte tutela venit: putant omnimodo deuolui in tutelæ iudicium. Ego & hoc & superius ita verum puto, si facultatibus labi tutor cœpit. cæterũ si idoneus tutor fuerit: nihil venire in tutelæ iudicium. nec quisquam putet, nullum effectũ hoc habere. namque si quis dixerit in tutelæ iudicium deuolui: & priuilegio locus est, & fideiussores tenebuntur, si rẽ saluam fore cautum est. D E

Si tutor permittit expirare actionem temporalem, quam pupillus contra ipsum habet, efficitur perpetua actio tutelæ: quia à se exigere debet tutor sicut ab aliis.

Item si temporali actione fuit obligatus tutor: dicendum est, locum esse in tutelę iudiciò, vt perpetua actĩo sit. Et generaliter quod aduersus alium præstare debuit pupillo suo, id aduersus se quoque præstare debet, fortassis & plus. aduersus alios enim experiri sine actione non potuit, aduersus se potuit. Sed si sub vsuris grauioribus patri pupilli pecuniam debuit, quàm sint pupillares: vidẽdum est, an ei aliquid imputetur? Et si quidem soluit: nihil est, quod ei imputetur. potuit enim soluere, nec onerare se vsuris. si verò non soluit: vsuras cogendus est agnoscere, quas à se exigere debuit. F

Tutor potest sibi & aliis soluere. debet enim bonam fidem agnoscere. Bar.

Sicut autem soluere tutor, quod debet: ita exigere à pupillo, quod sibi debetur, potest: si creditor fuit patris pupilli. nám & sibi soluere potest, si modò fuerit pecunia, vnde soluat. & si vsuræ fuerunt grauiores, quæ ei debebãtur, releuabitur eis pupillus: quia tutor se potuit liberare,

sicut

ſicut aliis quoque ſoluere, & potuit, & debuit. Nec vtiq; neceſſe habet, ſi conueniatur per iudicem, ſemper ſoluere.
A tueri enim debet cauſſam pupilli, ſi iuſta eſt. Idcirco quoque, ſi mala cauſſa pupillaris eſt, denunciari verũ ſibi debet. Denique Imperator Antoninus cũ patre ſuo, etiam eos honoraria imputare pupillo prohibuit, ſi ſuperuacaneam litem inſtituiſſent, cũ conuenirentur à vero creditore. Nec enim prohibétur tutores bonam fidem agnoſcere.

Tutor poteſt à pupillo mutuo accipere, & ſeipſum debitorem aſſcribere. Bar.

Non tantũ autem ſibi ſoluere tutor, verum etiã ſibi creditam pecuniam ſcribere (vt Marcellus libro octauo Digeſtorum ſcripſit) ſeque mutua pecunia poterit obligare,
B ſibi mutuam præſcribendò.

Tutor datus patrimonio ſuperuenienti non tenetur de anteriori: ſed prior tenetur de augmento obuenienti Bar.

Conſtat autem eum, qui ad augumentum datur (vtputa ad bona materna, quę poſtea acceſſerũt, vel ad aliud quod augumentum) adminiſtrare bona priſtina non ſolere. Si autem ſuſpectum facere priorem tutorem ſuperſedit, vel ſatis ab eo exigere, plectetur. Per contrarium autem, qui datus eſt ſimpliciter tutor pupillo vel curator, ſi quid poſtea augumenti acceſſerit, periculo tenetur: quamuis ſolet ad augumentum dari curator. quæ res non facit, vt ipſa augumẽta non pertineant ad curam priorum, ad quos omnis
C vtilitas pupillorum debet pertinere. Siue igitur datus eſt, communicatur periculum cũ prioribus: ſiue datus nõ eſt, tenetur adminiſtrationis neceſſitate is, qui antea erat dat⁹.

Tutor non videtur defendere, qui non facit ea, quæ faceret quilibet legitimè defendens.

X. IDEM.

GEneraliter quotieſcunque non fit nomine pupilli, quod quiuis paterfamiliâs idoneus faceret, non videtur defendi. ſiue igitur ſolutionem, ſiue iudicium, ſiue ſtipulationem detrectat: defendi non videtur.

In rebus emptis per tutorem, qui eſt inuentus ſeruus: dominus nõ habet ius deductionis Bar.

XI. IDEM.

CIrca pupillum, cuius tutor ſeruus erat pronunciatus, diuus

diuus Pius reſcripſit: in rebus quas ex pecunia pupilli ſeruus comparauerat, dominum nō poſſe vti prærogatiua deductionis. quod & in curatore obſeruandum eſt. D

XII. PAVLVS.

CVm plures tutelam gerunt, nulli eorum in contutoré actio pupilli nomine datur. Quæ bona fide à tutore geſta ſunt, rata habētur etiā ex reſcriptis Traiani & Hadriani. & ideo pupillus rem à tutore legitimè diſtractam, vindicare non poteſt. nam & inutile eſt pupillis, ſi adminiſtratio eorum nō ſeruetur, nemine ſcilicet emente. nec intereſt, tutor ſoluendo fuerit, nec ne: cū ſi bona fide geſta eſt, ſeruanda ſit: ſi mala fide, alienatio non valeat.

Non poteſt tutor propter pupillum ſuo nomine plus expendere. Bartolus. E

Nimium eſt, tutori licere reſpectu exiſtimationis pupilli erogare ex bonis eius, quod ex ſuis non honeſtiſſimè fuiſſet erogaturus.

Circa perſonam pupilli debet tutor expendere quod moribus honeſtati & conditioni pupilli congruit. Bar.

Cū tutor nō rebus dumtaxat, ſed etiam moribus pupilli præponatur: in primis mercedes præceptoribus, nō quas minimas poterit, ſed pro facultate patrimonij, pro dignitate natalium conſtituet: alimenta ſeruis libertisque, nonnūquam etiam extraneis (ſi hoc pupillo expediet) præſtabit: ſolennia munera parentibus, cognatisq; mittet. ſed nō dabit dotem ſorori pupilli alio patre natæ, etiam ſi aliter ea nubere non potuit. nam & ſi honeſtè, ex liberalitate tamen fit, quæ ſeruanda arbitrio pupilli eſt. Si tutor pecuniam pupillarem credere non potuit, quod nō erat, cui crederet: pupillo vacabit. F

XIII. CAIVS *lib.* XIII. *ad edictum prouinciale.*

TVtor ſecundum dignitaté facultatesque pupilli modum ſeruorum æſtimare debet, qui circa eum futuri ſunt.

Quod quis facit de ſuo, præſumēdum eſt quod potuerit facere de alieno. Bart.

Non eſt audiendus tutor, cū dicat ideo ceſſaſſe pupillarem pecuniam, quod idonea nomina non inueniret: ſi arguatur, eo tempore ſuam pecuniam benè collocaſſe.

Tutor

Tutor debet ſoluere debita, & expenſas neceſſarias facere, & cõ-
A *tutores ſuſpectos arguere: expenſas verò quæ in donationem caderẽt facere non poteſt. Bar.*

In ſoluendis legatis & fideicommiſſis attendere debet tutor, ne cui non debitum ſoluat. ſed nec nuptiale munus matri pupilli vel ſorori mittere debet. aliud eſt, ſi matri fortè aut ſorori pupilli tutor ea, quæ ad victum neceſſaria ſunt, præſtiterit, cũ ſemetipſas ſuſtinere non poſſent. nam ratum id habendũ eſt. nec enim eadem cauſſa eſt eius, quod in eam rem impenditur. & quod muneris legatorúmue nomine erogatur.

XIIII. PAVLVS.

ETiam contutoris factum imputatur collegæ, ſi potuit
B & debuit ſuſpectum facere. interdum & ſi debuit ſatis petere. nam ſi idoneus ſubitò lapſus ſit, nihil collegæ imputari poteſt.

Negligentia in non conueniendo debitores, & in non mutuando pecuniam, imputatur tutori. Bar.

XV. IDEM.

SI tutor conſtitutus, quos inuenit debitores, non conuenerit, ac per hoc minus idonei efficiantur: vel intra ſex primos menſes pupillares pecunias non collocauerit: ipſe in debitam pecuniam, & in vſuras eius pecuniæ, quam non fœnerauit, conuenitur.

Si in eadem adminiſtratione plura nomina contrahantur ad pe-
C *titionem adminiſtrantis: debet dominus vel omnia agnoſcere, vel omnia repudiare. Bar.*

XVI. IDEM.

CVm quæreretur iudicio tutelæ, quæ nomina à tutore facta, agnoſcere pupillus deberet: Marcell⁹ putabat, ſi tutor pecuniam pupilli mutuam dediſſet, & ſuo nomine ſtipulatus eſſet: poſſe dici, nomina integra pupillo ſalua eſſe, deperdita & malè contracta ad tutorem pertinere. ſed verius eſſe putarim: poſſe tutorem eam conditionem adoleſcenti deferre, vt id, quod geſſiſſet tutor in contrahendis nominibus, aut in totum agnoſceret, aut à toto recederet: ita vt perinde eſſet, ac ſi tutor ſibi negocium geſſiſſet. Idé eſt & ſi pupilli nomine crediſſet.

Tutor tenetur à tempore quo iuſſus eſt adminiſtrare, ſi ante ignoratus.

rauit.Bar.

XVII. POMPONIVS. D

QVi iuſſus eſt ab eo,qui ius iubendi habet, tutelam gerere, ſi ceſſat: ex quo iuſſus eſt,indemnem pupillum præſtare debebit,non ex quo tutor eſſe cœpit.

Tutela poteſt geri,& tutor obligari, licet in nullo actu interponatur authoritas. Bar.

XVIII. IVLIANVS.

QVi tutor negocia pupilli geſſit: quamuis in nulla re author pupillo fuerit: quin tutelæ iudicio teneatur, dubitari nõ oportet. Quid enim prohibet,ita patrimonium pupilli compoſitum eſſe,vt nihil gerere neceſſe ſit,in quo tutoris authoritas interponi debeat? Ex duobus tutoribus, ſi cũ altero actum fuerit, alter non liberabitur. E

*Durante adminiſtratione non tenetur quis reddere rationem collegæ,ſed eum ad adminiſtrationem admittere.*Bar.

XVIIII. VLPIANVS *lib.*II.*Reſponſorum.*

ACtus ſui rationem tutorem contutori reddere non eſſe compellendum:ſed niſi cũ eo adminiſtrationẽ cõmunicet,aut ex fide curam gerat,ſuſpectũ poſtulari poſſe.

Tutor qui ſuccumbit in excuſatione, tenetur ex quo debuit gerere.Bartolus.

XX. IDEM.

TVtor vel curator, cuius iniuſta appellatio pronunciata fuerit,cuiusúe excuſatio recepta nõ ſit:ex quo accedere ad adminiſtrationem debuit,erit obligatus. F

*Si pater conſentit filio,qui adminiſtrat vt teſtamentarius:non obligatur,niſi de peculio,& de in rem verſo.*Bar.

XXI. MARCELLVS *lib ſingulari Reſponſorum.*

LVcius Titius Caium Seium filiumfamiliâs teſtamento filio ſuo tutorem dedit. Caius Seius ſciente & cõſentiente patre tutelam adminiſtrauit.quæro, an defuncto Caio Seio actio tutelæ aduerſus patrem eius, & in quantũ competat? Marcellus reſpondit.ſecundum ea,quæ propoſita eſſent, actione de peculio, & de in rem verſo patrem teneri. nec multum videri in hoc caſu facere patris ſcientiam & conſenſum ad obligandum eum in ſolidũ: niſi fortè contutore,vel quo alio volente eum facere ſuſpectum, interceſ-

intercessisset,& quasi in se periculum recepisset.

XXII. PAVLVS.

A Tutor ad vtilitatem pupilli,& nouare,& rem in iudicium deducere potest.donationes autem ab eo factę pupillo non nocent.

Tutor non debet cauere de rato, nisi de eius potestate dubitetur. Bartolus.

XXIII. VLPIANVS.

Vulgo obseruatur, ne tutor caueat ratam rem pupillũ habiturum,cũ rem in iudicium deducit.quid tamen, si dubitetur,an tutor sit,vel an duret tutor,vel an gestus illi commissus sit?æquum est,aduersarium non decipi.idem & in curatore est,vt Iulianus scribit.

B *Ex caussa constituitur actor per tutorem decreto iudicis.Bar.*

XXIIII. PAVLVS.

Decreto prætoris actor constitui periculo tutoris solet, quoties aut diffusa negocia sunt, aut dignitas, vel ætas,aut valetudo tutoris id postulat. si tamen nondũ fari pupillus potest,vt procuratorem facere possit,aut absens sit:tunc actor necessariò constituendus est. Si duobus tutela simul gerenda permissa est,vel à parente,vel à contutoribus,vel à magistratibus:benignè accipiẽdum est, etiã vni agere permissum:quia duo simul agere nõ possunt.

Auxilium ordinarium non impedit extraordinarium quando cõpetit contra diuersos. Item beneficium restitutionis potest in alios per cessionem transferri.Bar.

C

XXV. VLPIANVS.

Si minoris actum fuerit cũ tutoribus, adsistentibus curatoribus,& pupillus ob hoc egerit cũ curatoribus, & ei sint condemnati in id,quod sua intererat, minoris eorũ culpa tutores condemnatos non esse : an restitutio aduersus tutores cesset?& Papinianus libro secundo Responsorum ait,nihilominus posse restitui. & idcirco curatores, si nondum iudicatum fecerint, posse prouocantes per exceptionem doli consequi,vt eis mandentur aduersus tutores actiones.quid tamen si iam fecerunt iudicatum curatores? hoc proderit tutoribus: quoniam nihil minori abest, qui de præda magis, quàm de damno solicitus est : nisi fortè mandare actiones paratus sit curatoribus.

XXVI. PAVLVS.

CVm curatore & pro tutore, etiam manente administratione, agi potest. D

XXVII. IDEM.

TVtor, qui tutelam gerit, quantum ad prouidentiam pupillarem, domini loco haberi debet.*

*Per contrariũ pupillus loco seruus habetur. Nã (vt inquit Paulus ad Galatas, cap. 4.) quandiu hæres puer est, nihil differt à seruo, cùm sit domin' omniũ, sed sub tutoribus & actoribus est vsq; ad tempus, quod pater præscripserit.

Finita tutela finiuntur satisdationes iudiciales. Bar.

XXVIII. MARCELLVS *lib.* VIII. *Digestorum.*

TVtor pro pupillo in iudicium vocatus, solénitèr cauit. si intra moras puer ad pubertatem peruenit, non est cogendus accipere iudiciũ. Tutor, qui post pubertatem pupilli negociorum eius administratione abstinuit, vsuras præstare non debet, ex quo obtulit pecuniam. quinetiam iustius videtur mihi eum, per quem non stetit, quò minus cõuentus restitueret tutelam, ad præstationem vsurarum non compelli. VLPIANVS NOTAT. non sufficit obtulisse, nisi & deposuit obsignatam tuto in loco. E

XXVIIII. IDEM *lib.* VIII. *Digestorum.*

MAximeque heredem tutoris. nam periniquum est eũ, cui fortè post viginti annos, vel amplius, in mentem venit, tutelam reposcere: etiam vsuras postulare.

XXX. IDEM.

TVtoris pręcipuum est officium, ne indefensum pupillum relinquat.

Donec plures gerunt ex officio publico, tenentur insolidum. secus cũ incipiunt gerere ex priuato. Bar. F

XXXI. MODESTINVS *lib.* VII. πανδέκτων.

DIui Seuerus & Antoninus Augusti Sergio Iuliano. Forma, qua singuli tutores, prout quisque gessit tutelam, nonnunquam insolidum tenentur: dũtaxat intra pubertatis tempora locum habet, non etiam si post pubertatem administrauerint.

Mortuo principali sine hærede tenetur fideiussor ad id, ad quod principalis tenebatur. Bar.

XXXII. IDEM *lib.* III. *Responsorum.*

SIne hærede tutor decessit. quæro. an curator pupillo datus, cũ neque inuentaria, neque alia instrumenta à fideiussore tutoris exhibeantur, possit eundem fideiussorem conuenire ex stipulatione, quanti pupilli interest? Modestinus

ſtinus reſpondit.in id, in quod tutor conueniri potuit, fideiuſſorem conueniri poſſe.

A *Tutori non imputatur damnum abſque ſui culpa contingens. Bartolus.*

Modeſtinus reſpondit.dãnum, ſi quod accidit eo, quia cautiones ſoluti vectigalis inuentæ non ſunt:ad tutorem, cuius nulla culpa admiſſa proponitur,minimè pertinere.

In reddenda ratione ſufficit contra tutorem probari quod fructus bona fide percipi potuerunt: licet perceptos per eum non probetur.Bar.

Modeſtinus reſpõdit. tutorem eorum redituum nomine rationem pupillo reddere debere,qui ex fundo bona fide percipi potuerunt. Item reſpondit. ſi minus à ſeruo tutor recepit,quàm bona fide ex fundo percipi potuit: ex B eo,de quo pupillæ ſit obſtrictus,quantum ex peculio ſerui ſeruari poſſit,eidem tutori proficere debere:ſcilicet ſi nõ perdituro ſeruo adminiſtrationem credidit. Interpoſito curatore,adoleſcens fundum Titio vendidit. poſtea agnita fraude,in integrum reſtitutus, in poſſeſſionem induci iuſſus eſt.quæro,an cũ ex hac venditione melior factus non ſit,neque in rem ſuam quicquã verſum probetur:precium emptori reſtituere non debeat? Modeſtinus reſpondit. precium fundi ab adoleſcente venundati,ſi rationibus eius non profuit,nec quicquam de eo à iudicante de in integrum reſtitutione ſtatutum eſt: emptorem fruſtra poſtu- C lare. Idem reſpondit. ſumptibus voluptatis cauſſa ab emptore factis,adoleſcentem onerandum non eſſe. quæ tamen ab eodem ædificio ita auferri poſſunt,vt in facie priſtina ædificium eſſe poſſit:emptori auferre permitti oportere.

Conſuetudo quæ reſpicit rem,ſicut ligat maiores, ita & minores. Bartolus.

Lucius Titius cohæres & curator ſororis ſuæ cũ eſſet ex ciuitate,in qua vſitatum erat,ipſos dominos prędiorũ, non conductores, onera annonarum & contributionum tẽporalium ſuſtinere: morem hunc & cõſuetudinem ſemper obſeruatam ſecut⁹,& ipſe pro communi & indiuidua hæreditate annonas præſtitit. quæro,an in rationibus dandis opponi curatori poſſit, quod non rectè pro parte ſororis

tales impenſas fecerit? Modeſtinus reſpondit. id demum curatorem adultæ reputare ex ea cauſſa, de qua quæritur, poſſe: quod ipſa, ſi rem ſuam adminiſtraret, erogare compelleretur. D

Relegatione non finitur tutela, ideo tutor conueniri non poteſt. Bartolus.

Tutores duo poſt venditionem pupillarium rerum factam, pecuniam inter ſe diuiſerant. poſt quam diuiſionem alter eorum in exilium actus eſt, durante tutela. quærebatur, an actore conſtituto, contutor eius partem pupillaris pecuniæ petere ab eo poſſet? MODESTINVS. ſi hoc quæritur, an cũ tutore relegato, cõtutor eius tutelę actionem exercere poſſit? reſpondi. non poſſe.

Tutor tenetur facere illud quod diligens paterfamiliàs facturus eſſet. Bar. E

XXXIII. PAVLVS.

A Tutoribus & curatoribus pupillorum eadem diligẽtia exigenda eſt circa adminiſtrationem rerum pupillarium, quam paterfamiliâs rebus ſuis ex bona fide præbere debet. Officium tutorum curatoribus conſtitutis finem accipit. ideoque omnia negocia, quæ inita ſunt, ad fidem curatorum pertinent: idque etiam diuus Marcus cũ filio ſuo Commodo reſcripſit. Hæredibus quoque pupillorum electio eadem aduerſus tutores, cũ quo potiſſimum conſiſtere velint, competit: quæ ipſis, quorum tutela adminiſtrata fuit. Quemadmodum principalibus cõſtitutionib' declaratur: ſumptuum, qui bona fide in tutelam, non qui in ipſos tutores fiunt, ratio haberi ſolet: niſi ab eo, qui eum dat, certum ſalarium ei conſtitutum ſit. F

XXXIIII. IVLIVS AQVILA *lib. Reſponſorum reſpondit.*

AD inſtruendam diligentiam iudicãtis, & pupillorum vtilitatem, admittẽdum, ſeruos quoque eorum interrogari poſſe.

XXXV. PAPINIANVS.

TVtor ſiue curator nomina, quæ iuſtè putat non eſſe idonea, à tutore priore vel curatore ſuſcipere quidẽ cogitur, non tamen exactionem periculo ſuo facere.

Diuiſio qualitercũque facta non impedit quin de re pertinente ad admi-

ad administrationem vnius, contra alium possit obiici compensatio,
A *& dari petitio.Bar.*

XXXVI. IDEM.

INter tutores diuisa tutela est æquitas, quæ merum ius compensationis inducit, propter officium & personam agentis tutoris non differtur. nam diuisio tutelæ, quæ non iuris, sed iurisdictionis est: modum administrationis facit, & inter ipsos locum habet: nec experiri cũ pupillo volẽtibus obstare debet.

Si variatur conditio personæ gerentis, vel eius cuius negocia ex necessitate geruntur, obligationis conditio variatur.Bar.

XXXVII. IDEM.

TVtorem, qui tutelam gerit, Sabinus & Cassius, prout gerit, in singulas res & tempora, velut ex pluribus
B caussis obligari putauerunt. secundum quam sententiam sicut seruus institor dominicæ mercis, vel præpositus debitis exigendis, si liber factus in eodem actu perseueret (quamuis tempore seruitutis obligari non potuerit) præteriti temporis nomine actione negociorum gestorum nõ inutiliter conuenitur, earum scilicet rerum, quæ connexã rationem cũ his, quæ postea gesta sunt, habuerunt: sic & tutelæ iudicium earum quoque rerũ caussa tenere placuit, quæ post pubertatem administrantur, si posterior actus priori cohæreat, neque diuisus propriam rationẽ habeat. Inde descendit quæstio, quæ vulgo circa filiumfamiliâs
C tractata est, qui tutor testamento datus, post tutelam gestã emancipatus, in eodem officio perseuerauit. & secundum Sabini & Cassij sententiam eueniet, vt de eo quidem, quod post emancipationem gestũ est, in solidum conueniri possit: de præterito autem (siue peculium non sit ademptum, siue ademptum sit) in id, quod facere possit. quod si superioris temporis nomine patrem de peculio pupillus conuenire maluerit (annus enim vtilis, ex quo tutelæ agi posse cœperit, computabitur, ne capiatur pater, inducta totius temporis caussa) tempus, quo filiusfamiliâs tutelam gessit, comprehendendum erit.

Inter tutores contumaciter non gerentes habet locum beneficium diuisionis, non autem cessionis.Bar.

XXXVIII. IDEM.

 Si plu-

SI plures tutelam non administrauerint, & omnes soluendo sint: vtrum, quia nullæ partes administrationis inueniuntur, electioni locus erit: an vt eiusdem pecuniæ debitores, excipere debebunt periculi societatem? quod magis ratio suadet. si quidam ex his idonei non sunt: onerabuntur sine dubio cæteri, nec iniquè: cũ singulorum cõtumacia pupillo damnũ insolidum dederit. vnde quærendũ est, an actiones pupillus, qui solus côuenitur, in alterũ pro parte scilicet præstare debeat? sed cũ propria cuiusq; contumacia puniatur: qua fronte poterit hoc desiderari? D

Ei qui non potest agere, non imputatur periculum, si nomina debitorum sunt effecta deteriora. Bar.

XXXVIIII. IDEM.

TVtores, qui post finẽ tutelæ per errorẽ in officio durãtes, rerũ administrationẽ retinuerunt: nominũ paternorum periculum, quæ post pubertatem adolescentis idonea fuerunt, præstare cogendi non erunt: cũ actionem inferre non potuerunt. E

Tutor inutiliter datus gerens, postquam alius fuerit datus legitime, non tenetur. Bar.

Curator à patre testamento datus, impuberis negociis se per errorem immiscuit. postea à pretore, tutoribus aliis datis, periculũ futuri tẽporis ille, qui postea nihil gessit, nõ præstabit. Qui se negociis impuberis, nõ iure tutor datus, secundum patris voluntatem immiscuit: errore cõperto, tutorem à prætore constitui cõsultius petet: ne forte, si rem cœptam deseruerit, * fraudis vel culpæ caussa condemnetur, non idem seruatur, si quis vltro negocium alienum gesserit: cũ satis abundeque sit, vel in vna specie per amici laborem domino consuli. F

Ea quæ sunt agenda cũ persona, pertinent ad tutorem eius regionis vnde est persona: & ea quæ sunt agenda in rebus, pertinent ad tutorem eius regionis vbi sunt res. Bar.

Hæres institutus, qui non habuit substitutum: prius, quàm hæreditatem adiret, quam impuberi restituere debuit, vita decessit. cũ hæreditas in Italia esset, scriptus autem hæres in prouincia vita decessisset: tutores prouincialium rerum, culpæ nomine condemnandos existimaui: si caussam testamenti nõ ignorantes, vtilitatem impuberis deser-

* *In hanc sententiã Ci. in ora. pro Rosc. Amerino vbi de iudicio Mãdati disserit.*

deseruerunt. nam hæreditatis in prouincia fideicommisso
A restituto, caussam quidem iuris expediri potuisse: rerum autem administrationem ad eos recidere debuisse, qui tutelam in Italia suscepissent.

Qui contraxit cum tutore tanquam cum priuata persona, potest cõueniri, licet pecunia ad pupillum peruenerit. Bartolus.

Aduersus tutorem, qui pupillum hæreditate patris abstinuit, actionem denegari non oportet creditori, qui cum ipso tutore contraxit: quamuis tutor pecuniam in rem impuberis verteret.

Sublata caussa cautionis interponendæ, tollitur effectus cautionis interpositæ. Bartolus.

Curatores adolescentis mutui periculi gratia cautionẽ
B inuicem sibi præbuerunt, & in eam rem pignora dederunt. cum officio deposito soluendo fuissent: irritam cautionẽ esse factam, & pignoris vinculum solutum apparuit.

Periculum temporis currentis pendente appellatione frustratorie interposita, ad periculum tutoris pertinet. Bartolus.

Tutor datus aduersus ipsam creationem prouocauit. hæres eius postea victus, præteriti temporis periculũ pręstabit: quia non videtur leuis culpa, contra iuris authoritatem mandatum tutelæ officium detrectare.

Tutor vnius prouinciæ recte petit curatorem cõstitui ad caussam, quæ in alia prouincia agitatur. Bartolus.

Rerum prouincialium tutores in vrbe caussa appella-
C tionis impuberum agentes: rerum Italicarum curatores, vt impuberibus constituantur, ad officium suum reuocare debent. alioquin si prius in prouinciam redierint: dolum aut culpam eorum in ea quoque parte rectè iudex conueniet.

Tutor datus certæ regioni, administrat ea quæ tempore administrationis erant eiusdem regionis. Bartolus.

Patruus testamento fratris filio tutor datus, cum in Italia domicilium haberet, tam Italicarum rerum, quàm prouincialium administrationem suscepit: atque ita pecuniam ex venditionibus Romæ refectam in prouinciam traiecit, & in kalendarium pupilli conuertit. tutor in locum eius Romæ substitutus, administrationem pecuniæ, quę nõ pertinet ad tutelam suam, suscipere non cogitur.

Procuratores tenentur in solidum vt tutores. Bartolus.

Curatores testamento, vel tutores inutiliter dati, neque decreto prætoris confirmati, negocia gesserunt. vice mutua periculum præstare coguntur: cùm officium sponte citra iuris adminiculũ inierint: & qui fuit idoneus, decretũ prætoris curatores vel tutores constituentis, implorare debuerit. D

Vnus hæres non tenetur ex persona sua, si non exegit hæredem alterius tutoris. Bartolus.

Tutoribus idoneis diem functis, vice mutua periculum ad hæredes eorum non redundat, quod non habuit locum officio tutelæ manente.

Primo tenetur gerens quam non gerens pro gestis: pro neglectis quilibet æqualiter. Bartolus. E

In eum, qui tutelam gerere noluit: post cæteros, qui gesserunt, actionem tutelæ dari placuit. quod tamen ex tutela non peruenit ad eos, qui se negociis miscuerunt, sed communi negligentia periit: citra substitutionis ordinem, æqualiter omnium periculum spectat.

Quamuis finita tutela caussa cœpta possit peragi per tutorem, nõ potest tamen agi iudicati per eum. Bartolus.

Tutores, pubere pupillo constituto, litem appellationis inchoatam iussu consulum, ob notitiam rei perfecerũt. cùm iudicatum persequi non potuerunt, periculo culpæ non subiiciuntur.

Pupillus factus maior potest tutoribus, si damnum fecerint, partẽ damni vel totum conuentione remittere. Bartolus. F

Ab eo, qui restitutionis auxilio non iuuatur, quæstio culpæ tutorum conuentione remitti potest: nec donatum, sed transactum videtur negligentia tutorum. Periculo nominum, quæ pater vsuris maioribus fecit, adscripto: pupilla quidem actionem kalendarij præstare cogitur, exactas autem vsuras tutelæ tempore citra vllam compensationem retinet.

Per actionem propositam contra tutores non tollitur actio contra curatores: nisi quatenus est exactum. Bar.

Adolescens, tutoribus conuentis, à quibus totum seruare non potuit, aduersus curatores, qui tutelam ad se negligentia non transtulerunt, integram actionem retinet. neque

que enim tutelę iudicio consultum videtur, quod alterius
A officij querelam habuit.

Tutori imputatur negligentia, si hæredem contutoris non conuenit: sicut si contutorem suspectum facere neglexerit. Bartolus.

Tutor, qui tutoris idoneum hæredem conuenire pupilli nomine noluit, damni vicarius substituitur: vt is, qui nō idoneum tutelæ tempore suspectum facere supersedit.

Tutelæ iudicium ideo differri non oportet, quod fratris & cohæredis impuberis idem tutelam sustineat.

Quod de peculio serui actoris, quem adolescens, postquam res suas administrare cœpit, manumisit, retinuit, aut retinere potuit: in ratione reddenda curatori per iudicem acceptò feretur.

B *Priuilegium concessum militibus circa testamenta, intelligitur cōcessum circa eorum bona: nec vltra se extendit. Bar.*

XL. IDEM.

IMpuberi filio centurio curatorem dedit. decreto prętoris non secuto, si nihil curator datus administret: periculo contumaciæ vel negligentiæ non adstringetur. nam priuilegium militum ad alienam iniuriam porrigi non oportet: nec in aliis circa supremam voluntatem imperitiæ venia datur, quàm in bonis militum. filij verò tutela iure patriæ potestatis, non militiæ præmio mandatur.

Licet vni sit relicta liberatio reddendarum rationum: non prohibetur pupillus alium ex eius persona conuenire, si eum suspectum facere neglexerit. Bartolus.
C

XLI. IDEM.

QVi plures tutores habuit: vnum, qui soluendo non fuit, rationem actus sui vetuit reddere. quoniam eius liberatio, quod ex tutela percepit, aut dolo contraxit, non est relicta: contutores, qui suspectum facere neglexerunt, ex culpa rectè conueniuntur. tutor enim legatarius ex culpa, quæ testamento remissa est, non tenetur.

Quæ non sunt transmissibilia ad hæredes, per cessionem non transeunt. Bartolus.

XLII. IDEM.

EX pluribus tutoribus in solidum vnum tutoré iudex cōdemnauit. in rem suam iudicatus procurator datus, priuilegium

priuilegium pupilli non habebit,quod nec hæredi pupilli datur.non enim cauſſæ,ſed perſonæ ſuccurritur, quæ meruit præcipuum fauorem. D

Si mortuo pupillo res eius cœperint perire, liberatur tutor à periculo pereundarum rerum. Bartolus.

XLIII. PAVLVS *lib.* VII. *Quæſtionum*.

Cum poſt mortem pupilli deſinit eſſe nomen idoneum,tutor periculo eximitur. Quidã cùm eſſet fratris ſui filiæ curator, quadringenta dotis nomine marito eius ſe daturum promiſit. quæro, an ſuccurrendum ſit ei, cum poſtea ære alieno emergente, ſupra vires patrimonij eius dos promiſſa ſit: quoniam in inſtrumento ita ſcriptum ſit, ILLE PATRVVS ET CVRATOR STIPVLANTI SPOPONDIT? mouet quæſtionem, quod non vt de ſuo dotem daret, ſed cùm crederet rationem pupillarem ſufficere, promiſerit. præterea & illud hic poteſt tractari: vt ſi ſciens curator non ſufficere, promiſerit: vel donaſſe videatur,vel quoniam dolo fecit, non illi ſuccuratur. reſpondi.curator, cùm officium ſuum egreſſus,ſponte ſe obligauit: non puto ei à prætore ſubueniri debere: non magis, quàm ſi creditori pupillæ pecuniam ſe daturum ſpopondiſſet. ſed is,de quo tractamus, ſi non donandi animo ſed negocij gerendi cauſſa dotem promiſit:habet mulierem obligatam.& poterit dici,etiam manente matrimonio eam teneri(quia habet dotem) ſicut in collatione bonorum dicitur: vel certè poſt diuortium, ſiue exacta ſit dos, ſiue maneat nomen: quia poteſt efficere,vt ei accepto feratur. Quod ſi mulier ſuum curatorem adimplere, eò quod ſupra vires patrimonij eius in dotem dare promiſit,nòn queat: curatorem quidem in hoc, quod ſuperfluum eſt, per exceptionem releuari, mulierem verò cautionem in maritum exponere debere. quod ſi quandoque locupletior conſtante matrimonio facta fuerit: dotis reliquum marito ſoluat. E F

XLIIII. IDEM.

Qui nominibus à curatoribus prioribus ſuſceptis ſiue tutoribus, nomina agnouerunt: periculum in ſe transferunt. Sed & ſi pupillus poſt pubertatem,rationibus à tutore acceptis,reliquationem eius ſecutus,

tus, vsuras acceptauerit: priuilegium suum non amittit in
A bonis tutoris venditis. prætor enim priuilegium ei seruare debet.

Quatenus vnus ex tutoribus est liberatus facto pupilli, eatenus alter eius nomine conueniri non potest. vel aliter. Qui tenetur cedere actionem: si eam cedere non potest facto suo, repellitur exceptione cedendarum actionum. Bar.

XLV. IDEM.

SI pupillus alterum ex tutoribus post pubertatem (authoritate curatoris) liberasset: improbè alterum illius nomine conabitur interpellare. idéque dicemus in duobus magistratibus collegis, quorum alterum respublica conuenit. sed hæc in magistratibus quidam tractant,
B quasi duo rei eiusdem debiti essent omnino: quod non ita est. nam si vterque idoneus est: electio locum non habet. is autẽ, qui tẽpore liberatus est: nõ ei similis est, qui nihil habet, sed ei qui satisfecit. habet enĩ, quod obiiciat petitori.

Si adultus debitorẽ suum procuratorem constituat: nõ videtur eũ vt debitorem idoneũ ex caussa præambula approbare. Bar.

XLVI. IDEM.

LVcius Titius curator Caij Seij tempore curæ fundũ Cornelianum locauit Sempronio, qui Sempronius reliqua traxit. pupillus ætate probata, eundem quondam colonum Sempronium fecit procuratorem. quæro, an ex eo, quod ille, vt procurator egit, omne debitum adolescens
C agnouisse videatur, eoque nomine curatorem suum liberarit? Paulus respondit. non ex eo, quod adultus eum, qui prædia eius coluit, procuratorem habere voluit: debitum, quod ex conductione reliquatus est, agnouisse eum videri.

Sempronij, qui ex pollicitatione debitor patriæ suæ exstiterat, bona respublica iussu præsidis possedit. quorũ bonorum magistratus reipublicæ tres curatores cõstituerunt, qui apud Græcos vocantur ἐπιμελητοὺ: qui postea inter se sine consensu reipublicæ administrationem bonorum Sempronij diuiserunt. ex quibus quidam, cum reliqua traherent, idonei ipso tempore administrationis esse desierũt. postea pupill⁹ hæres Sẽpronij, qui abstẽtus erat, ab imperatore impetrauit, vt bona paterna ei restituerẽtur. quæro, an ex bonis eorũ, qui idonei sunt, indemnitati pupilli

pilli proſpici debeat: cùm indiuiduũ his officium curæ à magiſtratib⁹ iniunctũ ſit? Paulus reſpõdit. ſi pupillo in curatores bonorum actiones decerni placuerit: pro eius portione, qui idoneus non ſit, magiſtratus conueniri oportere. alia enim cauſſa eſt tutorum, alia eorum, qui reipublicæ negocia adminiſtrant. Tutorem, qui pecuniam pupillarem (quamuis ſuo nomine) fœnerauit: non videri contra conſtitutiones feciſſe, quæ prohibent, pecuniam pupillarem in vſus ſuos conuertere. D

Finita tutela ante ſolutionẽ currunt vſuræ, quæ prius currebant. Bartolus.

Quæſitum eſt, an eius pecuniæ, qua tutor vſus eſt, poſt finitam quoque tutelam in diem iudicij accepti eaſdem vſuras præſtare debeat? Paulus reſpondit. finita adminiſtratione, eas vſuras debere computari, quæ in tutelæ iudicio computantur. Paulus reſpondit. propter ea, quæ poſt pubertatem nulla neceſſitate cogente, ſed ex voluntate ſua tutor adminiſtrauit: fideiuſſorem, qui ſáluam rem fore cauit, non teneri. E

Apochæ tutorum debitoribus datæ fidem faciunt cõtra pupillum, licet ipſe contra tutores habeat regreſſum. Bartolus.

Tutelæ iudicio tutor conuentus, edidit librũ rationum, & ſecundum eum condemnatus, ſoluit. poſtea cùm à debitoribus paternis, quorum nomina libro rationum non inerant, exigere vellet pupillus decem: prolatæ ſunt ab his apochæ tutoris. quæſitum eſt, vtrum aduerſus tutorem, an aduerſus debitorem actio ei competat? Paulus reſpondit. ſi tempore adminiſtrandæ tutelæ tutori tutelam gerẽti debitores ſoluiſſent: liberatos eos ipſo iure à pupillo. ſed & ſi cum tutore actum eſſet: poſſe eundem adoleſcẽtem propter eam cauſſam tutelę experiri, & aduerſus exceptionem rei iudicatæ doli mali replicatione vti. F

Si tutor teſtamentarius & datiuus gerunt diuiſim pro datiuo: prius peruenitur ad magiſtratum quàm ad contutorem. ſecus ſi omnes eſſent datiui. Bartolus.

Cùm in teſtamento duo tutores dati eſſent pupillo, & alter ex his vita defunctus fuiſſet: in locum eius petente matre, ex præſidis prouinciæ præcepto à magiſtratibus tutor datus eſt, à quo magiſtratus ſatis exegerunt rem ſaluam fore. tutor

re.tutor teſtamento datus, poſtea datum ſuſpectum fecit.
A quæſitum eſt, in quantum teneatur? Paulus reſpondit. tutorem teſtamento datum pro ea parte cõueniri oportere, pro qua parte adminiſtrauit: pro contutoris autem portione prius eos conueniri debere, qui pro eo ſe obligauerunt, vel magiſtratus, qui eum dederunt: tunc ſi ſolidum pupillus conſequi non potuerit, de officio contutoris quærendum, an ſuſpectum facere debuerit: præſertim cùm ſuſpectum quoque eum poſtulaſſe dicatur. aliàs quidem cum magiſtratus plures tutores dant: non prius ad eos reuerti pupillus poteſt, quàm omnes tutores excuſſi fuerint. in propoſito cùm vnus à magiſtratibus datus proponeretur: non eſt viſum, prius collegam conueniendum, qui & ſuſpectum fe
B cit, & teſtamento datus eſt: perindéque habendos ſingulos, ac ſi in teſtamẽto in partes dimidias tutores dati eſſent

Tutor poteſt ſolutionem recipere, non donare, vel pro modico ſine cauſſa tranſigere.

Tutoribus conceſſum eſt, à debitoribus pupilli pecuniam exigere, vt ipſo iure liberentur: non etiam donare, vel etiam deminuendi cauſſa cum his tranſigere. & ideo eum, qui minus tutoris ſoluit, à pupillo in reliquum conueniri poſſe.

XLVII. SCAEVOLA.

Titium & Mæuium tutores quis dedit, & cauit ita. βούλομαι καὶ παρακαλῶ πάντα γίνεσθαι μετὰ τῆς Μαι-
C βίου τοῦ ἀδελφοῦ μου γνώμης· δίχα αὐτοῦ τὸ γινόμενον ἄκυρον ἔστω. Titius ſolus à debitoribus exegit. an liberati eſſent, quæritur. reſpõdi. ſi & adminiſtrationem Mæuio dediſſet, non rectè ſolutum. Quantum filio meo diurnum ſufficiat, Mariana & Ianuaria æſtimabunt. quæro, an contenti eſſe debent tutores arbitrio mulierũ? reſpondi, ſumptum boni viri arbitrio faciendum.

Ad tutorem apud quem inſtrumenta ad adminiſtrationem alterius pertinentia reperiũtur, pertinet alteri notum facere: aliàs tenebitur. Bartolus.

Tutores dati ad res Italicas, inſtrumenta Romæ repererunt debitorum prouincialium: vt pecunia Romæ, aut vbicunque petitum fuerit, ſoluatur. quæro, cùm neque debitores in Italia eſſent, neque eorum prædia: an hæc exa-

ctio

ctio ad Italicæ rei tutores pertineat? respondi. si prouincialis contractus esset, non pertinere: respicere tamen ad officium eorum, ne instrumentorum ignorantia contractus eos ad quos administratio pertinet, lateret. D

Res non legitima venditas potest pupillus vindicare. Bartolus.

A matre datus testamento tutor, cùm putaret se tutorem esse, distraxit bona materna & paterna pupillorum & decessit non soluendo. quæritur, an pupillus res possit vindicare? respondi. si manent res pupilli, vindicari ab eo posse.

Ea quæ tutor potest facere pro pupillo & pro se licitè faciendo, simpliciter videtur pro se facere. Bartolus.

Præfectus legionis ita testamento cauit. volo, vt sit in arbitrio tutorum filij mei, si voluerint huius summæ vncias inferre vsurarum nomine, ita ne numi dispergantur. E quæro, si apparuerit pecunia fœnerata à tutoribus: iudicio tutelæ vncias vsuras, an verò eas, quas stipulati sunt, præstare debeant? respondi. si secundum voluntatem defuncti elegissent vsurarum præstationem, neque pupilli nomine in fœnus dedissent: id præstari, quod testator voluisset.

Damnum subito emergens in re pignorata, tutori non imputatur. Bartolus.

Lucius Titius mutuã pecuniam à tutore accepit, & rem hęreditariam pignori ei dedit. post triennium iam puberibus his, quorum tutela administrata est, fisco bona defuncti adiudicata sunt: quia mortem eius hæres non est vltus. F quæritur, an id nomen pupillus recusare possit? respondit. secundum ea, quæ proponũtur, id nomen ad onus tutorum non pertinere.

Tutor qui est debitor pupilli in genere, si rem emit suo nomine, non videtur emisse de pecunia pupilli. Bartolus.

Altero ex duobus fratribus sociis bonorum & negociationis defuncto, hærede filio: tutor patruus venditis omnibus communis negociationis mercibus, & sibi redemptis, negocium suo nomine exercuit. quæsitum est, vtrum compendium negocij, an vsuras pecuniæ præstare debeat? respondi. secundum ea, quę proponuntur, pupillo vsuram, non compendium præstandum.

Tutor

Tutor vnius regionis potest soluere creditori alterius regionis. Bartolus.

A Tutor rerum Italicarum conuentus à creditore prouinciali, vbi rem pupillus habuit, soluit. quæsitum est, an id tutelæ iudicio reputari potest? respondit. nihil proponi, cur non possit.

XLVIII. HERMOGENIANVS *lib.* IIII. *iuris* ἐπιτομῶν.

INter bonorum, ventrisque curatoré, & inter curatorem furiosi, itémque prodigi, pupillíve magna est differentia: quippe cum illis quidem planè rerum administratio, duobus autem superioribus sola custodia, & rerum, quæ deteriores futuræ sunt, venditio committatur.

B *Tutor qui non est soluendo ob negligentiam, punietur in corpore. Bartolus.*

XLIX. PAVLVS.

OB fœnus pupillaris pecuniæ per contumaciam non exercitum, aut fundorum omissam comparationem: tutor, si non ad damnum resarciendum idoneus est, extra ordinem coërcebitur.

Casus fortuitus non imputatur tutori. Bartolus.

L. HERMOGENIANVS *lib.* IIII. *iuris* ἐπιτομῶν.

SI res pupilaris incursu latronum pereat: vel argentarius, cui tutor pecuniam dedit, cùm fuisset celeberrimus, solidum reddere non possit: nihil eo nomine tutor

C præstare cogitur.

Eodem modo quo vnus tutor tenetur pro alio, eodem modo tenetur fideiussor eius.

LI. VENVLEIVS *lib.* VI. *Stipulationum.*

SI duo pluré sve tutores tutelam administrent: in fideiussorem quidem in solidum per quemlibet eorum committitur stipulatio. at si inter eos diuisa sit tutela regionibus (quod plerunque fit) & alius vrbica negocia, alius peregrina administret: tunc ex substantia cuiusq; rei, aut committi contra fideiussorem stipulationem, aut non committi dicemus. nam licet omnes tutores sint, & tutelam gerãt: tamen cùm quis de ea re, quæ extra suam regionem erit, experiri vel ad iudicium vocari cœperit: perinde non committitur stipulatio, atque si ei administratio tutelæ permissa nón

ſa non eſſet.quantum enim facit,in totũ denegata: tantundem valet,ſi in ea re,de qua agitur,denegata ſit. D

LII. NERATIVS *lib.* III. *Membranarum.*

CVrator pro minore non tãtùm dotem dare debet,ſed etiam impendia,quæ ad nuptias facienda ſunt.

*Ad contutorem & magiſtratum pertinet periculum tutoris qui ſatis non dedit,ſi tempore finitæ tutelæ reperitur non ſoluendo: aliàs ſecus.*Bartolus.

LIII. PAVLVS *lib.* II. *Decretorum.*

AEmylius Dexter magiſtratus ſui tẽpore datis tutoribus, ceſſauerat in exigenda ſatiſdatione. deinde quibuſdam excuſatis,à ſequentibus magiſtratibus Dexter tutor adſumptus fuerat.creatus conueniebatur in ſolidũ duplici ratione:& quia tutor,& quod cùm magiſtratus eſſet, E & tutores dediſſet,ſatiſdationem non exegiſſet.ex diuerſo dictum eſt. licet ſatis exactum non eſſet: tamẽ in diem tutelæ finitæ idoneos fuiſſe tutores, neque ceſſationem curatorum obeſſe tutoribus debere. pronunciauit: ſi in diem finitæ tutelæ idonei permanſiſſent tutores: licet ſatis non eſſet exactum,curatorum eſſe periculũ. ſi minus: tutorum & magiſtratuum.

*Tutor poteſt accipere pecuniam pupilli mutuò à contutore, vel à ſeipſo palam & bona fide,& non clam.*Bartolus.

LIIII. TRIPHONINVS *lib.* VII. *Diſputationum.*

NOn exiſtimo maximis vſuris ſubiiciendum eum, qui à contutoribus ſuis mutuam pecuniam pupilli accepit, & cauit, certáſque vſuras promiſit, quas & alij debitores pupillo dependunt: quia hic ſibi non conſumpſit, nec clam,nec quaſi ſua pecunia licenter abutitur?& niſi his vſuris à contutore mutuum ei daretur, aliunde accepiſſet. & multum refert,palam apertéque debitorem ſe,vt extraneum & quemlibet faceret pupillo: an ſub adminiſtratione tutelę pupillique vtilitate, latenter ſua commoda pecunia pupilli iuuaret. F

LV. IDEM *lib.* IX. *Diſputationum.*

TRes tutores pupillo dati ſunt. vnus tutelam geſſit,& ſoluendo non eſt.ſecundus tertio gerendam mandauit.tertius nihil omnino geſſit.quæſitũ eſt, quatenus quiſque eorum teneatur? Et tutorum quidem periculum commune eſt

mune est in administratione tutelæ, & in solidum vniuersi tenentur. planè si numerata pecunia pupilli (inter eos di
A stributa) est: non in maiorem summam quisque eorum, quàm accepit, tenetur. sed si ipsi tutores rem pupilli furati sunt: videamus, an ea actione, quæ proponitur ex lege duodecim tabularum aduersus tutorem in duplum, singuli in solidum teneantur: & quamuis vnus duplum præstiterit, nihilominus etiam alij teneantur. nam in aliis furibus eiusdẽ rei pluribus, nõ est propterea cæteris pœnæ deprecatio, quod ab vno iam exacta est. sed tutores propter admissam administrationem non tam inuito domino contrectare eam videntur, quàm perfidè agere. nemo denique dicet vnum tutorem & duplum hac actione præstare, & qua-
B si specie condictionis, aut ipsam rem, aut eius æstimationẽ. Nõ solùm ergo gessisse tutelã creditur is, qui vel ipse gessit, vel alij gerendam mandauit: sed & qui satis à contutore accepit rem saluam pupillo futuram, eique permisit administrationẽ totius tutelæ. nec potest se defendere constitutionibus, quę iubent antè conueniri eũ, qui gessit. Inde in eo, quod nęmo gessit, nõ vtiq; eius periculũ est, qui quędam gessit, sed cõmuniter omniũ. exigi autẽ ab eo solo periculũ ob alia, quæ non gessit, non oportet: nisi si qua talia sunt, quę vel consummationẽ cœptorũ ab eo desiderabãt, vel ita cõiuncta fuerũt, vt separari non deberent. Quod autem dicitur, desiisse soluendo esse, vel non esse, & cõtu-
C tores præstare debere: videamus, qualem intellectum habeat. item vtrum sufficiat, nihil deminutum esse de facultatibus contutoris, ex quo tempore datus est. sed eandem faciem patrimonij permansisse: an & si nihil post accidit, quod palam faciat deminutionem patrimonij. debeat tamen contutor inquirere fortunas contutoris. sed hoc & ex personæ qualitate, & ex temporis intercapedine, quo testamentum factum est, vsque ad mortem patris aliam æstimationem accipere potest. nam apertè prodigo, vel cuius bona venierant: licet obreptum fuerit prætori, qui decreto eum dedit, permittere contutor administrationẽ non debet: & potuit aliquid pater eorum, post testamentum factum accidens, ignorasse: aut cùm destinatum haberet mutare testamentum, id non fecisse.

Rem pupilli iustè venditam potest tutor sibi licitè retinere, si emptor precium non soluit, & ipse tutor precium de suo in vtilitatem pupilli conuertit. Bartolus. D

LVI. SCAEVOLA.

Tutor rerum & animalium pupilli véditionem fecit. sed quędam animalia, emptoribus precium non soluentibus, retinuit, & apud se habuit. precium idem rationib⁹ pupilli acceptò tulit, ex his aliquot nata sunt. defuncto tutore, hæres eandem tutelam administrauit, & animalia annis pluribus possedit. quæsitum est. an cùm is, cuius tutela administrata est, annis quatuordecim esset: iure animalia vindicaret? respondi. secundum ea, quæ proponerétur, pupillum ea vindicare non posse.

Imputatur tutori si ex instrumentis in inuentario exemplatis potuerit conuenire debitores, & neglexit. Bartolus. E

LVII. IDEM.

Chirographis debitorum incédio exustis, cùm ex inuentario tutores conuenire eos possent ad soluédam pecuniam, aut ad nouationem faciédam cogere: cùm idem circa proprios debitores propter eúdem casum fecissent, & id omisissent circa debitores pupillorú: an si quid propter hanc eorum cessationem pupilli damni contraxerunt, iudicio tutelæ consequantur? respondi. si adprobatum fuerit, eos tutores hoc per dolum, vel culpam prætermisisse: præstare ab his hoc debere.

Facta appellatione pendente si appellans succumbit, officio iudicis appellationis in statum pristinum reponuntur. Bartolus. F

Ab eo, qui sententia præsidis bonis ademptis relegatus erat, (cùm permissu principis appellatio eius recepta sit, quam is, qui pronũciauerat, nõ receperat) fundú emerat pupillus, interuenientibus tutoribus: & appellatione iniusta pronũciata, fundus ei ablatus est. quæsitũ est, an tutelæ iudicio preciũ fundi pupillus cõsequi à tutoribus possit? respõdi. si scientes emerunt ab eo, qui in ea caussa etiamnum obnoxius sententiæ priori esset: tutelæ iudicio eos teneri.

Si tutor facit id quod testator iussit, præsumitur in dubio nomine pupilli facere, licet non exprimat. Bartolus.

LVIII. IDEM.

Qui negociationé per Pamphilum & Diphilum, prius seruos

seruos, postea libertos exercebat: suo testamento eos tutores reliquit, & cauit, vt negocium eodé modo, quo se viuo, A exerceretur. hi tutelam administrauerunt, non tantùm cùm impubes patroni filius fuisset, sed etiam post pubertatem eius. sed Diphilus quidem cum incremento negociationis rationes obtulit: Pamphilus autem putauit reddi oportere, non ad incremétum negociationis, sed ad computationem vsurarum, vt in tutelæ iudicio solet. quæsitum est, an secundum voluntaté defuncti, exemplo Diphili, Pamphilus quoque rationem reddere debeat? respondi, debere. CLAVDIVS TRIPHONINVS. quia lucrũ facere ex tutela nõ debet.† Ex duobus tutoribus pupilli altero defuncto adhuc impubere pupillo: qui supererat, ex persona pupilli sui iudice accepto, consecutus est cum vsuris, B quãtum ex tutela ad tutorem defunctum peruenerat. quæsitum est. iudicio tutelæ, quo experitur pubes factus, vtrũ eius tãtum, quod ab initio ex tutelæ ratione peruenerat ad defunctum cõtutorem, vsuræ veniant: an etiã eius summæ, quæ exortis vsuris pupillo aucta, post mortem eius ad superstitem æquè cum sorte translata sit, aut transferri debuit? respondi. si eam pecuniam in se vertisset, omnium pecuniarum vsuras præstandas. quòd si pecunia mansisset in rationibus pupilli: præstandum, quod bona fide percepisset, aut percipere potuisset, si fœnori dare (cùm potuisset) neglexisset: cùm id, quod ab alio debitore nomine vsurarum cum sorte datur, ei, qui accepit, totum sortis vice fungatur, vel fungi debeat. C Testamento dati tutores, quod ruptum videbatur, cessauerunt in administratione tutelæ: & à præside tutor datus est pupillo. iussi autem sunt & hi, qui dati erant testamento tutores, tutelam administrare: coniuncto eo, qui à præside datus, cœperat administrare. quæsitum est, ad testamento datos periculum administrationis, vtrum ex apertis tabulis, an ex quo iussi sunt, pertineat? respondi. ad eos, de quibus quæreretur, nullum antecedentis temporis periculum pertinere. Pupillo hærede instituto, filiæ exhæredatæ duo milia nummornm aureorum legauit, eosdémque tutores vtrisque dedit. quæsitum est, an cùm ex eo die, quo duo milia potuerunt à substantia hæreditatis separari, in nomina collocare neglexerint:

† *Hinc M.' Ci. actione tertia Verri crimini sè obiicit sceleratũ ex tutela pupilli Malleoli lucrũ*

rint : vsurarum nomine pupillæ tutelæ iudicio teneantur? respondi. teneri. Quæsitum est. an vsuræ pupillaris pecuniæ, quas tutores debuerunt, cùm ad curatorem transferuntur, in sortem computatur, & vniuersæ summæ vsuras debere curatores incipiant? respondi. omnis pecuniæ, quæ ad curatores transit, parem caussam esse : quia omnis sors efficitur. D

Pactum quod tutor facit cum creditoribus pupilli, tenetur obseruare in seipso. Bartolus.

LIX. IDEM.

CVm hæreditas patris ære alieno grauaretur, & res in eo statu videretur, vt pupilla hæreditate paterna abstineret : vnus ex tutoribus cum plerisque creditoribus ita decidit, vt certa crediti portione contenti essent, acciperéntque. idem curatores iam viripotenti accepti, cum plerisque creditoribus deciderunt. quæsitum est. an si aliquis tutorum creditor patris pupillæ solidam pecuniam expensam sibi ex re pupillæ cum vsuris fecit: reuocari à curatoribus pupillæ ad portiones eas possit, quas cæteri quoque creditores acceperunt? respōdi. eum tutorem, qui cæteros ad portionem vocaret, eadem parte contentū esse debere. E

LX. POMPONIVS.

SI tutoris hæres exsecutus est, quæ tutor inchoauit, tutelæ etiam eo nomine tenetur.

Pupillus tenetur ex culpa tutoris, quatenus est locupletior: & etiam vltra si tutor est soluendo: sed liberatur cedendo actionem. Bar. F

LXI. IDEM *lib.* IIII. ἐπιστολῶν.

APud Aristoné ita scriptum est, quòd culpa tutoris pupillus ex hæreditate desiit possidere: eius æstimatio in petitione hæreditatis sine vlla dubitatione fieri debebit ita, si pupillo de hæreditate cautū sit. cautū autē esse videtur, etiā si tutor erit idoneus, à quo seruari possit id, quod pupillus ex litis æstimatiōe subierat. Sed si tutor soluēdo non est: videndum erit, vtrum calamitas pupilli, an detrimentum petitoris esse debeat : perindéque haberi debeat, ac si res fortuito casu interiisset: similitérve atque ipse pupillus expers culpæ quid ex hæreditate deminuisset, corrupisset, perdidisset. de possessore quoq; furioso quæri potest: si quid, ne in rerum natura esset, per furorem eius accidisset.

disset. tu quid putas? POMPONIVS. puto eum verum
A dicere. sed quare cunctatus es, si soluendo non sit tutor, cuius damnum esse debeat? cùm alioquin elegantius dici possit: actiones dumtaxat, quas haberet cum tutore pupillus, venditori hæreditatis præstandas esse: sicuti & hæres, vel bonorum possessor, si nihil culpa eius factum sit: (veluti si fundo hæreditario vi deiectus sit, aut seruus hæreditarius vulneratus ab aliquo sit sine culpa possessoris) nihil amplius, quàm actiones quas eo nomine habet præstare debeat. Idem dicendum est, & si per curatoré furiosi culpa vel dolo quid amissum fuerit: quemadmodum si quid stipulatus tutor vel curator fuisset, aut vendidisset hæreditariam rem. impunè autem puto admittendum, quod per furorem
B alicuius accidit: quomodo† si casu aliquo sine facto personæ id accidisset.

†In hác sententiā Oui. li. 1. Amorū eleg. 7. vbi furorē à pœna excusare adpositißimè describit.

DE AVTHORITATE ET CONSENSU tutorum & curatorum. Tit. VIII.

Quod non licet de iure directo, licet per consequentiam. Item quis non potest authorari in negocio, ex quo sibi acquiritur principaliter. Bartolus.

VLPIANVS.


Vanquam regula est iuris ciuilis, in rem suam authorem tutorem fieri non posse: tamen potest tutor proprij sui debitoris hæreditatem
C adeunti pupillo authoritatem accommodare, quamuis per hoc debitor eius efficiatur. prima enim ratio authoritatis ea est, vt hæres fiat: per consequentias contingit, vt debitum subeat. se tamen authore, ab eo stipulari non potest. Et cùm quidā authoritatem accómodaret pupillę suæ, vt seruo suo stipulanti sponderet: diuus Antoninus Pius rescripsit, iure pupillam nō teneri: sed in quātum locupletior facta esset, dandam actioné. sed si author fiat, vt filio suo quid tradatur: nulla erit authoritas. euidenter enim sua authoritate rem adquirit. Tutor si inuitus retentus sit per vim: non valet, quod agitur: sicuti neque præsentia corporis sufficit ad authoritatem: vt si somno, aut morbo comitiali occupatus, tacuisset.

II. IDEM.

 Nulla

NVlla enim differentia eſt, non interueniat authoritas tutoris, an perperam adhibeatur. D

III. PAVLVS.

ETiam ſi nō interrogatus tutor author fiat: valet authoritas eius, cùm ſe probare dicit, id quod agitur. hoc eſt enim authorem fieri.

Sufficit vnius tutoris authoritas ſi poteſt adminiſtrare: aliàs ſecus. Bartolus.

IIII. POMPONIVS.

ET ſi pluribus datis tutoribus, vnius authoritas ſufficiat: tamen ſi tutor author erit, cui adminiſtratio tutelæ conceſſa non eſt: id ratum à prætore haberi non debet. & ideo puto verius eſſe, quod Ofilio placebat: ſi eo tutore authore, qui tutelam non gerat, emam à pupillo, ſciens alium eius tutelam gerere: dominum me nō poſſe fieri. Item ſi eo authore emam, qui à tutela fuerit remotus. nec enim id ratum haberi. E

Pupillus tutori, tutore authorãte non poteſt obligari naturaliter. niſi quatenus factus eſt locupletior: ſed cum authoritate alterius tutoris poterit. Bartolus.

V. VLPIANVS.

PVpillus obligari tutori eo authore non poteſt. planè ſi plures ſint tutores, quorum vnius authoritas ſufficiat: dicendum eſt, alio authore pupillum ei poſſe obligari: ſiue mutuam pecuniam ei det, ſiue ſtipuletur ab eo. ſed & cùm ſolus tutor, mutuam pecuniam pupillo dederit, vel ab eo ſtipuletur: non erit obligatus tutori. naturaliter tamen obligabitur, in quantum locupletior factus eſt, nam in pupillum non tantùm tutori, verum & cuiuis alij actionem, in quantum locupletior factus eſt, dãdam, diuus Pius reſcripſit. F

Pupillus in contractu vltro citróque obligatorio ſine authoritate tutoris non obligatur: ſed alium ſibi obligat. Bartolus.

Pupillus vendẽdo ſine tutoris authoritate non obligatur. ſed nec emendo, niſi inquantum locupletior factus eſt.

Tutor poteſt emere à pupillo, dummodo ipſe non authoretur in contractu proprio, ſed alter contutor interponat authoritatem. Item tutor non debet emere rem pupilli per interpoſitam perſonam: quia fraus præſumitur. Item tutor poteſt palam authore ſe emere ſi bona fide

na fide alterius nomen in instrumento accommodauerit: si verò mala
A *fide, non valet emptio.*

Item ipse tutor & emptoris & venditoris officio fungi non potest. sed enim si contutorem habeat, cuius authoritas sufficit: procul dubio emere potest. sed si mala fide emptio intercesserit: nullius erit momenti, ideoque nec vsucapere poterit. sanè si suæ ætatis factus, cõprobauerit emptionẽ: cõtract' valet. Sed si per interpositã personã rẽ pupilli emerit: in ea caussa est, vt emptio nullius momẽti sit: quia non bona fide videtur gessisse rem, & ita est rescriptũ à diuo Seuero & Antonino. sanè si quidem emit ipse palã, dedit autem nomen non mala fide simpliciter: (vt solent honestiores non pati nomina sua instrumentis inscribi) va
B let emptio. quod si callidè: idem erit, atque si per interpositam personam emisset. sed & si creditor pupilli distrahat: æquè emere bona fide poterit. Si verò filius tutoris, vel quæ alia persona iuri eius subiecta, emerit: idem erit, ac si ipse emisset.

Tutores non possunt administrare, nisi eis administratio decernatur: & tunc possunt emere vt extranei. Bar.

VI. POMPONIVS.

TVtores, quibus administratio decreta non est, tãquã extraneos, rectè à pupillo emere placet.

VII. VLPIANVS.

C QVod dicimus, in rem suam authoritatem accommodare tutorem non posse: toties verũ est, quoties per semetipsum, vel subiectas sibi personas adquiritur ei stipulatio. cæterũ negocium ei per consequentias geri (vt dictum est) nihil prohibet.

Diuersitas tutorũ authorantium nõ impedit constitutionem duorum reorum. Bar.

Si duo rei sint stipulandi, & alter me authore à pupillo stipuletur, alter altero tutore authore: dicendum est, stipulationem valere: si tamen authoritas tutoris vnius sufficiat. cæterũ si non sufficiat: dicendum erit, inutilem esse stipulationem.

Filius tutor non potest interponere authoritatem contrahente patre, in cuius est potestate. Bar.

Si & pater & filius, qui in potestate eius fuit, tutores

 fuerunt,

fuerunt, & pater eſt ſtipulatus filio authore: nullius momenti erit ſtipulatio idcirco, quia in rem patris author eſſe filius non poteſt. D

Interpoſitio authoritatis eſt actus legitimus, qui conditionem nõ recipit. Bar.

VIII. IDEM.

ET ſi cõditionalis contractus cũ pupillo fiat, tutor debet purè author fieri. nam authoritas non conditionaliter, ſed purè interponenda eſt, vt conditionalis contractus confirmetur.

Pupillus nullum actum vel contractum poteſt facere ſine tutore, ſi in eis poſſet lædi: bene autem poteſt actum exercere ſine tutore, ſiue contractum inire quando certum eſt, quod ex eo lædi non poteſt.

IX. CAIVS *lib.* XVIII *ad edictum prouinciale.* E

OBligari ex omni contractu pupillus ſine tutoris authoritate non poteſt: adquirere autem ſibi ſtipulando, & per traditionem accipiendo, etiam ſine tutoris authoritate poteſt. ſed credendo obligare ſibi non poteſt: quia ſine tutoris authoritate nihil alienare poteſt. Ex hoc autem, quod pupillus nullam rem ſine tutoris authoritate alienare poteſt: apparet, nec manumittere eum ſine tutoris authoritate poſſe. hoc amplius, licet tutoris authoritate manumittat: debet ex lege Aelia Sentia apud conſilium cauſſam probare. Pupillus ex omnibus cauſſis ſoluendo ſine tutoris authoritate, nihil agit: quia nullum dominium transferre poteſt. ſi tamen creditor bona fide pecuniam pupilli conſumpſerit, liberabitur. Pupillus hæreditatem adire ſine tutoris authoritate non poteſt, quamuis lucroſa ſit, nec vllum habeat damnum. ſed nec ex ſenatuſconſulto Trebelliano hæreditatem recipere ſine tutoris authoritate poteſt. Tutor ſtatim in ipſo negocio præſens debet author fieri: poſt tempus verò, aut per epiſtolam interpoſita eius authoritas, nihil agit. F

Etiam ſi non exaudiat tutoris authoritatem is, qui cũ pupillo contrahit, ſcriptis tamen hoc adprobetur: rectè negocium geritur. veluti ſi abſenti pupillo per epiſtolam vendam aliquid, aut locem, & is tutoris authoritate conſentiat.

X. PAVLVS.

Tutor.

A TVtor, qui per valetudinem, vel absentiam, vel aliam iustam caussam author fieri non potuit, non tenetur.

Hæreditas vel bonorum possessio non potest agnosci sine authoritate tutoris vel curatoris furiosi: qui tenentur, si non vtiliter fuerint authorati. Bar.

XI. CAIVS *lib.* XVIII. *ad edictum prouinciale.*

SI ad pupillum aut furiosum bonorum possessio pertineat: expediendarum rerum gratia, & in agnoscenda, & in repudienda bonorum possessione voluntatem tutoris curatorisq́ue spectari debere placuit: quia si quid contra modum pupilli, furiosi ue fecerint, tutelæ curationis ue iudicio tenebuntur.

B *Si seruus cõmunis adquirit quod vni ex dominis nõ potest quæri, quæritur alteri cui potest.* Bar.

XII. IVLIANVS *lib.* XX. *Digestorum.*

SI seruus communis tuus & Titij à pupilla tua te authore aliquam rem per traditionem acceperit: tota ad Titium pertinebit. MARCELLVS NOTAT. nã quodcumque ad omnes dominos non potest pertinere: id pro solido ad eum, cui adquiri potest, pertinere veteres comprobauerunt.

In contractu qui non celebratur verbis, non est necesse pupillum loqui: & ei tutor poterit authorari. Bar.

XIII. IDEM *lib.* XXI. *Digestorum.*

C IMpuberes tutore authore obligantur, etiam si taceant. nam cũ acceperint pecuniam mutuam: quamuis nihil dicant, authoritate tutoris interposita, tenentur. quarè & si non debita pecunia his personis soluta fuerit: quamuis tacuerint, interposita tutoris authoritas sufficit, vt condictione teneantur.

Tutor cũ præsens negocium pupilli contrahendum siue contractum ignorauerit, non intelligitur authoritatem præstare. Bar.

XIIII. IDEM *ad* Vrseium *Ferocem.*

NOn multum interest, non adfuerit tutor, cũ negociũ contraheretur: an præsens ignorauerit, quale esset, quod contraheretur.

Vna voce potest interponi authoritas duobus diuersis actibus. Bartolus.

XV.

XV. MARTIANUS.

D

ACcipientis & edentis iudicium idem tutor author vtrinque fit. sed vtrum ita est, si bis author factus est: an & vna authoritas sufficiat eo animo, vt ad vtrumque pertineat? dubitat quidem Pomponius, sed fortiter defenditur, sufficere vnam authoritatem.

XVI. PAVLVS.

ETiam si tutor cæcus factus sit, author fieri potest.

Non cogitur tutor in certo contractu authorari pupillo. Bar.

XVII. IDEM.

SI tutor pupillo nolit author fieri, non debet eum pretor cogere: primum, quia iniquum est, si non expedit pupillo, authoritatem eum præstare: deinde & si expedit, tutelæ iudicio pupillus hanc iacturam consequitur. E

Quæ sunt gerenda cũ alio, possunt expediri tutore authore: secus si cũ ipso tutore. tunc enim non potest authorari: nec ad id se authore procuratorem facere. Bar.

XVIII. IDEM.

POtest pupillus tutore authore debitorem suum Titio delegare. sed cũ tutor debet pupillo: dicendum est, neque delegari eum, neque procuratorem aduersus tutoré dari ipso tutore authore posse: quia futurum sit, vt authoritate sua liberetur.

Curator potest dari pupillo ad agendum, non ad authorandum. Bartolus.

XIX. IDEM *lib.* XVIII. *Responsorum respondit.* F

CVratorem etiam impuberi dari posse: sed ad ea, quæ solennitatem iuris desiderant, explicanda, tutore authore opus esse.

Non est necesse tutorem authorantem diuisioni se subscribere. Bartolus.

XX. SCAEVOLA *lib.* VII. *Responsorum.*

INter pupillos paternæ hæreditatis diuisio facta est, præsente tutore, sed non adsignante instrumento diuisionis. quæsitum est, an ei stari oporteret? Respondi, si tutor author fuisset: nõ idcirco minus standũ esse diuisioni, quod non adsignasset.

Petitio restitutionis impedit executionem sententiæ. Bar.

XXI.

XXI. IDEM *lib. singulari quaestionum publicè tractatarum.*

A DEfendente tutore, pupillus condemnatus ex contractu patris, accepit curatorem: inter quem & creditorem acta facta sunt apud procuratorem Cæsaris infra scripta. Priscus procurator Cæsaris dixit, faciat iudicata. Nouellius curator dixit, abstineo pupillum. Priscus procurator Cæsaris dixit, responsum habes. scis, quid agere debeas. quæsitum est, an secundum hæc acta adolescens bonis patris abstentus sit? Respondi. proponi abstentum.

Actus qui tendit ad liberationem tutoris, non potest fieri eo authore. Bartolus.

XXII. LABEO *lib. V. posteriorum à Iaboleno epitomatorum.*

B SI quid est, quod pupillus agendo, tutorem suum liberaturus est: id ipso tutore authore agi rectè nō potest.

QVANDO EX FACTO TVTORIS *uel curatoris minores agere, uel conueniri possunt.* Tit. IX.

Quando pupillus conuenitur ex dolo tutoris, nō admittitur probatio per iuramentum in litem. Bar.

POMPONIVS.

C OB dolum malum vel culpā tutoris, Aristo ait, pupillum possessorem condemnandum: sed non puto, quanti actor in litem iuraret. & tamē illud ita est, si rem à tutore pupillus seruare possit.

Quod tutor vel curator acquirit ex pecunia minoris: efficitur minoris. Bar.

II. VLPIANVS.

SI tutor vel curator pecunia eius, cuius negocia administrat, mutua data ipse stipulatus fuerit, vel prædia in nomen suum emerit: vtilis actio ei, cuius pecunia fuit, datur ad rem vindicandam, vel mutuam pecuniam exigēdā.

Pupillus non tenetur ex dolo tutoris, nisi quatenus ad eum peruenerit. Bar.

III. PAPINIANVS.

DOlus tutorũ pupillo, neque nocere, neque prodesse debet. quod autem vulgo dicitur, tutoris dolum pupillo non nocere: tunc verum est, cùm ex illius fraude locupletior pupillus factus non est. quare meritò Sabinus tributoria actione pupillum conueniendum ex dolo tutoris existimauit: scilicet si per iniquam distributionem pupilli rationibus fauit. Quod in depositi quoque actione dicendum est, item in hęreditatis petitione: si modo, quod tutoris dolo desiit, pupilli rationibus illatum probetur. D

IIII. VLPIANVS.

ET si extrinsecus aliquid tutor dolo amiserit: pupillo nihil nocere oportet.

De eo quod quis gessit vt administrator, finita administratione non tenetur. Bartolus. E

V. PAPINIANVS.

POst mortem furiosi non dabitur in curatorem, qui negocia gessit, iudicati actio: non magis, quàm in tutorem: si modò nullam ex consensu post depositum officiũ nouationem factam, & in curatorem vel tutorem obligationem esse translatam constabit.

Si tutor simpliciter contrahat in re pertinente ad pupillum, intelligitur tutorio nomine contrahere, si in re quæ potest ad ipsum & ad pupillum pariter pertinere: intelligitur nomine proprio contrahere: nisi aliud actum sit. Bartolus.

Tutor, qui pecuniam soluturum se cauit, ad quam pater pupilli cõdemnatus fuerat: actionem post tutelam finitam rectè recusat. non idem in eo placuit, qui suo nomine mutuam pecuniam accepit, & iudicatũ pro pupillo fecit: nisi fortè creditor ideo contraxit, vt in caussam iudicati pecunia transiret. F

Sicut pupillo quæritur per tutorem, ita per actorem ab eo constitutum. Bartolus.

VI. IDEM.

TVtor, interposito decreto prætoris, actorẽ reliquit. secundũ eum sententia dicta, iudicati actio ad pupillum nõ minus transfertur, quàm si tutor obtinuisset.

VII. SCAEVOLA.

TVtori, qui infantẽ defendit, succurritur, vt in pupillum

lum iudicati actio detur.

A *Si negocium in parte spectat ad pupillum, pro illa videtur tutorio nomine facere, pro alia proprio. Bartolus.*

VIII. IDEM.

Tutor, qui & cohęres pupillo erat, cùm conueniretur fideicommissi nomine, in solidum ipse cauit. quæsitum est, an in adultum pupillum pro parte danda sit vtilis actio? respondit, dandam.

DE SVSPECTIS TVTORIBVS *& curatoribus.* Tit. X.

VLPIANVS.

B Haec clausula frequens & per quàm necessaria est. quotidie enim suspecti tùtores postulantur. primum igitur tractemus, vnde descendat suspecti crimen, & apud quos postulari quis possit suspect⁹ tutor vel curator. deinde quis, & à quo, & ex quibus caussis remoueatur, deque pœna suspecti. Sciendum est itaque suspecti crimen è lege duodecim tabularum descendere.

Caussa suspecti potest agitari coram ordinario, & coram delegato iudice. Bartolus.

Damus autem ius remouendi suspectos tutores Romæ prætoribus: in prouinciis præsidibus earum. an autem apud legatum proconsulis suspectus postulari possit, dubium fuit. sed imperator Antoninus cū diuo Seuero Braduæ Marico proconsuli Africæ rescripsit, posse: quia mādata iurisdictione, totum officium iuris dicundi ad eum transit. ergo & si prætor mandet iurisdictionem: simili modo dicendum est, suspectum posse apud eum postulari, cui mandata est. cùm enim sit in prouincia hoc rescriptum: consequens erit dicere etiam eum, cui à prætore mandata est iurisdictio, posse de suspecto cognoscere.

C

Omnes tutores cuiuscumque conditionis existant, possunt accusari de suspecto si malè gerant. Bartolus.

Ostendimus, qui possint de suspecto cognoscere: nunc videamus, qui suspecti fieri possint. & possunt quidem omnes tutores: siue testamentarij sint, siue non sint, sed alterius generis tutores. quare & si legitimus sit tutor, accusari pote-

poterit. Quid si patronus? adhuc idem erit dicendū: dummodo meminerimus, patrono parcendum. D

Quilibet admittitur ad accusandum tutorem de suspecto, etiam mulier si ex pietate mouetur. Bartolus.

Consequens est, vt videamus, qui possint suspectos postulare. & sciēdum est, quasi publicam esse hanc actionem. quinimò & mulieres admittuntur: sed hæ solæ, quæ pietate necessitudinis ductæ, ad hoc procedūt: vtputa mater, nutrix quoque, & auia. potest & soror. nam in sororem etiam rescriptum exstat diui Seueri. sed & si qua alia mulier fuerit, quam prætor propensa pietate intellexerit sexus verecundiā non egredientem, sed pietate productam non sustinere iniuriam pupillorum: admittet eam ad accusationem. Si quis de plebeis, ob facta atrociora in tutela E admissa, fuerit apud prætorem accusatus: remittitur ad præfectum vrbi grauiter puniendus.

II. IDEM.

Libertus quoq;, si frauduléter gessisse tutelā filiorū patroni probetur, ad pręfectū vrbi remittetur puniēdus.

Tutor potest accusare contutorem suspectum, etiam si fuerit remotus. Bartolus.

III. IDEM.

Tutor quoq; contutorem potest suspectū facere: siue duret adhuc tutor, siue iam desierit ipse, cōtutor autē maneat tutor: & ita diuus Seuerus rescripsit. plus diuus Pius Cæcilio Petino rescripsit, posse & tutorem suspectū F remotum, contutores suos suspectos facere.

Liberti possunt tutores patronorum suorum siue filiorum patroni sui accusare de suspecto: sed liberti non accusant patronos suos crimine suspecti tutoris. Item omnis curator non tantùm adolescentiū potest suspectus accusari. Bar.

Liberti quoque pupillorum gratè facient, si tutores vel curatores eorum, malè gerentes rem patronorum vel liberorum patronorum, suspectos fecerint. sed si patronum suum, vt suspectū in tutela facere velint: melius est, libertos ab accusatiōe repelli: ne in ipsa cognitiōe grauius aliquid emergat, cùm hoc omnibus aliis pateat. Non tantùm autem adolescētis curator, sed etiam furiosi, vel prodigi, vt suspectus remoueri potest. sed & si quis curā ventris

tris bonorúue administrat: nõ carebit hui⁹ criminis metu.

A *Tutor potest remoueri ex officio iudicis sine accusatione. Bar.*

Præterea vidẽdum, an sine accusatione possit suspectus repelli. & magis est, vt repelli debeat: si prætori liqueat ex apertissimis rerum argumentis, suspectũ eum esse, quod fauore pupillorum accipiendum est.

Tutor remouetur ob dolum in tutela commissum: secus si extra tutelam. Item secus si in alia tutela: si est, qui eum actione tutelæ conueniat. Bartolus.

Nunc videamus, ex quibus caussis suspecti remoueantur. & sciendum est, aut ob dolum in tutela admissum suspectum licere postulare, si fortè grassatus in tutela sit: aut quod sordidè egerit, vel perniciosè pupillo, vel aliquid B interceperit ex rebus pupillarib⁹ iam tutor. Quod si quid admisit, antè tamen, quàm tutor esset: (quamuis in bonis pupilli, vel in tutela) non potest suspectus tutor postulari: quia delictum tutelam præcessit. proinde si pupilli substãtiam expilauit, sed antè, quàm tutor esset: accusari debet expilatæ hæreditatis. si minus: furti. Quæri potest: si tutor fuerit pupilli, idemque sit curator confirmatus adolescenti: an possit ex delictis tutelæ suspectus postulari? & cùm possit tutelæ à concuratoribus conueniri: consequens erit dicere, cessare suspecti accusationem: quia tutelæ agi possit deposito officio, vel alio sumpto. Item erit quærendum, si proponas aliquem desiisse esse tutorem, & C rursum cœpisse. (vtputa vsque ad tempus, vel ad cõditionem erat datus: deinde iterum, vel superueniente conditione testamentaria, vel etiam à prætore postea datus) an suspect⁹ possit postulari? & quia duæ tutelæ sũt: si est, qui eum tutelæ iudicio conueniat: æquissimum erit dicere, cessare crimen suspecti. si autem ipse tutor est solus: nunquid, quia tutelæ cessat, remouendus sit ab hac administratione, quasi suspectus ex eo, quod in aliam malè versatus sit? Ergo & in eo, qui curator solus post finitam tutelam confirmatus est, idem dici potest. Quod si quis tutor ita datus sit, QVO AD IN ITALIA ERIT, TVTOR ESTO, vel, QVO AD TRANS MARE NON IERIT: an possit suspectus postulari ex eo gestu, quem administrauit antè, quàm trans mare abisset? & magis est, vt

postulari

postulari possit, quasi vna tutela sit, habens interualla.

Si quis absuturus reipublicæ caussa, desiderauerit in locum suum constitui alium tutorem: an reuersus, ex antè gesto suspectus postulari possit? & quia potest ex priore gestu vtili actione conueniri, cessabit postulatio. Si curator ventri bonísve datus, fraudulenter versatus sit: deinde tutor datus, an postulari suspectus propter fraudes in cura admissas possit, dubitari potest. Et siquidem habet contutores: non poterit postulari, quia conueniri potest. si non habet: amoueri poterit. Si tutor inimicus pupillo paréntibúsve eius sit: & generaliter, si qua iusta caussa prætorem mouerit, cur non debeat in ea tutela versari: reiicere eum debebit. Seuerus & Antoninus rescripserunt Epicurio: tutores, qui res vetitas sine decreto distraxerűt, nihil quidem egisse: verùm si per fraudem id fecerunt, remoueri eos oportere. Tutor, qui ad alimenta pupillo præstanda copiam sui non faciet: suspectus est, poterítque remoueri. sed si non latitet, sed præsens nihil posse decerni contendat, quasi inopi: si datis pupillo aduocatis, in mendacio reuincatur: ad præfectum vrbi remittendus est. Neque enim interest, id agere quemquam, vt corrupta fide inquisitionis, tutor constituatur: an bona fide constitutum, velut prædonem, bonis alienis incumbere. hic ergo non quasi suspectus remouebitur, sed remittetur puniendus ea pœna, qua solent affici, qui tutelam corruptis ministeriis prætoris redemerunt. Tutores, qui repertorium non fecerunt: vel pecuniam, neque ad prædiorum comparationem conferre, neque deponere peruicaciter perstant: quoad emptionis occasio inueniatur, vinculis publicis iubentur cõtineri, & insuper pro suspectis habentur. sed sciendum est, non omnes hac seueritate tractari debere: sed vtique humiliores. cæterùm eos, qui sunt in aliqua dignitate positi: nõ opinor vinculis publicis contineri oportere.

Is tutor, qui inconsideratè pupillum, vel dolo abstinuit hæreditate: suspectus postulari potest. Qui ob segnitiem, vel rusticitatem, vel inertiam, vel simplicitatem, vel ineptiam remotus fuit: in hac caussa est, vt integra existimatione tutela vel cura abeat. sed & si ob fraudem nõ remouerit aliquem, sed alium ei adiunxerit: non erit famosus: quia

sus: quia non est abire tutela iussus.

A *Remotus absque dolo, non est infamis, & si in sententia caussa non exprimatur, non intelligitur ex caussa famosa damnatus seu remotus.* Bar.

IIII. IDEM.

QVoniam hæ caussæ faciunt, vt integra existimatione tutela vel cura quis abeat: decreto igitur debebit caussa remouendi significari, vt appareat de existimatione. quid ergo, si non significauerit caussam remotionis decreto suo? Papinianus ait, debere dici, hunc integræ esse famæ. & verum est.

Idem est prohibere gerere, & remouere. Bartolus.

Si prætor sententia sua non remouerit tutela, sed gerere prohibuit: dicendum est, magis esse, vt & hic desinat tutor esse. Qui nihil gesserunt, non possunt suspecti postulari: verùm ob ignauiam, vel negligentiam, vel dolum, (si dolo fecerunt) possunt remoueri.

B

Satisdatio non impedit quin tutor posit, si male gerat, vt suspectus remoueri. Bartolus.

V. IDEM.

SVspectus fieri is quoque, qui satis dederit, vel etiam nunc offerat, potest. expedit enim pupillo rem suã saluam fore, quàm tabulas REM SALVAM FORE cautionis habere. nec ferendus est cõtutor, qui ideo collegam suum suspectũ non fecit, quoniã cautum erat pupillo.

C VI. CALLISTRATVS.

QVia satisdatio propositũ tutoris maleuolum nõ mutat, sed diutius grassandi in re pupillari facultatem præstat.

VII. VLPIANVS.

IMpuberibus quidem non permittitur suspectos facere. adolescentibus planè volẽtibus suspectos facere curatores suos, permittitur: dũmodo consilio necessariorũ id faciant. Si non fraus admissa sit, sed lata negligẽtia: quia ista prope fraudem accedit, remoueri & hunc quasi suspectum oportet.

Ex sola contumacia quis suspectus efficitur, & vt suspectus remoueri potest. Bartolus.

Præterea accesserunt quædam species ex epistola Im-

peratoris nostri & diui Seueri ad Atrium Colonum. nam aduersus eos, qui ne alimēta decernantur, sui copiā perseuerant nō facere: vt suis rebus careant, præcipitur: reique seruādæ caussa pupillus in possessionem mittitur eius, qui suspectus sententia sua factus est: quæque mora deteriora futura sint, curatore dato, distrahi iubentur. Item si quis tutor datus, non compareat: solet edictis euocari, nouissimeque (si copiam sui non fecerit) vt suspectus remoueri ob hoc ipsum, quod copiam sui non fecit. quod & perrarò, & diligenti habita inquisitione, faciendum est. D

VIII. IDEM.

SVspectum etiam tutorem esse putamus, qui moribus talis est, vt suspectus sit. enimuero tutor, quamuis pauper est, †fidelis tamen & diligens, remouendus nō est quasi suspectus. E

†Huc ptinet lepidissimū Ari. Prob. Sectione seu particula 18. Insigniaq; & imprimis scitu digna exempla apud Val. Max. li. 4. ca. 4

Si tutor coniunctus per remotionem infamaretur, melius est sibi curatorem adiungi. Bartolus.

IX. MODESTINVS.

SI tutor aliquo vinculo necessitudinis vel adfinitatis pupillo coniunctus sit, vel si patronus pupilli liberti tutelam gerat, & quis eorum tutela remouendus videatur: optimum factu est, curatorem ei potius adiungi, quàm eūdem notata fide & existimatione remoueri.

Post remotionem non spectat ad tutorem periculum tutelæ. Bar.

X. PAPINIANVS.

DEcreto prætoris vt suspectus remotus, periculum futuri tēporis nō timet. iniquū enim videtur, remoueri quem tutela vel cura, in futurū autem nō esse securū. F

Finita caussa litis finitur instantia. Bartolus.

XI. IDEM.

POst finitam tutelam cognitio suspecti tutoris, quamuis pridem cœpta, soluitur.

A seruo pupilli potest inquiri, & inuestigari de fraude tutoris. B.

XII. IVLIVS AQVILA *lib. Responsorum.*

NIhil proponi, cur præscribere curator possit in cognitione suspecti, quò minus religio prętoris à pupillari seruo detegente fraudes instruatur.

DIGESTORVM

A

DIGESTORVM SEV PANdectarum liber uicesimus septimus.

DE EXCVSATIONIBVS. Titulus primus.

MODESTINVS *lib.* I. *Excusationum.*



ῬΕΝΝΙΟΣ Μοδεστῖνος ἐγνατίῳ δέξτρῳ. συγγράψας σύγγραμμα ὡς ἐμοὶ δοκεῖ χρησιμώτατον, ὅπερ παραίτησιν ἐπιτροπῆς καὶ κουρατορίας ὠνόμασα, τοῦτο σοὶ πέπομφα. ποιήσομαι δὲ ὡς ἂν οἷός τε ὦ τὴν περὶ τούτων
B διδασκαλίαν σαφῆ ἀφηγούμενος νόμιμα τῇ τῶν ἑλλήνων φωνῇ. εἰ καὶ οἶδα δύσφρασα εἶναι αὐτὰ νομιζόμενα πρὸς τὰς τοιαύτας μεταβολάς, προσθήσω δὲ τῇ τῶν λεγομένων διηγήσει αὐτὰ τὰ τῶν νόμων ῥήματα, ὅπου καὶ τούτου δεηθείην, ἵνα τήν τε τῶν λεκτέων καὶ τὴν τῶν ἀναγνωστέων χρῆσιν ἔχοντες τὸ ὁλόκληρον τοῖς δεομένοις καὶ τὴν ὠφέλειαν παρασχώμεθα.

λεκτέον τοίνυν πρῶτον, τίνας οὐ δεῖ χειροτονεῖσθαι. ἀπε-
C λευθερικοῖς ὀρφανοῖς εὐγενεῖς οὐ δώσουσιν οἱ ἄρχοντες ἐπιτρόπους ἢ κουράτορας, εἰ μὴ παντελῶς ἀπορία κατὰ τὸν τόπον ἀπελευθέρων ἐστίν. ἀπελευθερικοῖς γὰρ ἀπελευθέρους μόνους δεῖν δίδοσθαι τοὺς ἐν τῷ αὐτῷ τόπου ὄντας, θεῖος Μάρκου ὀρατίων κελεύει. ἐὰν δὲ δοθῇ, θειότατος Σεβῆρος τῶν ἀφηλίκων προνοούμενος, ὑπεύθυνον αὐτὸν εἶναι τῇ ἐπιτροπῇ, ἐὰν μὴ ἐμπροθέσμως δικαιολογήσηται, ἀντέγραψεν. οὐκ ἔξεστιν κουρατορεύειν μνηστῆρα μνηστῆς, ὡς ἡ σύγκλητος λέγει, χειροτονηθεὶς δὲ ὁ τοιοῦτος ἀπολυθήσεται.

II. IDEM. *lib.* II. *Excusationum.*

Ἀφίενται ἐπιτροπῆς καὶ κουρατορίας καὶ οἱ ἑβδομήκοντα ἔτη πεπληρωκότες †. ὑπερβεβηκέναι δὲ χρὴ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτη, ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ ἐν ᾧ χειροτονεῖται, ἢ ἐν ᾧ τῇ κληρονομίᾳ προσέρχεται τις, ἢ ἐν ᾧ ἡ αἵρεσις ἡ τῇ διαθήκῃ προσ-

† Senes enim ab omnibus publicis muneribus vacare tradit Arist. lib. 3. Poli. cap. 1.

γραφεῖσα πεπλήρωται, οὐκ ἐντὸς τῶν χρόνων τῆς παραιτήσεως. ἡ δὲ ἡλικία δείκνυται ἢ ἐκ παιδογραφιῶν, ἢ διὰ ἑτέρων ἀποδείξεων νομίμων. D
Ἄφεσιν ἐπιτροπῆς καὶ κουρατορίας καὶ πολυπαιδία. νομίμους δὲ παῖδας εἶναι δεῖ πάντας, κἂν μὴ ὦσιν ἐν ἐξουσίᾳ. δεῖ δὲ ζῶντας εἶναι τοὺς παῖδας ὅτε οἱ πατέρες δίδονται ἐπίτροποι. † οἱ γὰρ πρὶν τελευτήσαντες οὐ συναριθμοῦνται. οὔτε πάλιν βλάπτουσιν οἱ μετὰ τοῦτο ἀποθανόντες. ταῦτά φησι διάταξις τοῦ θειοτάτου Σεβήρου. τοῦτο δὲ δοκεῖ μὲν εἰρῆσθαι περὶ τοῦ κατὰ διαθήκας δοθέντος ἐπιτρόπου. ἁρμόζει δὲ ἂν καὶ ἐπὶ παντὸς ἑτέρου. ὁ δὲ ἐν τῇ γαστρὶ ὤν, εἰ καὶ ἐν πολλοῖς μέρεσι τοῦ νόμου συγκρίνεται τοῖς ἤδη γεγεννημένοις, ὅμως οὔτε ἐν τῇ παρούσῃ ζητήσει, οὔτε ἐν ταῖς λοιπαῖς πολιτικαῖς λειτουργείαις συντελεῖται τῷ πατρί. καὶ τοῦτο εἴρηται διατάξει τοῦ θειοτάτου Σεβήρου. Οὐ μόνον δὲ καὶ υἱοὶ ἄφεσιν ἐπιτροπῆς διδόασιν ἢ θυγατέρες, ἀλλὰ καὶ ἔγγονοι διὰ υἱῶν ἀρρένων τεχθέντες, ἄρρενές τε καὶ θήλειαι. βοηθοῦσι δὲ τότε ὁπόταν τοῦ πατρὸς αὐτῶν ἀποθανόντος, τὸν ἐκείνου τόπον πληρώσουσι τῷ πάππῳ. ὅσοι δ' ἂν ὦσιν ἔγγονοι διὰ ἑνὸς υἱοῦ, αὐτοὶ ἑνὸς τέκνου ἀριθμοῦνται. ταῦτα δὲ καὶ ἐκ διατάξεων αἱ περὶ τῶν τέκνων διαλέγονται, ἔστι συναγαγεῖν. οὐδαμοῦ γὰρ οὐκ ἔστιν ῥᾴδιον εὑρεῖν, ὅτι περὶ υἱῶν διαλέγεται διάταξις, ἀλλὰ περὶ τέκνων. ἡ δὲ προσηγορία αὕτη καὶ ἐπὶ τοὺς ἐγγόνους ἐκτείνεται. τὸν δὲ ἀριθμὸν τῶν τέκνων τὸν ὡρισμένον ταῖς διατάξεσιν εἶναι δεῖ ἑκάστῳ τότε ὅτε χειροτονεῖται, οὐχὶ κἂν μετὰ τὸ χειροτονηθῆναι γεννηθῇ, πρὸ τοῦ τὰ δίκαια τῆς ἀφέσεως παραχέηται. οἱ γὰρ μετὰ τοῦτο γεγεννημένοι οὐ βοηθοῦσιν, ὡς διάταξις φησὶ Σεβήρου καὶ Ἀντωνίνου. E
Ἔτι καὶ οἱ τρεῖς ἔχοντες ἐπιτροπὰς ἢ τρεῖς κουρατίονας ἢ ἀναμεμιγμένας τρεῖς κουρατίονάς τε καὶ ἐπιτροπάς, καὶ ἔτι μενούσας, τουτέστι μήπω ἐκβάντων τὴν ἡλικίαν τῶν ἀφηλίκων, οὗτοι ἀφίενται εἰς τετάρτην ἐπιτροπὴν καὶ κουρατορίαν καλούμενοι. ἀλλὰ μὴν κἂν κουράτωρ τις ᾖ μὴ ἀφήλικος ἀλλὰ μαινομένου, εἰς τὸν ἀριθμὸν τῶν κουρατοριῶν καὶ αὕτη συλλογισθήσεται ἡ κουρατορία. ὅτι περ οὕτως ἔχειν διδάσκει διάταξις Σεβήρου καὶ Ἀντωνίνου. λέγει καὶ ὁ κράτιστος Οὐλπιανὸς περὶ τῶν τριῶν ἐπιτροπῶν ταῦτα. F

III. VLPIANVS *lib. sing. de officio prætoris tutelaris.*

TRia onera tutelarum dant excusationem. tria autem onera

†Ad hoc respõsum ptinet qđ de Lacedæmoniorũ Repu. refert Arist. li. 2. Poli. ca. 7. & Gel. li. 2. no. Att. ca. 15.

onera ſic ſunt accipienda: vt nō numerus pupillorū plures A tutelas faciat, ſed patrimoniorum ſeparatio. & ideo qui tribus fratribus tutor datus eſt, qui indiuiſum patrimonium haberent: vel quibuſdam tutor, quibuſdam curator: vnam tutelam ſuſcepiſſe creditur.

IIII. MODESTINVS *lib.* II. *Excuſationum.*

Ἔφαμεν τρεῖς ἔχοντας ἐπιτροπὰς, εἰς τετάρτην μὴ καλεῖσθαι. ἐζητήθη τοίνυν ἐάν τις ἐν δύο ὢμ ἐπιτροπαῖς, εἶτα εἰς ἐπιτροπὴν τρίτην προβληθεὶς ἐκκαλέσηται, καὶ ἔτι μετεώρου οὔσης τῆς δίκης τῆς ἐπὶ τῇ ἐκκλήτῳ εἰς τετάρτην ἐπιτροπὴν προβληθῇ, πότερον εἰς τὴν τετάρτην δικαιολογούμενος μνησθήσεται καὶ τῆς τρίτης, ἢ παντάπασιν παραλείψει ἐκείνην, καὶ εὑρίσκω ὑπὸ τῶν θειοτάτων Σεβήρου καὶ Ἀντωνίνου διατεταγμένομ μὴ δεῖν εἰς τετάρτην προχειρίζεσθαι B τὸν ἀπὸ τῆς τρίτης ἔκκλητον πεποιημένομ· ἀλλὰ μετεώρου οὔσης τῆς ἐπὶ τῇ τρίτῃ χειροτονίᾳ δικαιολογίας, τὸ ἐκείνης τέλος περιμένειν, ὅρον ἐσόμενον τῇ τετάρτῃ χειροτονίᾳ, ὀρθῷ γε λόγῳ. εἰ γὰρ τὴν τῇ τάξει τετάρτην ὑποδέξεταί τις ὡς τῇ δυνάμει τρίτην, ἀδίκου τῆς ἐπὶ τῇ τρίτῃ ἐκκλήτου ἀποφανθείσης, τέσσαρσι χρείαις ἐγκατασχεθήσεται παρὰ τοὺς νόμους. ἐὰν πατὴρ ἐν τρισὶν φροντίσιν ἢ ἐπιτροπῶν ἢ κουρατοριῶν, ὁ υἱὸς αὐτοῦ οὐκ ἐνοχληθήσεται. καὶ τοῦτο οὕτως διατέτακται ὑπὸ τῶν θειοτάτων Σεβήρου καὶ Ἀντωνίνου. τοῦτο δὲ καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου ἐστὶν, ὡς δεῖν τὰς τοῦ υἱοῦ ἐπιτροπὰς ἄνεσιν γε τῷ πατρὶ διδόναι, καὶ πάλιν ἀμφοτέροις C τὰς κοινὰς, τουτέστιν μίαν τοῦ υἱοῦ καὶ δύο τοῦ πατρὸς, ἢ δὲ τὸ ἔμπαλιν. τότε δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει, ἐπειδὰν τὸ βάρος ἐνὶ οἴκῳ οὐχὶ διακεχωρισμένοις διαφέρει. γράφει δὲ καὶ Οὐλπιανὸς ὁ κράτιστος ταῦτα.

V. VLPIANVS *lib. ſingulari de officio prætoris tutelaris.*

Tria onera in domo vna eſſe ſufficit. proinde ſi pater alicuius, vel filius, vel frater, qui eſt in eiuſdē poteſtate, tria onera ſuſtineat, quæ ad periculum patris ſui ſpectent: quia voluntate eius adminiſtrant, omnibus excuſatio à tutela competit. ſed ſi non patris voluntate adminiſtrent: nōn prodeſſe, ſæpe reſcriptum eſt.

VI. MODESTINVS *lib.* II. *Excuſationum.*

Ἐὰν δύο ἔχοντι ἐπιτροπὰς ἄλλαι δύο ὁμοῦ ἐπαχθῶσιν, ἢ

τῇ τάξει τρίτη βοηθήσει αὐτῷ εἰς τὴν ἄφεσιν τῆς τετάρτης.
κἂν αὐτοκράτωρ ἢ τὴν τετάρτην ἐγχειρίσας ἢ τὴν τρίτην. D
πρὶν μέντοι γνῶναι τὰ τῇ αὐτοκράτορος φθάσει προβληθεὶς εἰς ἄλλην. ἐὰν δὲ ἡ τάξις μὴ φαίνεται. ἀλλὰ ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ αἱ δύο χειροτονίαι προταττῶσιν ἐν διαφόροις χάρταις.
οὐχ ὁ χειροτονηθεὶς, ἀλλὰ ὁ χειροτονήσας ἐπιλέξηται ὁποίαν δεῖ αὐτὸν ἀποδέξασθαι. γραμματικοὶ, σοφισταὶ, ῥήτορες, ἰατροὶ, οἱ περιοδευταὶ καλούμενοι, ὥσπερ τῶν λοιπῶν λειτουργιῶν.
οὕτωσὶ δὲ ἀπὸ ἐπιτροπῆς καὶ κουρατορίας ἀνάπαυσιν ἔχουσιν. ἔστιν δὲ καὶ ὁ ἀριθμὸς ῥητόρων, ἐν ἑκάστῃ πόλει τῶν τὴν ἀλειτουργησίαν ἐχόντων, καὶ αἱρέσεις τινὲς προσκείμεναι τῷ νόμῳ, ὅπερ δηλοῦται διὰ ἐπιστολῆς Ἀντωνίνου τοῦ εὐσεβοῦς γραφείσης μὲν τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας, παντὶ δὲ τῷ κόσμῳ διαφερούσης, ἧς ἐστιν τὸ κεφάλαιον τοῦτο ὑποτεταγμένον. αἱ μὲν ἐλάττους πόλεις δύνανται πέντε ἰατροὺς ἀτελεῖς E
ἔχειν καὶ τρεῖς σοφιστὰς, καὶ γραμματικοὺς τοὺς ἴσους. αἱ δὲ μείζους πόλεις ἑπτὰ τοὺς θεραπεύοντας, τέσσαρας τοὺς παιδεύοντας ἑκατέραν παιδείαν. αἱ δὲ μέγισται πόλεις δέκα ἰατροὺς καὶ ῥήτορας πέντε καὶ γραμματικοὺς τοὺς ἴσους, ὑπὲρ δὲ τοῦτον τὸν ἀριθμὸν οὐδὲ ἡ μεγίστη πόλις τὴν ἀτέλειαν παρέχει. εἰκὸς δὲ τῷ μὲν μεγίστῳ ἀριθμῷ χρήσασθαι τὰς μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν, τῷ δὲ δευτέρῳ τὰς ἐχούσας ἀγορὰς δικῶν, τῷ δὲ τρίτῳ τὰς λοιπάς. τοῦτον τὸν ἀριθμὸν ὑπερβαίνειν μὲν οὐκ ἔστιν. οὔτε ψηφίσματι βουλῆς οὔτε ἄλλῃ τινὶ παρευρέσει. ἐλαττοῦν δὲ ἔξεστιν. ἐπειδήπερ ὑπὲρ τῶν πολιτικῶν λειτουργιῶν φαίνεται τὸ τοιοῦτο γινόμενον. οὐ μέντοι οὐκ ἄλλως τὴν ἀλειτουργησί- F
αν ταύτην καρπώσονται ἐὰν μὴ δόγματι βουλῆς ἐγκαταλέγωσιν τῷ ἀριθμῷ τῷ συγκεχωρημένῳ, καὶ περὶ τὸ ἔργον ὀλιγώρως μὴ ἔχωσιν. καὶ φιλοσόφους δὲ ἀπολύεσθαι ἐπιτροπῶν παῦλος γράφει οὕτως. Philoſophi, oratores, grammatici, qui publicè iuuenibus proſunt, excuſantur à tutelis. nam & Vlpianus libro quarto de officio proconſulis ita ſcribit. Sed & reprobari medicum poſſe à republica, quamuis ſemel probatus ſit, Imperator noſter cum patre Lælio Baſſo reſcripſit. περὶ δὲ τῶν φιλοσόφων ἡ αὐτὴ διάταξις τοῦ πίου οὕτως λέγει. φιλοσόφων δὲ οὐκ ἐτέθη ἀριθμὸς διὰ τὸ σπανίους εἶναι τοὺς φιλοσοφοῦντας. οἶμαι δὲ ὅτι οἱ πλούτῳ ὑπερβάλλοντες, ἐθέλοντες παρέξουσιν τὰς ἀπὸ τῶν χρημάτων ὠφελείας ταῖς πατρίσιν. εἰ δὲ ἀκριβολογοῖντο

περὶ

περὶ τὰς οὐσίας, αὐτόθεν ἤδη φανεροὶ γενήσονται μὴ φιλοσο-
A φοῦντες. ἔστιν δὲ καὶ ἐν ταῖς τοῦ βασιλέως Κομμόδου διατά-
ξεσιν ἐγγεγραμμένον κεφάλαιον ἐξ ἐπισολῆς Ἀντωνίνου τοῦ
εὐσεβοῦς, ἐν ᾧ δηλοῦται καὶ φιλοσόφους ἀλειτουργησίαν ἔ-
χειν ἀπὸ ἐπιτροπῶν. ἔστιν δὲ τὰ ῥήματα ταῦτα. ὁμοίως δὲ
τούτοις ἅπασιν ὁ θειότατος πατήρ μου παρελθὼν εὐθὺς ἐπὶ
τὴν ἀρχὴν διατάγματι τὰς ὑπαρχούσας τιμὰς καὶ ἀτε-
λείας ἐβεβαίωσεν, γράψας φιλοσόφους, ῥήτορας, γραμμα-
τικούς, ἰατροὺς ἀτελεῖς εἶναι γυμνασιαρχιῶν, ἀγορανομιῶν,
ἱερωσυνῶν, ἐπισαθμιῶν, σιτωνίας, ἐλαιωνίας: καὶ μήτε κρί-
νειν, μήτε πρεσβεύειν, μήτε εἰς στρατείαν καταλέγεσθαι ἄ-
κοντας, μήτε εἰς ἄλλην αὐτοὺς ὑπηρεσίαν ἐθνικὴν ἤ τινα ἄλ-
λην ἀναγκάζεσθαι. ἔτι κἀκεῖνο εἰδέναι χρὴ ὅτι ὁ ἐν τῇ ἰ-
B δίᾳ πατρίδι διδάσκων ἢ θεραπεύων τὴν ἀλειτουργησίαν
ταύτην ἔχει. ἐὰν γὰρ Κομανεὺς ὢν ἐν Νεοκαισαρίᾳ σοφι-
σεύει ἢ θεραπεύει ἢ διδάσκει, παρὰ Κομανεῦσιν ἀλειτουργη-
σίαν οὐκ ἔχει. καὶ τοῦτο οὕτως νενομοθέτηται ὑπὸ τῶν θειο-
τάτων Σεβήρου καὶ Ἀντωνίνου. τοὺς μέν τοι ἄγαν ἐπισήμο-
νας καὶ ὑπὲρ τὸν ἀριθμὸν καὶ ἐν ἀλλοτρίᾳ πατρίδι τὰς δια-
τριβὰς ποιουμένους εἶναι ἀλειτουργήτους Παῦλος γράφει
λέγων τὸν θειότατον Ἀντωνῖνον τὸν εὐσεβῆ οὕτω κεκελευκέ-
ναι. τὸν ἐν Ῥώμῃ σοφισεύοντα ἢ σαλαρίῳ ἢ καὶ χωρὶς σα-
λαρίου ἄφεσιν ἔχειν νενομοθέτηται ὑπὸ τῶν θειοτάτων Σεβή-
ρου καὶ Ἀντωνίνου, οὕτως ὡσανεὶ ἐτύγχανεν ἐν ἰδίᾳ πατρίδι δι-
δάσκων. αἷς νομοθεσίαις δύναταί τις ἐκεῖνον προσαγαγεῖν
C τὸν λόγον, ὅτι κοινῆς οὔσης τε καὶ νομιζομένης πατρίδος τῆς βασι-
λευούσης, εἰκότως ἂν ὡς ἐν ἰδίᾳ πατρίδι χρήσιμον ἑαυτὸν πα-
ρασχὼν ἀλειτουργησίαν καρπώσεται. νόμων δὲ διδάσκαλοι
ἐν ἐπαρχίᾳ διδάσκοντες ἄφεσιν οὐχ ἕξουσιν, ἐν Ῥώμῃ δὲ δι-
δάσκοντες ἀφίενται. Vlpianus libro singulari de officio
prætoris tutelaris ita scribit: Athletæ habét quidem à tu-
tela excusationem, sed qui sacris certaminibus coronati
sunt. ἔθνους † ἱερωσύνη οἷον Ἀσιαρχία, Βιθυνιαρχία, Καππα- †Vide Antoniũ Augustinũ in hunc locũ.
δοκαρχία, παρέχει ἀλειτουργησίαν ἀπὸ ἐπιτροπῶν. τουτέστιν ἕως ἂν ἄρχῃ. Tutela non est reipublicæ munus, nec
quod ad impensam pertinet, sed ciuile: nec prouinciale
videtur tutelã administrare. ἀφίενται ἐπιτροπῆς καὶ κουρατο-
ρίας στρατηγοὶ τῆς πόλεως. δίδωσιν ἄφεσιν ἐπιτροπῆς καὶ
κεφαλικὴ ἔχθρα τῷ χειροτονηθέντι γενομένη πρὸς τὸν πα-

 τέρα

τέρα τῶν ὀρφανῶν, ἐκ τῆς εἰ μὴ κατὰ διαθήκας φανείη δοθεὶς
ἐπίτροπος, πλὴν εἰ μὴ μετὰ τὸ γραφῆναι τὴν διαθήκην κε- D
φαλικὸς ἀγὼν αὐτοῖς πρὸς ἀλλήλους συνέστηκεν, ἢ εἰ μὴ πρε-
σβυτέρα μέν ἐστιν τῆς διαθήκης ἡ ἔχθρα, διὰ τοῦτο δὲ δοκεῖ δε-
δόσθαι ἐπίτροπος, ἵνα ὑποβληθῇ ἐνοχῇ καὶ πράγμασιν, καὶ
τοῦτο δὲ ἐπιστολῆς Σεβήρου βασιλέως δείκνυται. ἔτι ἀπολύεται
ἐπιτροπῆς ὁπόταν ἀμφισβήτησίν τις τῷ ὀρφανῷ περὶ τῆς
καταστάσεως κινῇ, φαίνεται δὲ τοῦτο μὴ συκοφαντίᾳ ποιῶν,
ἀλλ᾽ ἐκ καλῆς πίστεως, καὶ τοῦτο οἱ θειότατοι Μάρκος καὶ Βῆρος
ἐνομοθέτησαν, περὶ τῶν ἀγροίκων καὶ τῶν ταπεινῶν καὶ τῶν ἀ-
γραμμάτων γράφει Παῦλος οὑτωσί. Mediocritas, & rusti-
citas interdum excusationem prębent secundum epistolas
diuorum Hadriani & Antonini. Eius, qui se neget lite-
ras scire, excusatio accipi non debet: si modò non expers E
sit negociorum.

VII. VLPIANVS *lib. singulari excusationum.*

PAupertas sanè dat excusationé, si quis imparem se o-
neri iniũcto possit probare. idque diuorum fratrũ re-
scripto continetur.

VIII. MODESTINVS *lib. III. Excusationum.*

ΟἹ παλαιστρατιῶται οἱ ἐντίμως πληρώσαντες τὸν τῆς
στρατείας χρόνον, ἄφεσιν ἔχουσιν ἐπιτροπῶν πρὸς πάν-
τας τοὺς ἰδιώτας· πρὸς δὲ τοὺς παῖδας τῶν τῆς αὐτῆς τάξεως κε-
† Vide in κοινωνηκότων ἢ πάντων παλαιστρατιωτῶν†, ἐντὸς μὲν ἐνιαυτοῦ τοῦ
hũc locum ἀπὸ στρατεύσασθαι ἄφεσιν ἔχουσιν, μετὰ δὲ ἐνιαυτὸν οὐκέτι. τὸ F
Antonium γὰρ ἰσότιμον τῆς στρατείας ἰσχυρότερον ἐνομίσθη τῆς τῶν πα-
Augustinũ λαιστρατιωτῶν προνομίας, ἐὰν μὴ ἄρα ἄλλα ἔχωσιν δίκαια
πρὸς παραίτησιν ἐπιτροπῆς, οἷον ἀριθμὸν ἐτῶν ἢ τι τοιοῦτο
ὁποῖον καὶ τοῖς ἰδιώταις πρὸς ἅπαντα συμβάλλεσθαι εἴωθεν. ταῦ-
τα δὲ περὶ υἱῶν οὐχὶ περὶ ἐγγόνων τῶν παλαιστρατιωτῶν. ἔγ-
γονοι γὰρ τῶν παλαιστρατιωτῶν ἐν τῇ αὐτῇ χώρᾳ τῶν λοιπῶν
ἰδιωτῶν εἶναι πιστευθήσονται. οἱ μέντοι ἀτίμως ἀποστρατευ-
σάμενοι ὅμοιοι τοῖς μηδὲ στρατευσαμένοις νομίζονται. καὶ
διὰ τοῦτο οὔτε αὐτοὶ ἔχουσιν προνομίαν, οὔτε τοῖς τούτων παι-
σὶν παλεστρατιῶται ἐπίτροποι δοθέντες καταχθήσονται. ἐ-
† In hũc lo σθότε δὲ οὐ πληροῦσι τινὲς τὸν τῆς στρατείας† χρόνον, καὶ ὅμως
cũ Alexã. ἔχουσιν ἄφεσιν ἐπιτροπῶν κατὰ τὰ αὐτὰ τοῖς πληρώσασιν.
ab Alexã. ὁ γὰρ εἰκοστὸν ἔτος τῆς στρατείας ὑπερβὰς ὅμοιος εἶναι πιστεύ-
li.6.ca.22 εται τῷ πληρώσαντι τὸν τῆς στρατείας χρόνον. ὁ δὲ ἐντὸς

τούτων τῶν ἐτῶν ἀφεθεὶς οὐκ ἔχει διηνεκῆ ἐπὶ ταῖς ἐπιτρο-
A πεαῖς ἀλειτουργησίαν, ἀλλὰ πρὸς χρόνον. ὥσπερ καὶ τῶν λοι-
πῶν πολιτικῶν λειτουργιῶν ἄφεσιν ἔχει. ὁ μὲν γὰρ ἐντὸς
πέντε ἐτῶν τῆς στρατείας ἀπολυθεὶς, οὐδεμίαν ἑαυτῷ ἐκδική-
σει ἀλειτουργησίαν. ὁ δὲ μετὰ πέντε, ἑνὸς ἐνιαυτοῦ ἔχει ἀλει-
τουργησίαν. ὁ δὲ μετὰ ὀκτὼ, διετείας. ὁ δὲ μετὰ δώδεκα, τριε-
τείας. ὁ δὲ μετὰ δεκαὲξ, τετραετείας, ὁ δὲ μετὰ εἴκοσι, ὡς
προείπομεν, διηνεκῶς ἀπολυθήσεται. ὁ δὲ ἐν τοῖς νυκτοφύ-
λαξιν τοῖς ἐν ῥώμῃ στρατευσάμενος ἐνιαυτοῦ μόνου ἔχει ἄφε-
σιν. οὗτοι δὲ δηλαδὴ ἐὰν ἐντίμως ἀπολυθῶσιν, ὥσπερ προεί-
ρηται, ἢ διὰ νόσον καλουμένην καυσαρίαν ἄφεσιν λαβῶ-
σιν. ἔστιν γὰρ καὶ αὕτη ἔντιμος. ὁ γὰρ ἄτιμος τυχὼν ἀφέσεως
οὐκ ἔχει ἀνάπαυσιν. συμβετερανὸς δὲ εἶναι πιστεύεται οὐ μό-
B νον ὁ λεγϊωνάριος, ἀλλὰ καὶ πᾶς παντὸς τρόπου στρατευσά-
μενος, ἐπιτίμως δὲ καὶ αὐτοῦ ἀπολυθέντος. καὶ γὰρ λεγϊω-
νάριος τοῦ ἐν τοῖς νυκτοφύλαξιν στρατευομένου παιδὸς ἐπί-
τροπος γίνεται. ἤδη δὲ καὶ στρατιώτου ἀφήλικος κουράτωρ
δοθήσεται ὁ παλαιστρατιώτης, δηλαδὴ ἐὰν ὁ πατὴρ αὐτοῦ
ἀποθάνῃ. ἐὰν δὲ οὕτω ἀποχειρὸς ἀπολυθῶσιν, ὁμοίως καὶ
τούτοις πᾶσιν διατάξεις μαρτυροῦσιν. γράφει δὲ καὶ Οὐλ-
πιανὸς οὕτως. Sed ignominia missi, ab vrbicis planè tu-
telis excusabuntur : quia ingredi vrbem eis non licet. Pla-
nè si quis in cohortibus vrbanis permilitauit : licet ante
viginti annos mittitur, tamen perpetuam habet à tutelis
excusationem. Ἐζητήθη δὲ, πότερον μίαν καθάπαξ ἐπι-
C τροπὴν ἀναδέχονται οἱ παλαιστρατιῶται, ἢ ἐνὶ καιρῷ ἐν
πλείον τοῦ ἅπαξ, παυσαμένης δὲ τῆς πρώτης ἐπιτροπῆς πά-
λιν ἀναλήψονται; ἀλλ' ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἰδιωτῶν αἱ παυσά-
μεναι οὐ βοηθήσουσιν τοῖς ἐσχηκόσι, οὐδὲ εἰς τὰς τρεῖς ψηφί-
ζονται, οὕτως καὶ ἐπὶ τῶν παλαιστρατιωτῶν οὐκ ὠφελεῖ τὸ
γεγενῆσθαι. τοῦτο δὲ καὶ ἐπὶ τῶν κουρατοριῶν ἐστὶν νενο-
μοθετημένον, ὡς δηλοῖ θεία διάταξις Σεβήρου τε καὶ Ἀντω-
νίνου. καὶ οὕτω διαφέρει πῶς δεήσονται οἱ παῖδες τοῦ συ-
στρατιώτου ἐπιτρόπου ἢ κουράτορος, πότερον ἀπὸ χειρὸς ἀ-
πολυθέντες, ἢ τοῦ πατρὸς ἀποθανόντος. πριμιπιλάριοι ἐκ
διατάξεων βασιλέων παραίτησιν ἔχουσι τῶν λοιπῶν ἐπι- †In hũc lo-
τροπῶν. πριμιπιλαρίου δὲ υἱῶν ἐπιτροπεύουσιν. πριμιπιλά- cũ Ale. ab
ριοι δὲ οὗτοι νομίζονται. οἱ διανύσαντες τὸ πριμίπιλον. ἐὰν δὲ Alex. li.I.
μὴ διανύσας ἀποθάνῃ, τούτου τῶν παίδων πριμιπιλάριος cap.5.
οὐκ ἐπι-

οὐκ ἐπιτροπεύσει.

IX. VLPIANVS. *lib. singulari de officio Prææt. tutelaris.* D

SI Tribunus in cohortibus prætoriis permilitauerit: etiam collegarum filiorum tutela excusabitur beneficio diui Seueri & imperatoris nostri.

X. MODESTINVS *lib. III. Excusationum.*

Οὐ μόνον δὲ οἱ τὰς ἀπὸ καλίγας στρατείας καὶ τὰς λοιπὰς πριμιπιλάριοι στρατευσάμενοι, ἀλλὰ καὶ οἱ ὁποσουνοῦν χρείας δημοσίας δήμου Ῥωμαίων ἕνεκα ἀποδημήσαντες, ἐνιαυτὸν ἔχουσιν ἀνάπαυσιν μετὰ τὸ ἐπανελθεῖν. ὁ μέντοι ἐνιαυτὸς οὗτος οὐ μόνον τοῖς πληρώσασιν τὸν συνήθη τῆς στρατείας καιρὸν ἐν ταῖς λοιπαῖς δημοσίαις χρείαις δίδοται, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὁποσουνοῦν παυσαμένοις τῆς δημοσίας χρείας καὶ ἐπανελθοῦσιν, κἂν ἐλάττονα χρόνον διατρίψωσιν τοῦ διατεταγμένου. ἃς μέντοι πρὸ τοῦ εἶχον ἐπιτροπάς, διὰ δὲ τοῦτο ἀπέθεντο ὅτι δημοσίου ἕνεκα πράγματος ἀπεδήμουν, ταύτας ἐπανελθόντες παραυτίκα ἐπαναλήψονται, οὐδὲν αὐτοῖς βοηθοῦντος τοῦ ἐνιαυτοῦ, ὁ γὰρ ἐνιαυτὸς πρὸς τὰς μελλούσας νέας δίδοται, οὐ πρὸς τὰς ἀναληφθῆναι ὀφειλούσας. ἐνιαυτὸς δὲ συνημμένων ἡμερῶν ἐξετασθήσεται, ἐξότου τις ἐπανῆλθεν εὐθεῖαν ὁδὸν ὁδεύων, ἢ ὁδεύειν γε ὀφείλων, οὐχὶ τὴν ἐκ περιόδων. καὶ οἱ κατὰ διαθήκας δοθέντες ἐπίτροποι παραιτήσονται κατὰ νόμους τὸν χειρισμὸν τῶν ἐν ἄλλῃ ἐπαρχίᾳ ὄντων κτημάτων. ὃ δηλοῖ ἡ ὑποτεταγμένη τοῦ θειοτάτου Σεβήρου διάταξις. E Diui Seuerus & Antoninus Augusti F Valerio. testamento tutor datus, ante præfinitum diem adire præsidem prouinciæ debuisti, & postulare, vt ab administratione earum rerum, quæ in alia prouincia erant, liberareris. Ὁ πριμιπίλον διανύσας καὶ ἐπιτροπὴν δεξάμενος καὶ ἑνὸς παιδὸς πάλιν εἰς τὰς στρατιωτικὰς χρείας ἀναληφθῇ, ἀποθήσεται τὴν φροντίδα τῆς ἐπιτροπῆς. ὁμοίως καὶ εἰς τὸν τόπον ἐκείνου τοῦ ἐπιτρόπου, ὃν μετὰ ταῦτα συγκάθεδρον ἑαυτῷ τις ἀπήγαγεν, δοθήσεται κουράτωρ ὥς φησιν διάταξις τοῦ θειοτάτου Σεβήρου. ἣν ὀρθῶς ἐφαρμόζων πᾶσιν τοῖς ὁμοίοις κεφαλαίοις κουράτορα δίδοσθαι δεῖ, εἰς τὸν τόπον τοῦ χρόνου ἀνάλυσιν λαμβανόντων. ἐὰν ἀπελεύθερος δοθῇ ἀφῆλιξ ὑπὸ πατρώνου ἐπίτροπος τοῖς τέκνοις αὐτοῦ, ἢ καὶ ἕτερος οἷος δήποτε ἐλάττων τῶν εἴκοσι πέντε ἐνιαυτῶν,

τῶν, ἕως μὲν ἀφῆλιξ ᾖ, οὐκ ἐνοχληθήσεται. ἐν τοσούτῳ δὲ
A ἕτερος εἰς τόπον αὐτοῦ χειροτονηθήσεται κηδεμών. ὁμοίως ἔστιν τούτῳ καὶ ὁ νόμιμος ἐπίτροπος ἐὰν ἀφῆλιξ ὢν τύχῃ. καὶ γὰρ καὶ εἰς τὸν τόπον τούτου κηδεμὼν ἐν τῷ τέως δοθήσεται. ἐάν τις οὕτως νοσήσῃ ὡς δεῖν αὐτὸν μὴ παντάπασιν ἀφεθῆναι ἐπιτροπῆς, εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ κουράτωρ δίδοται, ῥᾴσας δὲ πάλιν οὗτος ἀναλήψεται τὴν ἐπιτροπήν. εἰ δὲ καὶ τὶς εἰς μανίαν ἐμπέσῃ, ὅμοιός ἐστι τούτῳ. οὕτω καὶ Οὐλπιανὸς γράφει. Aduerſa quoque valetudo excuſat: ſed ea, quæ impedimento eſt, quò minus quis ſuis rebus ſupereſſe poſſit, vt Imperator noſter cum patre reſcripſit.

XI. PAVLVS *lib. ſingulari de excuſatione tutorum.*

B ET non tantùm ne incipiant, ſed à cœpta excuſari debent.

XII. MODESTINVS *lib. III. Excuſationum.*

IDem Vlpianus ſcribit. ſed in hoc reſcripto adiectum eſt: ſolere vel ad tempus, vel in perpetuum excuſari, prout valetudo eſt, qua adficitur. Furor autem non in totum excuſat, ſed efficit, vt curator interim detur. ἔστιν καὶ ἄλλοι οἱ κἂν ἤδη ὦσιν ἐπίτροποι ἢ κουράτορες, διηνεκῶς λοιπὸν ἀπολύονται τῆς φροντίδος, οἷον οἱ τὴν ἑστίαν ἀλλαχοῦ μεταθεῖναι τυχόντες ἐξ ἀντιγραφῆς βασιλέως, ἐνδόντος μὲν αὐτοὺς ἐπιτροπεύειν, τὸ δὲ μετοικῆσαι ῥητῶς αὐτοῦ φιλοτιμουμένου, καὶ τούτων ἑκατέρου δηλωθέντος τοῖς γράμμασιν.

C

XIII. IDEM *lib. IIII. Excuſationum.*

EIδέναι χρὴ ὅτι οὔτε οἱ χειροτονηθέντες ἐπίτροποι, οὔτε οἱ κατὰ διαθήκην δοθέντες, ἐκκαλεῖσθαι ἀνάγκην ἔχειν, ὡς δηλοῖ διάταξις τῶν θειοτάτων Σευήρου καὶ Ἀντωνίνου, τοῦτο δὲ παραφυλάττειν δεῖ καὶ ἐπὶ τῶν χειροτονηθέντων κουρατόρων. ἐν ὀλίγοις γὰρ πάνυ διαλλάττουσιν οἱ κουράτορες ἀπὸ τῶν ἐπιτρόπων. κατὰ μέντοι τῶν ψήφων τῶν ἐκβαλλουσῶν αὐτοῖς τὰς ἐξκουσατίονας ἄδειαν ἕξουσιν ἐκκαλεῖσθαι. πολλὰ δὲ παραφυλάττειν προσήκει, ἵνα ἐπιτρόπωσιν ἐπίτροποι ἢ κουράτορες τὰ δίκαια παρασχέσθαι τῆς ἀφέσεως. δεῖ γὰρ αὐτοὺς ἐμπροθέσμως προσελθεῖν τῷ δικαστῇ. εἰσὶν δὲ αἱ προθεσμίαι αὗται. ὁ μὲν γὰρ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει ὢν ὅπου κεχειροτόνηται, ἢ ἐντὸς ἑκατοστοῦ μιλίου τῆς πόλεως,

ἐντὸς πεντήκοντα ἡμερῶν παραιτήσεται, ἢ μετὰ τοῦτ' οὐ
συγχωρηθήσεται, ἀλλ' ἕξεται τῆς φροντίδος. κἂν τούτων τι D
μὴ ποιήσῃ, ἔσται ἐν τῇ αὐτῇ αἰτίᾳ, ἐν ᾗ ἦν ἂν εἰ ἀπεφάνθη τῷ
ἰδίῳ κινδύνῳ αὐτὸν ὀλιγωρεῖν, πρὸς τὸ μηδὲ καταλείπεσθαι
αὐτῷ τινὰ ὁδὸν πρὸς παραίτησιν. ὁ δὲ ὑπὲρ ἑκατὸν μίλια
τῆς πόλεως ἀποδημῶν εἴκοσι μίλια ἕξει ἀριθμούμενα αὐτῷ
καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀφ' ἧς ἂν γνῷ. δεῖ δὲ αὐτῷ μηνυθῆναι
ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ἢ κατὰ πρόσωπον, ἢ ἐπὶ τῆς οἰκίας. καὶ ἔ-
ξωθεν τούτων ἄλλας τριάκοντα ἡμέρας ἔχει πρὸς δικαιολο-
γίαν. τοῦτο δὲ διαφέρει καὶ τοῖς κατὰ διαθήκας δοθεῖσιν,
ἐάν τε ἐπίτροποι ὦσιν ἐάν τε κουράτορες, οὓς κουράτορας βε-
βαιοῦσθαι ἔθος ὑπὸ τοῦ ἡγουμένου. ἕτερον δὲ ἐκεῖνο εὑρίσκομεν
ἐκ τῆς Μάρκου νομοθεσίας, ζητήσεως ἄξιον, τῷ γὰρ ἐν αὐτῇ τῇ
πόλει ὄντι ἐν ᾗ κεχειροτόνηται ἢ ἐντὸς ἑκατὸν μιλίων πεν- E
τήκοντα ἡμερῶν ἔδωκεν νομοθέτης προθεσμίαν. τῷ δὲ ὑπὲρ
ἑκατὸν μίλια διατρίβοντι κατεκάστην ἡμέραν δεῖν ἀριθ-
μεῖσθαι εἴκοσι μίλια ἐκέλευσεν, καὶ ἔξωθεν τούτων ἄλλας
τριάκοντα ἡμέρας προσέθηκεν εἰς δικαιολογίαν. ὅθεν συμ-
βαίνει ἐὰν ἥτις ἀπὸ ἑκατὸν ἑξήκοντα μιλίων τὰς διατρι-
βὰς ποιούμενος, τούτῳ εἶναι προθεσμίαν ὀκτὼ καὶ τριάκοντα
ἡμερῶν, ὀκτὼ μὲν τῶν ἑκατὸν ἑξήκοντα μιλίων, ὡς καθ' ἑ-
κάστην ἡμέραν εἴκοσι μιλίων ἀριθμουμένων, τριάκοντα δὲ
τὰς πρὸς τὴν δικαιολογίαν. ἔσται οὖν ἐν χείρονι τάξει ὁ πόρ-
ρωθεν διατρίβων τοῦ ἐντὸς ἑκατὸν μιλίων ὄντος, ἢ ἐν αὐτῇ
τῇ πόλει, εἴγε οὗτοις μὲν ἀεὶ πεντήκοντα ἡμέραι προθε-
σμίας εἰσὶν, ἐκείνοις δὲ ἐλάττους. ἀλλ' εἰ καὶ τὰ μάλιστα τὸ
ῥητὸν τοῦ νόμου ταύτην ἀποτελεῖ τὴν διάνοιαν, ὅμως γνώμη F
τοῦ νομοθέτου ἄλλο βούλεται. οὕτως γὰρ καὶ Κερβίδιος Σκε-
βόλας καὶ Παῦλος καὶ Δομίτιος Οὐλπιανὸς, οἱ κορυφαῖοι
τῶν νομικῶν γράφουσιν, φάσκοντες οὕτως δεῖν ταῦτα πα-
ραφυλάττειν, ὡς μηδέποτε τινὶ ἐλάττω δίδοσθαι τῶν πεν-
τήκοντα ἡμερῶν προθεσμίαν. τότε δὲ μακροτέραν, ὁπόταν
ἡ διαρίθμησις τῶν ἐπὶ τῇ ὁδῷ ἡμερῶν προστιθεμέναις
ταῖς τριάκοντα ἡμέραις ἃς πρὸς δικαιολογίαν ὁ νόμος δί-
δωσιν, ὑπερβαίνει τὰς πεντήκοντα ἡμέρας. οἷον ἐάν τινα
φῶμεν ἀπὸ τετρακοσίων τεσσαράκοντα μιλίων διατρί-
βειν, οὗτος γὰρ τῆς μὲν ὁδοῦ ἕξει ἡμέρας εἴκοσι δύο: πρὸς δι-
καιολογίαν δὲ ἄλλας τριάκοντα. παραφυλάξουσιν δὲ αὐ-
τὴν τὴν προθεσμίαν πάντες οἱ ὁπωσοῦν παραιτούμενοι ἐπι-

τροπὴν

τροπὴν καὶ κουρατορίαν, ἢ μέρος γε ταύτης. ἀκόλουθον δέ ἐστιν
A πιστεύειν ὅτι εἰ καὶ τινὶ εἴδει παραιτήσεως ἤ τις χρώμενος,
οὐκ ἄλλως ἀκουσθήσεται, ἐὰν μὴ φυλάξῃ τὴν προθεσμίαν,
εἰ μὴ ἄρα τῆς ἑτέρας πόλεως πολίτης ἐστίν, οὕτως δὲ ἐπαναγ-
κές ἐστι φυλάττειν τὴν προθεσμίαν, * ὅτι κἂν δικαιολογη- * Vide in
σάμενος ἀφεθῇ, μὴ ἐλευθεροῦσθαι αὐτὸν οἱ θειότατοι Σεβῆ- hũc locum
ρος καὶ Ἀντωνῖνος δηλοῦσιν ἐν διατάξει, κελεύσαντες μὴ Ant. Augu
κρατεῖσθαι τὸν εἰς τόπον αὐτοῦ χειροτονηθέντα, ὡς οὐκ ἔξον stinum li.
δεδομένον εἰς τόπον ὄντος ἐπιτρόπου. ἀπόχρη δὲ ἐντὸς τῆς singul. ad
προθεσμίας ἐντυχεῖν μόνον. ἐὰν γὰρ μετὰ ταῦτα μὴ ἑκὼν Modestinũ
ἀπολειφθῇ, οὐκ ἔσται παραγραφικός. διόπερ ἐὰν ἀφοσιώσε-
ως χάριν μόνον ἐντυχῇ, μὴ ἐπιμείνῃ δὲ μετὰ ταῦτα τῇ δι-
καιολογίᾳ μετὰ τὴν προθεσμίαν ὑποπεσεῖται τῇ παρα-
B γραφῇ, καὶ λέγει τοῦτο διάταξις τῶν αὐτοκρατόρων Σε-
βήρου καὶ Ἀντωνίνου. ἐὰν γάρ τις διὰ νόσον, ἢ δι' ἄλλην ἀνάγ-
κην, οἷον θαλάσσης ἢ χειμῶνος ἢ ἐφόδου λῃστῶν ἢ τινὰ ἑτέραν
παραπλησίαν ἐν προθέσμῳ μὴ δύνηται ἐντυχεῖν, συγγνώ-
μης τυγχάνειν. οὐ τὴν πίστιν ἤρκει συστῆσαι καὶ ἐξ αὐτοῦ τοῦ
φύσει δικαίου. πλὴν ἀλλὰ καὶ διάταξίς ἐστιν τῶν αὐτοκρα-
τόρων Σεβήρου καὶ Ἀντωνίνου ταῦτα λέγουσα. εἰδέναι δὲ δεῖ
ὅτι οὐκ ἀπόχρη τὸ προσελθεῖν τῷ δικάσοντι, ἀλλὰ δεῖ αὐτὸν
καὶ περὶ τοῦ εἴδους τῆς ἀφέσεως μαρτύρασθαι καὶ εἰ πολλὰ
ἔχει πρὸς ἄφεσιν δίκαια, πάντα ὀνομάσαι. εἰ δὲ μή, ὅμοιός
ἐστι τῷ μηδὲ τὴν ἀρχὴν προσεληλυθότι, προσελθὼν μὲν, δι-
καίων δὲ ἀφέσεως μὴ ὀνομάσας, αἱ δὲ πεντήκοντα ἡμέραι
C συνημμέναι ψηφίζονται ἀρχόμεναι ἀπὸ τοῦ καιροῦ τῆς γνώ-
σεως ἐν ᾧ τις ἔγνω ἑαυτὸν δεδόσθαι. χρὴ δὲ μία μαρτύρεσθαι
προβίματος, ἢ ἄλλως διὰ ὑπομνημάτων, δύναται δὲ καὶ
βιβλίδια διαδοῦναι χαμάθεν, ὡς οἱ αὐτοί φασιν αὐτοκρά-
τορες. ταῦτα περὶ τῶν φυλάσσειν τὴν προθεσμίαν ὀφειλόν-
των. περὶ δὲ τῶν μὴ ὑποκειμένων ταῖς προθεσμίαις φέ-
ρε σκεψώμεθα. οἱ γὰρ παρανόμως δοθέντες διὰ τρόπου, του-
τέστιν, ἢ ὑφ' ὧν μὴ ἐχρῆν, ἢ οὗτοι οὓς μὴ ἐχρῆν, ἢ οἷς μὴ ἐ-
χρῆν, ἢ ὃν μὴ ἐχρῆν τρόπου, ἐὰν μήτε βεβαιωθῶσιν μήτε ἐ-
φάψωνται τοῦ χειρισμοῦ εἰσιν ἀνεύθυνοι, οὐδὲ προοίσει τὶς αὐ-
τοῖς ὅτι τὰς προθεσμίας οὐκ ἐτήρησαν τῶν παραιτήσεων.
οὐδὲ γὰρ ἔχουσιν παραιτήσεως ἀνάγκην. ὡς δείκνυται ἐκ
τῶν ὑποτεταγμένων διατάξεων ἃς παραδείγματος χάριν
ὑπέταξα. ἐφαρμόζοιντο δὲ ἂν πᾶσιν.

Diui

Diui Seuerus & Antoninus Augusti Narcisso. Ab auo
materno tutor datus, necesse non habuisti excusari cum D
ipso iure non teneris. Si igitur administrationi te non
miscuisti, potes esse securus. ὁμοίως δὲ καὶ ἐὰν τὸν μὴ
ὑποκείμενον τῇ δικαιοδοσίᾳ χειροτονήσωσιν οἱ ἄρχοντες ἐ-
πίτροπον ἢ κουράτορα, οὐ δὲ οὗτος ἀνάγκην ἔχει παραφυλάσ-
σειν τὰς προθεσμίας οἷον τὸν μήτε πολίτην μήτε ἰνκόλαν.

XIIII. IDEM *libro quinto Excusationum.*

Ἀπελεύθερον ἐν τῷ λόγῳ τῶν περὶ ἀφέσεως ἐπιτρόπων
καὶ κουρατόρων, εἰδέναι δεῖ, ὅτι οὐ μόνον τοῦ πατρὸς
τοῦ ὀρφανοῦ ἀλλὰ καὶ μητέρος νοεῖσθαι χρή· καὶ ὁπόταν δὲ
ζητῶμεν περὶ παίδων πατρώνος, εἰδέναι χρὴ, ὅτι τὴν προ-
σηγορίαν ταύτην οὐκ ἐν τῷ πρώτῳ βαθμῷ στήσομεν, τουτέ-
στιν υἱὸν καὶ θυγατέρα, ἀλλὰ καὶ ἐκγόνους ἐξ ἑκατέρου καὶ E
τοὺς ἐφεξῆς, ἀλλὰ καὶ ἐὰν δίκαιον χρυσῶν δακτυλίων λά-
βῃ, ἔτι διασώζει τὴν τῶν ἀπολευθέρων τάξιν ἐν τούτῳ, ὅπερ
ἀντέγραψεν θειότατος Ἀντωνῖνος ὁ μέγας. ὁ ἰδίῳ ἀργυ-
ρίῳ ὠνηθεὶς καὶ ἀπελευθερωθεὶς, οὐδαμῶς συγκρίνεται τοῖς
λοιποῖς ἀπελευθέροις. ἐὰν πολλοὶ ἀπελεύθεροι ὦσιν, εἷς ἁ-
πάντων τοῖς τέκνοις ἐπίτροπος δοθήσεται, καὶ ἀπὸ τριῶν
ἐπιτροπῶν οὐκ ἀπολυθήσεται.

XV. IDEM *libro sexto Excusationum.*

Σπάδοντα χειροτονήσουσιν ἐπίτροπον, οὐδεμίαν γὰρ
ἔχει παραίτησιν, ὡς δείκνυσιν διάταξις τῶν αὐτο-
κρατόρων Σεβήρου καὶ Ἀντωνίνου. ὁ τῷ πατρὶ ἐπαγγει-
λάμενος ἐπιτροπεύειν τῶν παίδων, ἀφεῖσθαι ταύτης τῆς F
ἐπιτροπῆς οὐ δύναται, κἂν ἄλλως ἔχει δίκαια ἀφέσεως. εἰ-
δέναι δεῖ ὅτι ἀξίωμα οὐδενὶ παρέξει παραίτησιν. ὅθεν ἐάν τις
συγκλητικὸς ᾖ, οὗτος ἐπιτροπεύσει τῶν κατὰ δευτέρας
τάξεως ὄντων συγκλητικῶν, ὅπερ ἀντέγραψαν οἱ θειότατοι
Μάρκος καὶ Κόμμοδος. εἰ δέ τις ἐπίτροπος ἢ κουράτωρ ἢ
μὴ συγκλητικοῦ ἢ ἄλλως ἀξιωματικοῦ, εἶτα δὲ ὕστερον γένηται συ-
γκλητικὸς, διηνεκῶς ἀπολέλυται τῆς φροντίδος. εἰ δὲ οἱ ἐ-
πιτροπευόμενοι ἢ κουρατορευόμενοι παρ' αὐτοῦ παῖδες ἦσαν
συγκλητικοῦ, οὐκ ἀπολέλυται τῆς ἐπιτροπῆς. ὁμοίως δὲ ὁ κατὰ
δευτέρας τάξεως ὢν οὐ παραιτήσεται ἐπιτροπεύειν καὶ κουρα-
τορεύειν τῶν μειζόνων. μηδὲ λιβραρίους μηδὲ καλκουλάτορας
οὓς διαψηφιστὰς λέγομεν, ἔχειν ἀλειτουργησίαν λέγουσιν αἱ
θεῖαι διατάξεις, ἤδη δὲ καὶ Ἰουδαῖοι τῶν μὴ Ἰουδαίων ἐπιτρο-
πεύ-

πεύσουσιν, ὥσπερ καὶ τὰ λοιπὰ λειτουργήσουσιν. αἱ γὰρ δια-
A τάξεις ἐκείνοις μόνοις ἀνενοχλήτους αὐτοὺς εἶναι κελεύσου-
σιν δι' ὧν ἡ θρησκεία χραίνεσθαι δοκεῖ. λογιστεία πόλεως οὐ γὰρ
εἰς ἀριθμὸν μιᾶς ἐπιτροπῆς προχωρεῖ. ἀπελεύθεροι γυναικῶν
συγκλητικῶν, κἂν διοίκουσιν τὰ αὐτῶν πράγματα, οὐκ ἀπο-
λύονται ἐπιτροπῶν. τοῦτο γὰρ τοῖς τῶν ἀῤῥένων συγ-
κλητικῶν ἀπελευθέροις μόνοις συγκεχώρηται. ἐὰν ὁ τῆς πό-
λεως ἄρχων, τουτέστιν στρατηγὸς, διαπιστεύσης αἰτίᾳ τῆς χει-
ροτονίας ὑπεύθυνος γένηται κινδύνῳ ἐπιτροπῆς, ταύτην οὐ
συναριθμήσει ἄλλαις ἐπιτροπαῖς, ὥσπερ οὐδὲ ὁ ἐγγυησά-
μενος ἐπιτροπὴν, ἀλλ' οὐδὲ οἱ κατὰ τιμὴν ἐπίτροποι γρα-
φέντες. ὁ τέλη μεμισθωμένος παρὰ πόλεως οὐκ ἀφίεται ἐπι-
τροπῆς. ὁ πολλὰ δίκαια ἔχων εἰπεῖν, ὧν ἕκαστον καθ' αὐτὸ οὐκ
B ἔστιν ἰσχυρὸν: εἰ δυνήσεται ἀφεθῆναι ἐζητήθη, οἷον ἑβδομήκον-
τα μὲν ἐτῶν οὐκ ἔστιν, οὐδὲ τρεῖς ἔχει ἐπιτροπὰς, οὐδὲ πέντε τέκ-
να, ἢ ἄλλο τι δικαίων ἀφέσεως ἔχει μέντοι δύο ἐπιτροπὰς
καὶ δύο παῖδας καὶ ἑξήκοντα ὄντων ἐτῶν ἢ ἄλλα τινὰ τοιαῦ-
τα λέγει καθ' αὑτὰ μὲν ἐντελῆ τὴν βοήθειαν μὴ παρέχοντα,
τῇ δὲ πρὸς ἄλληλα κοινωνίᾳ ὄντα δικαιοφανῆ. ἀλλὰ ἔδοξεν
τοῦτον μὴ ἀφεῖσθαι. ὁ λαβὼν ἢ ἔχων ἀλειτουργησίαν πο-
λιτικῶν ἢ δημοσίων λειτουργιῶν, οὗτος ἐπιτροπῆς οὐκ ἀφε-
θήσεται. ὁ ἀπολυθεὶς ἐπιτροπῆς ἢ κουρατορίας, οὐ πάν-
τως τοῖς ὑπομνήμασιν πρὸς ἄφεσιν ἑτέρας χειροτονίας
χρήσεται, ἐὰν μὴ ὑπάρχει αὐτῷ δίκαια ἀφέσεως. ὁ φάσ-
κων ἑαυτὸν ἀγνωστὸν εἶναι τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρὶ ὀρφανοῦ, οὐ διὰ
C τοῦτο ἀφεθήσεται. ἐσθότε καὶ ὁ τρεῖς ἔχων ἐπιτροπὰς ἢ κου-
ρατορίας, οὐκ ἔχει δίκαιον ἀφέσεως, οἷον ἐὰν τις ἐπιτηδεύ-
σει ἀναδέξασθαι. ἤδη δὲ καὶ ὁ μετρίου γενόμενος ἐπίτροπος
ἐπιτηδεῦσαι δοκεῖ. Vlpianus libro singulari de excusa-
tionibus ita scribit. Si quis inter tres tutelas emanci-
pati filij sui tutelã administret: an ei hæc in numerũ pro-
cedit,*scio dubitatum. Inuenio tamen rescriptum, eman- *Fortè, procedet.
cipatæ filiæ tutelam numerari inter onera oportere.

Ἐὰν δέ τις χειροτονηθῇ ἐπίτροπος ὢν ἐν τῇ τοῦ πατρὸς
ἐξουσίᾳ, εἶτα ὁ πατὴρ μὴ βούλοιτο ὑπὲρ αὐτοῦ ἀσφαλίζεσθαι,
ἐκέλευσαν οἱ νόμοι καὶ αὐτὸν τὸν πατέρα χειροτονεῖσθαι ἐπί-
τροπον, ὡς μηδενὶ τρόπῳ διακρούεσθαι τὸ ἐπὶ τῇ ἐπιτροπῇ
ἀσφαλές. ὡς δηλοῖ τοῦ θείου Ἀδριανοῦ διάταξις. Imperator
Hadrianus Bitrasio Pollioni legato Lygdonensi. Si Clo-
dius

dius Macer (quãuis filiusfamiliâs sit) idoneus tutor esse videbitur, pater autem eius idcirco cauere non vult, vt filium suum tutela eximat, & in hoc artificio perseuerauerit: existimo te huic fraudi rectè occursurum, vt & filius, & ipse ad tutelam liberorum Clementis gerendam compellantur. D

XVI. IDEM *lib.* III. *Responsorum.*

CAius testamento suo Nigidium filio suo tutoré dedit, eundemque vsque ad vicesimum quintum annum curatorem constituit. quæro, cũ liceat Nigidio à curatione etiam citra appellationem se excusare: ex qua die tempora, quę in excusationibus obseruanda diuus Marcus cõstituit, computanda sunt: vtrum ex die aperti testamenti, an ex quo ad negocia geréda vocatur, id est, post decimũquartum annum impletum? Modestinus respondit. excusationem à cura tunc necessariam esse, cũ decreto prætoris seu præsidis confirmatus curator fuerit. E

XVII. CALLISTRATVS *lib.* V. *edicti monitorii.*

NOn tantum magnitudo patrimoniorum ineũda est susceptarum trium tutelarum, eiusque, quæ suscipienda est: sed etiam ætas pupillorum consideranda est. nam si priorum pupillorum ætas prope pubertatem sit, ita vt tãtummodo semestre tempus reliquum fuerit: aut eorum, quorum suscipere tutelam cogitur: non dabitur excusatio. idque principalibus constitutionibus cauetur. Iliensibus, & propter inclytam nobilitatem ciuitatis, & propter coniunctionem originis Romanæ, iam antiquitus & senatusconsultis, & constitutionibus principũ plenissima immunitas tributa est: vt etiam tutelæ excusationem habeãt, scilicet eorum pupillorum, qui Ilienses non sint, idque diuus Pius rescripsit. Eos, qui in corporibus sunt (veluti fabrorum) quosque immunitatem habere dicimus: etiam circa tutelarum extraneorum hominum administrationem habebunt excusationem: nisi si facultates eorum adauctæ fuerint, vt ad cætera quoque munera publica suscipienda compellantur: idque principalibus constitutionibus cauetur. Non omnia tamen corpora vel collegia vacationem tutelarum habent, quamuis muneribus municipalibus obstricta non sint, nisi nominatim id priuilegiũ F

eis indultum ſit. Is,qui ædilitate fungitur, poteſt tutor dari.nam ædilitas inter eos magiſtratus habetur, qui pri-
A uatis muneribus excuſati ſunt, ſecundum diui Marci reſcriptum. ſanè notum eſt, quod gerentibus honorem vacationem tutelarum cõcedi placuit. vacare autem eos,qui tunc primum vocentur ad ſuſcipiendum officium tutelæ. cæterũ eos,qui iam ſe miſcuerunt adminiſtrationi:nec tẽpore quidem magiſtratus vacare. Domini nauium non videntur haberi inter priuilegiarios, vt tutelis vacent,idq́ue diuus Traianus reſcripſit. Inquilini caſtrorũ à tutelis excuſari ſolent:niſi eorum, qui & ipſi inquilini ſunt, & in eodem caſtro,eademq́ue conditione ſunt.

XVIII. VLPIANVS.

B Bello amiſſi ad tutelæ excuſationem proſunt.quæſitũ eſt autem, qui ſint iſti: vtrum hi, qui in acie ſunt interempti:an verò omnes omnino,qui per cauſſam belli parẽtibus ſunt abrepti,in obſidione fortè?melius igitur probabitur eos ſolos,qui in acie amittuntur, prodeſſe debere, cuiuſcunque ſexus vel ætatis ſint. hi enim pro republica ceciderunt.

XIX. IDEM.

Illud vſitatiſſimum eſt: vt his, qui in Italia domiciliũ habent, adminiſtratio rerum prouincialium remittatur.

XX. PAVLVS.

Si pupillum patruus contendat exhæredatum eſſe,& ſe
C hæredem ſcriptum:æquum eſt tutorẽ pupillo dari,recepta patrui excuſatione. vel ſi nolit excuſationem petere:remoto eo,à tutela ita litem de hæreditate expedire.

XXI. MARTIANVS.

Propter litem, quam quis cũ pupillo habet, excuſare ſe à tutela nõ poteſt:niſi fortè de omnibus bonis, aut plurima parte eorum controuerſia ſit. Qui ſe vult excuſare, ſi plures habeat excuſationes, & de quibuſdam non probauerit: aliis vti intra tempora non prohibetur. Licet datus tutor ad vniuerſum patrimonium datus eſt:tamẽ excuſare ſe poteſt, ne vltra centeſimum lapidem tutelam gerat,niſi in eadem prouincia patrimonium pupilli ſit. & ideo illarum rerum dabunt tutores in prouincia præſides eius. Nec ſenatores vltra cẽteſimum lapidem vrbis tu-

telam gerere coguntur. habenti ergo tutorem tutor datur, sed aliarum rerum, non earundem. D

XXII. SCAEVOLA.

GEometræ à tutelis non vacant. hi verò, quibus princeps curam alicuius rei iniunxit, excusantur à tutela, donec curam gerunt.

XXIII. VLPIANVS *lib. II. Responsorum.*

PRopter magistratum, quẽ in municipio quis erat administraturus, tutelæ excusationem non habere respódi. Si in castris merentes non ab eo tutores dentur, qui in castris merebat, excusationem habere * respondi.

**al. nõ habere.*

XXIIII. PAPINIANVS.

NEquaquam credendum est, ei priuilegium excusationis ablatum, cui fideicommissaria libertas soluta est. nam in toto ferè iure manumissor eiusmodi nihil iuris vt patronus aduersus liberti personam consequitur: excepto, quod in ius vocari iniussu prætoris non debet. E

XXV. VLPIANVS.

EXcusare se tutor per libellos non poterit.

XXVI. PAVLVS.

MEnsores frumentarios habere iũs excusationis, apparet ex rescripto diuorum Marci & Commodi, quod rescripserunt præfecto annonæ. *

** Multa præter hoc excusationis priuilegium ab eodẽ imperatore constituta refert Iulius Capitolinus. Quibus omni rei frumẽtariæ grauiter prouidit.*

XXVII. MARTIANVS.

LEgatarius, qui rogatus est alij omne legatum restituere, si malit se excusare à tutela: legatum propter fideicommissarium consequitur. cui similis est, qui de falso egit, nec obtinuit. F

XXVIII. PAPINIANVS.

TVtor petitus ante decreti diem, si aliquod priuilegium quærit: rectè petitionem institutam excludere non poterit. Quæ tutoribus remunerandæ fidei caussa testamento parentis relinquuntur, post excusationem ab hæredibus extraneis quoque retineri placuit. quod non habebit locum in persona filij, quem pater impuberi fratri cohæredem & tutorem dédit: cũ iudicium patris, vt filius, non vt tutor, promeruit. Tutorem per tempus exulare iussum, excusari non oportet: sed per tempus exilij curator in locum ipsius debet dari.

XXIX.

XXIX. MARCIANVS.

A PLanè ſi in exilium datus ſit tutor: poteſt ſe excuſare, modò in perpetuum datus ſit. facilius autem exulis ignorantia, qui tutorem ſuſpectum facere non potuit, veniam habebit.

XXX. PAPINIANVS.

IVrisperitos, qui tutelam gerere cœperunt, in conſiliũ principum adſumptos, optimi maximiq́ue principes noſtri conſtituerunt excuſandos: quoniam circa latus eorum agerent, & honor delatus finem certi temporis ac loci non haberet. Cũ oriundus ex prouincia, Romæ domicilium haberet: eiuſdem curator decreto præſidis ac prætoris conſtitutus rerum adminiſtrationem vtrubique
B ſuſcepit. placuit, eum duas curationes adminiſtrare nó videri: quod videlicet vnius duo patrimonia non viderentur. Qui priuilegio ſubnixus eſt, fratris curationem ſuſcipere non cogitur. Patronus impuberi liberto quoſdam ex libertis tutores aut curatores teſtamento dedit. quamuis eos idoneos eſſe cõſtat: nihilominus iure publico poterunt excuſari, ne decreto confirmentur.

XXXI. PAVLVS.

SI is, qui tres tutelas adminiſtrabat, duobus pupillis diuerſis decretis datus eſt: & prius quàm cauſſas excuſationis allegaret, vnus ex pupillis, quorum iam tutelam adminiſtrarat, deceſſit: vbi deſiit ei competere excuſatio,
C ſtatim tenuit eum prius decretum, quaſi in loco tertiæ tutelæ quarta ſubroganda. nam ipſo iure tutor eſt, & antẽ q̃ excuſetur. Poterit ergo à tutela eius, qui nunc quarto loco inuenitur, excuſari. ſed cũ non ſit excuſatus, neceſſariò ſubeundum eſt onus illius quoque tutelæ. nec me mouet, quod dicat aliquis: hoc non exigi, an adminiſtretur tutela. Hoc enim eò pertinet, ne ſit finita adminiſtratio. cæterùm ſi periculum ſuſtineat ceſſationis: putò ei imputandam quoque eam tutelam. Idem euenire poteſt, ſi duobus teſtamentis, cũ haberet tres tutelas, tutor datus eſt. vbi non apertarum tabularum tempus inſpici debebit, ſi quæratur, quæ prior delata ſit tutela: ſed aditæ hæreditatis, vel cõditionis exiſtentis. Illa quoque erit differentia tutelarum, de quibus diximus, ſi tertia & quarta ſit delata, licet in

quarta prius detentus ſit: quod huius (id eſt quartæ) ex quo iuſſus eſt adminiſtrare: illius, ex quo datus eſt, periculum ſuſtinet. Et eum, qui pupillum bonis paternis abſtinuerat, detinendum in quarta tutela exiſtimaui, quaſi depoſita illa. Cæterùm putarem rectè facturum prætorem, ſi etiam vnam tutelam ſufficere crediderit, ſi tam diffuſa & negotioſa ſit, vt pro pluribus cedat. neque igitur fratres & ſorores plurium loco habendi ſunt: ſed neque fratres, ſi idem patrimonium habent, & ratio adminiſtrationis pariter redigenda eſt. & ex diuerſo fratrum diuiſo patrimonio duæ tutelæ ſunt. Non enim (vt dixi) numerus pupillorum, ſed difficultas rationum conficiendarum, & reddédarum conſideranda eſt. D

XXXII. IDEM. E

NEſennius Apollinaris Iulio Paulo. mater filium ſuũ pupillum, vel quiuis alius extraneus extraneum æquè pupillum ſcripſit hæredem, & Titio legatum dedit, eumque eidem pupillo tutorem adſcripſit. Titius confirmatus, excuſauit ſe à tutela. quęro, an legatum amittat? & ſi teſtamento quidem tutor non ſit ſcriptus, legatum tamen acceperit, datusque à prætore tutor excuſet ſe: an æquè repellendus ſit à legato? & an aliquid interſit, ſi à patre vel emãcipato pupillo, tutor datus ſit, vel puberi curator? Reſpondi. qui non iure datus vel curator, vel tutor à patre eſt, confirmatus à prætore excuſationis beneficio vti maluit: repellendus eſt à legato. idque & Scæuolæ noſtro placuit. Nam & prætor, qui eum confirmat tutorem, defuncti ſequitur iudicium. idem in matris teſtamento dicédum eſt. Similis eſt matri, quiuis extraneus, qui pupillum hæredem inſtituit, eique & in tutore dando proſpicere voluit: quales ſunt alumni noſtri. Rectè ergo placuit eũ, qui recuſat onus, quod teſtator reliquit: & ab eo, quod petit, quodque idem dedit, repelli debere. Nõ ſemper tamen exiſtimo eum, qui onus tutelæ recuſauit, repellendũ à legato: ſed ita demum, ſi legatum ei ideo adſcriptum appareat, quod eidem tutelam filiorum iniunxit: non quod alioquin daturus eſſet, etiam ſine tutela. Id apparere poterit, ſi poſueris, teſtamento legatum adſcriptum, codicillis verò poſtea factis tutorem datum. in hoc enim legato F

poteſt

potest dici, non ideo ei relictum, quia & tutorem esse voluerit testator. XXXIII. IDEM.

A SEd hæc nimium scrupulosa sunt, nec admittenda: nisi euidenter pater expresserit, velle se dare, etiam si tutelam non administrauerit. semper enim legatum aut antecedit, aut sequitur tutelam.

XXXIIII. IDEM lib. VII. Quæstionum.

EX his apparet, non esse his similem eum, quem prætor tutorem dedit, cú posset vti immunitate. hic enim nihil contra iudicium fecit testatoris. nam quem ille nõ dedit tutorem, eum voluisse* tutelam administrare filij, dicere non possumus. XXXV. IDEM. *al. noluisse.

B QVid autem, si se non excusauerit, sed administrare noluerit: contentus, quod cæteri idonei sint? & hic poterit conueniri, si ab illis res seruari non potuit. sed hoc non quærendum est, sed contumacia punienda est eius, qui quodammodo se excusauit. multo magis quis dicere debebit indignum iudicio patris, qui vt suspect⁹ remotus est à tutela.

XXXVI. IDEM lib. VII. Responsorum respondit.

AMicissimos* quidem & fidelissimos parentes liberis tutores eligere solere. & ideo ad suscipiendum onus tutelæ etiam honorem legati eos persequi. sed cú proponatur is, de quo quæritur, in testamento legatum meruisse, & item pupillo substitutus: non est verisimile, tunc demũ eum testatorem substituere voluisse, si & tutelam suscepisset: & ideo eum, de quo quæritur, à legato quidem (si adhuc viueret pupillus) repellendum fuisse: à substitutione autem non esse submouendum, cũ eo casu etiam suscepta tutela finiretur. Lucius Titius ex tribus filiis incolumibus vnum habet emancipatum eius ætatis, vt curatores accipere debeat. quæro. si idem Titius pater, petente eodem filio emancipato, curator à prætore detur: an iure publico vti possit, & nihilominus trium filiorum nomine vacationem postulare? respondi. præmium quidem patri, quod propter numerũ liberorum ei competit, denegari non oportet. sed cũ filio suo curator petatur: contra naturales stimulos facit, si tali excusatione vtendum sibi putauerit.

C

*Hinc p̃claré Cic. Aequè pfidiosũ & nephariũ esse censet fidẽ frangere, quæ cõtinet vitã: & pupillũ fraudare, qui in tutelam puenit: & sociũ fallere, qui se in negocio cõiunxit. Cic. in oratione pro Roscio Comœdo.

XXXVII. SCAEVOLA.

QVi teſtamento tutor datus fuerat, adito prætore dixit, ſe tres liberos habere. adiecit præterea, habenti patruum legitimum tutorem, ſe vicioſè tutorem datum. prætor ita decreuit: ſi legitimum tutorem habenti tutor datus es, non eſt tibi neceſſaria excuſatio. quęro. cũ nemo patruus impuberi tutor eſſet: an nihilominus tutor remanſerit? reſpondi. ſecundum ea, quæ proponerétur, quamuis iuſtas cauſſas excuſationis haberet, non tamé eſſe excuſatum propter vicium pronunciationis. Item quæro. ſi adquieuiſſet ſententiæ: an ob id, quod non geſſit tutelam, vtilis actio in hunc dari debeat? reſpondi. ſi errore potius (quod ſe pro iure trium liberorum, quod allegabat, excuſatum crederet) quàm malicia ab adminiſtratione ceſſaſſet, vtilem actionem non dandam. D E

XXXVIII. PAVLVS.

QVinquaginta dierum ſpacium tantummodo ad conteſtandas excuſationum cauſſas pertinet. peragendo enim negocio ex die nominationis continui quatuor menſes conſtituti ſunt.

XXXIX. TRIPHONINVS.

SI cũ ipſe inſtitueret, vt proferret excuſationem, mora contradictionis impeditus eſt, quò minus decreto liberaretur: excuſationem rectè probari.

XL. PAVLVS.

POſt ſuſceptam tutelam cæcus, aut mutus, aut ſurdus, aut furioſus, aut valetudinarius deponere tutelam poteſt. Paupertas, quæ operi & oneri tutelæ impar eſt, ſolet tribuere vacationem. F

XLI. HERMOGENIANVS *lib.* IIII. *iuris* ἐπιτομῶν.

ADminiſtrantes res principũ, ex indulgentia eorũ, licet citra codicillos, à tutela, itéque cura tépore adminiſtrationis delata, excuſantur. idéq; cuſtoditur in his, qui præfecturam annonæ, vel vigilum gerunt. Eorum, qui reipublicę cauſſa abſunt, comites, qui ſunt intra ſtatutum numerum, de tutela, quæ abſentibus, vel profecturis delata eſt, excuſantur. nam ſuſçeptam antea non deponũt. Qui corporis, item collegij iure excuſantur: à collegarum,

legarum, filiorumque eorum tutela non excusantur: excep-
A ptis his, quibus hoc specialiter tributum est.

XLII. PAVLVS.

Planè vltra centesimũ miliarium ab vrbe filiorum collegarum suorum tutelam suscipere non coguntur.

XLIII. HERMOGENIA. *lib.* IIII. *iuris* ἐπιτομῶν.

Libertus senatoris, filiorum eius tutelam administrans, ab aliis tutelis non excusatur.

XLIIII. TRIPHONINVS *lib.* XII. *Disputationũ.*

Cvm ex oratione diui Marci ingenuus libertino tutor datus, excusari debeat: eãdem excusationem competere etiam ei, qui ius annulorũ impetrasset, Imperator noster cum diuo Seuero patre suo rescripsit. ergo si pupillo
B libertino habenti ius annulorum datus sit ingenuus tutor vel curator: consequens est, vt excusatio eius ob hanc cõditionum diuersitatem non debeat accipi. at si antè, quàm pupillus vel pubes minor annis viginti quinque ius annulorum acciperet, Lucius Titius ei datus, vt ingenuus excusatus fuit: post impetratum beneficium denuo idem tutor curatórve dari poterit, exemplo eo, quo placuit & rescriptum est: eum, qui tempore, quod intra annum erat, ex quo reipublicæ caussa abesse desierat, excusatus fuit: preterito eo, ipsum suo loco dari posse. Et quamuis libertus, qui senatori patrono procurat, excusationem ab aliorum tutela habeat: iste tamen, qui ius annulorum impetrauit, quia
C in ordinem ingenuorum transiit, tali excusatione vti non potest.

XLV. IDEM *lib.* XVI. *Disputationum.*

TITIVS FILIIS MEIS, QVO AD REIPVBLICAE CAVSSA NON ABIERIT, TVTOR ESTO. gessit tutelã ex testamento delatã. deinde reipublicæ caussa abesse cœpit, & desiit. an quasi noua tutela nunc delata excusari debeat, etiam ob absentiam reipublicæ caussa: an quia præcessit testamẽtum absentiam ob publicam caussam, & est ab eo iam administrata tutela, non oporteat eum excusari, & si liberos interea susceperit, aut aliam excusationem parauerit? & magis est, vt hæc vna tutela sit, ideo nec excusationem ei competere, nec agi tutelæ ob prius tempus posse. sed si ita scriptum in testa-

méto fuit, TITIVS TVTOR ESTO. CV̀M REIPVBLICAE CAVSSA ABIERIT, TVTOR NE ESTO. CV̀M REDIERIT, TVTOR ESTO. D
quid de excusatione, aut ob absentiam reipublicæ caussa, aut aliam, quæ post obuenerit, dici oporteat, videamus.

Procedit autem & alia quæstio. testamento tutores ex die vel sub conditione dati, an se excusare antè diem conditionémve necesse habeāt? & in primis, an iam dies quinquaginta eis cedant, intra quos necesse est caussas excusationis exercere? Sed verum est, non ante esse tutoré, quàm dies venerit. nam nec antequā adita sit hæreditas. quia igitur ex eodem testamento iam gesta fuit tutela: & qui excusatus esset aliàs, absuturus reipublicæ caussa, reuersus continuo cohæret tutelis antè susceptis, etiam intra annū. sed E
hic ex ipso testaméto desierat esse tutor. & ideo ex secūda tutela excusare se potest. Si à ꝑtore detur curator méte capto, aut muto, siue ventri: excusatur iure liberorū. Romæ datos tutores eos tantum accipere debemus, qui vel à præfecto vrbi, vel à prętore, vel in testaméto Romæ cóce pto, vel in cōtinentibus dati sunt. Si tanta corporis aut métis valetudine ab agédis rebꝰ libertus ꝓhibeatur, vt ne suis quidé negociis sufficiat: necessitati erit succurrendū, ne impossibile ei iniungatur tutelæ munus, quod obiri à liberto non possit, nisi cum incommodo pupilli, & aduersus vtilitatem eius.

XLVI. PAPINIANVS. F

QVi in collegiis pistorum sunt, à tutelis excusantur: si modò per semet pistrinū exerceāt. sed nó alios puto excusandos, quàm qui intra numerum sunt. vrbici autem pistores à collegarum quoque filiorum tutelis excusantur. Sed & hoc genus excusationis est: si quis se dicat ibi domicilium non habere, vbi ad tutelam datus est: idque Imperator Antoninus cum diuo patre significauit.

VBI PVPILLVS EDVCARI VEL *morari debeat; & de alimentis ei præstandis.* Tit. II.

Pupillus

A *Pupillus educari ac morari debet apud virum idoneũ eius propinquis præsentibus ex persona, conditione & tempore prætoris arbitrio eligendum excluso ipsius substituto: licet in testamento paterno expresse contrariũ cauerit. hoc dicit Ray. secundũ Nico. de Nea.*

VLPIANVS.



SOlet prætor frequentissimè adiri, vt constituat, vbi filij vel alãtur, vel morentur: nõ tantum in posthumis, verum omnino in pueris. & solet ex persona, ex conditione, ex tempore statuere, vbi potius alendus sit: & nõnunquã à voluntate patris recedit prætor. Denique cùm quidam testamento suo cauisset, vt filius apud substitutum educaretur: Imperator Seuerus rescripsit, prætorem existimare
B debere, præsentibus cæteris propinquis liberorũ. id enim agere prætorem oportet, vt sine vlla maligna suspitione alatur partus & educetur.

Liberti parentes cognati vel pupillorum affines educationẽ præcise suscipere à prætore coguntur: extranei verò excusantur ab hoc onere: sed priuantur legatis ac hæreditate in testamento patris pupilli sibi relictis: nisi alias fuerat relicturus. h.d. Ray. secundũ Nico. de Neapoli.

Quamuis autem prætor recusantem apud se educari, non polliceatur se coacturum: attamen quæstionis est, an debeat etiam inuitum cogere: vt puta libertum, parentem, vel quem alium de adfinibus, cognatísve? & magis est, vt
C interdum debeat id facere. Certè non malè dicetur, si legatarius vel hæres educationem recuset testamento sibi iniunctam, denegari ei actiones debere exemplo tutoris testamento dati. quod ita demum placuit, si idcirco sit relictum. cæterùm si esset relicturus, etiam si educationem recusaturum sciret: non denegabitur ei actio. & ita diuus Seuerus sæpissimè statuit.

Tutor à pupillo tutelæ actione conuentus, sumptus in alimentis ac disciplinis eius factos, ab illo secundum vires facultatis eius sibi poterit reputare: nõ vltra etiam si moderata taxatio facta fuerit in testamento, vel à Pratore. Nico. de Nea.

II. IDEM.

OFficio iudicis, qui tutelæ cognoscit, congruit, reputationes tutoris non improbas admittere: vtputa si dicat

dicat impendisse in alimenta pupilli vel disciplinas. Modus autem (siquidem prætor arbitratus est) is seruari debet, quem prætor statuit. Si verò prætor non est aditus: pro modo facultatum pupilli debet arbitrio iudicis æstimari. nec enim permittendum est tutori, tantum reputare, quantum dedit, si plus æquo dederit. Hoc amplius, & si prætor modum alimentis statuit: verumtamen vltra vires facultatum est, quod decretum est, nec suggessit prætori de statu facultatum: non debet ratio haberi alimentorum omnium: quia si suggessisset, aut deminuerentur iam decreta, aut non tanta decernerentur. Sed si pater statuit alimenta liberis, quos hæredes scripsit: ea præstando tutor reputare poterit: nisi fortè vltra vires facultatum statuerit. tūc enim imputabitur ei, cur non adito prætore desiderarit alimenta minui. D E

III. IDEM.

IVs alimentorum decernendorum pupillis prætori competit: vt ipse moderetur, quam summam tutores vel curatores ad alimenta pupillis vel adolescentibus præstare debeant. modum autem patrimonij spectare debet, cùm alimenta decernit: & debet statuere tam moderatè, vt non vniuersum reditum patrimonij in alimenta decernat: sed semper ita, vt aliquid ex reditu supersit. Ante oculos habere debet in decernendo etiam mancipia, quæ pupillis deseruiunt: & mercedes pupillorum, & vestem, & tectum pupilli. ætatem etiam contemplari, in qua constitutus est, cui alimenta decernuntur. In amplis tamen patrimoniis non cumulus patrimonij, sed quod exhibitioni frugaliter sufficit, modum alimentis dabit. Sed si non constat, quis modus facultatum sit: inter tutorem & eum, qui alimenta decerni desiderat, suscipere debet cognitionem: nec temere alimenta decernere, ne in alterutram partem delinquat. prius tamen exigere debet, vt profiteatur tutor, quæ sit penes se summa: & comminari, grauiores se ei vsuras infligere eius, quod supra professionem apud eum fuerit deprehensum. Item ad institutionem quoque pupillorum vel adolescentium, item pupillarum, vel earum, quæ infra vicesimum annum constitutæ sunt: solet decernere respectu facultatum & ætatis eorum, qui instituuntur. F

Sed

Sed si egeni sint pupilli: de suo eos alere tutor non cõpellitur.& si fortè post decreta alimenta ad egestatem fuerit pupillus perductus: deminui debent, quæ decreta sunt: quemadmodũ solent augeri, si quid patrimonio accesserit.

A

IIII. IVLIANVS *lib.* XXI. *Digestorum.*

QVi filium hæredem instituerat, filiæ dotis nomine, cùm in familia nupsisset, ducéta legauerat, nec quidquam præterea: & tutorem ei Sempronium dedit. is à cognatis & propinquis pupillæ perductus ad magistratus, iussus est aliméta pupillæ & mercedes, vt liberalibus artibus institueretur, pupillæ nomine præceptoribus dare. pubes factus pupillus, puberi iã factæ sorori suæ ducenta legati caussa soluit. quæsiũ est, an tutelæ iudicio cõsequi possit, quod in aliméta pupillæ & mercedes à tutore ex tutela præstitum sit? respondi. existimo, & si citra magistratuum decretum tutor sororem pupilli sui aluerit, & liberalibus artibus instituerit (cùm hæc aliter ei cõtingere non possent) nihil eo nomine tutelę iudicio pupillo aut substitutis pupilli præstari debere.

B

V. VLPIANVS.

SI disceptetur, vbi morari vel educari pupillum oporteat: caussa cognita, id præsidem statuere oportebit. In caussæ cognitione vitandi sunt, qui pudicitiæ impuberis possunt insidiari.

VI. TRIPHONINVS *lib.* XI. *Disputationum.*

C

SI absens sit tutor, & aliméta pupillus desideret: si quidem negligentia, & nimia cessatio in administratione tutoris obiiciatur, quæ etiam ex hoc arguatur, quod per absentiam eius deserta derelictaq; sint pupilli negocia: euocatis adfinib⁹, atq; amicis tutoris, prętor edicto proposito, caussa cognita, etiã absente tutore, vel remouendum eũ, qui dignus tali nota videbitur, decernet, vel adiungendum curatoré: & ita qui datus erit, expediet aliméta pupillo. si verò necessaria absentia tutoris & improuisa inciderit, fortè quod subitò ad cognitioné principalem profectus, nec rei suæ ꝓuidere, nec cõsulere pupillo potuerit: & speretur redire, & idoneus sit tutor, nec expediat aliũ adiungi, & pupillus aliméta de re sua postulet: rectè constituetur ad hoc solũ, vt ex re pupilli alimenta expediat.

DE TV-

DE TVTELAE ET RATIONIBVS *detrahendis, & utili curationis caussa actione.* Tit. III.

D

Tutor pupillo actione tutela directa de gestis ac neglectis per dolum seu culpã leuem: ac de authoritate sibi præstita in donãdo caussa mortis seu inter viuos tenetur reddere rationem: licet talis donatio sit eidem tanquam testamenti factio interdicta. Ni. de Nea.

VLPIANVS.



DE omnibus, quæ tutor fecit, cùm facere non deberet: item de his, quæ non fecit, rationem reddet hoc iudicio: præstando dolum & culpam, & quantam in suis rebus diligentiam. vnde quæritur apud Iulianum libro vicesimoprimo Digestorum. si tutor pupillo authoritatem ad mortis caussa donationem accõmodauerit: an tutelę iudicio teneatur? & ait teneri eum. nam sicuti testamenti factio (inquit) pupillis concessa non est: ita ne mortis quidem caussa donationes permittendæ sunt. Sed & si non mortis caussa donauerit, tutore authore: idem Iulianus scripsit, plerosq; quidem putare, non valere donationem (vt plerumque ita est) sed nonnullos casus posse existere, quibus sine reprehẽsione tutor author sit pupillo ad deminuendũ, decreto scilicet interueniente: veluti si matri aut sorori, quæ aliter se tueri non possunt, tutor alimenta præstiterit. nam cùm bonę fidei iudicium sit: nemo feret (inquit) aut pupillum, aut substitutum eius quærentes, quod tam coniunctæ personæ alitæ sunt. quinimò per contrarium putat, posse cum tutore agi tutelæ, si tale officium prætermiserit. Officio tutoris incumbit, etiam rationes actus sui conficere, & pupillo reddere. Cæterùm si non fecit, aut si factas non exhibet: hoc nomine iudicio tutelæ tenebitur. De seruis quoque interrogationes, sed & quęstiones habendas, & hoc officio iudicis euenire placuit. nam diuus Seuerus decreuit, cùm neque inuentaria, neque rationalia proferuntur: remedio eo vti debere, vt rationes à seruis, qui rem gesserunt, proferantur. has rationes si mala fide conscriptas esse à seruis dicant tutores: etiam in quæstione serui interrogari poterunt. Præterea si matrem aluit pupilli tutor: putat Labeo,

E

F

beo, imputare eum posse. sed est verius, nõ nisi si perquàm
A egenti dedit, imputare eũ oportere de largis facultatibus pupilli. vtrũque igitur concurrere oportet, vt & mater egena sit, & filius in facultatib⁹ positus. Sed si munus nuptiale matri pupilli miserit: non eum pupillo imputaturum, Labeo scripsit. nec enim tam necessaria est muneratio ista.

Si plures tutores aut ipse testator vnum ex pluribus tutoribus ordinauerint, scilicet libertum suum, qui administret tutelam, cæteri tutores possunt illi administranti alimenta constituere: & ille administrans poterit certis personis constituere victualia. quæ personæ hic enumerantur. dicit etiam in quam rem sumptus sunt præstandi.

Si pupillis tutores pater dederit, intérque eos & libertum suum, per quem voluerit tutelam suam administrari:
B & tutores certam summam ei statuerint, quia aliter se exhibere non poterat: habendam eius rationem, quod statutum est, Mela existimat. ergo & si ex inquisitiõe propter rei notitiam fuerit datus tutor, eiq; alimenta statuerint contutores: debebit eorum ratio haberi: quia iusta caussa est præstandi. sed & si seruis cibaria præstiterit, vel libertis, scilicet rei pupilli necessariis: dicendum est, reputaturũ. idémque est, & si liberis hominibus: si tamen ratio præstandi iusta intercedat. itẽ sumptus litis tutor reputabit, & viatica: si ex officio necesse habuit aliquò excurrere vel proficisci.

Nunc tractemus, si plures tutelam pupilli administrauerint, pro qua quisque eorũ parte cõueniendus sit. & si qui-
C dem omnes simul gesserunt tutelam, & omnes soluendo sunt: æquissimum erit, diuidi actionem inter eos pro portionibus virilibus exemplo fideiussorum. Sed & si nõ omnes soluendo sint: inter eos, qui soluendo sunt, diuiditur actio: sed prout quisque soluendo est, poterunt conueniri. Et si fortè quis ex facto alterius tutoris cõdemnatus præstitit, vel ex communi gestu, nec ei mandatæ sunt actiones: constitutum est à diuo Pio, & ab Imperatore nostro, & diuo patre eius, vtilem actionem tutori aduersus cõtutorem dandam.

Ex dolo suo conuentus non habet regressum contra socios suos: ex dolo enim suo pœnam patitur.

Planè si ex dolo communi conuentus, præstiterit tutor: neque mandandæ sunt actiones, neque vtilis actio competit: quia

tit: quia proprij delicti pœnam subiit: quæ res indignum eum fecit, vt à cæteris quid doli participibus consequeretur. nec enim vlla societas est maleficiorum, vel iusta communicatio dammi ex maleficio. Vsque adeo autem ad cõtutores non venitur, si sint soluendo contutores, vt prius ad magistratus, qui eos dederũt, vel ad fideiussores veniatur. & ita Imperator noster Vlpio Proculo rescripsit. quod enim Marcellus libro octauo Digestorum scripsit, quódque sæpissimè rescriptum est: quandiu vnus ex tutoribus idoneus sit, non posse ad magistratus, qui dederunt, perueniri: sic erit accipiendum, si non contutor ob hoc conueniatur, quod suspectum facere, vel satis exigere noluit. D

Hanc actionẽ etiam in hęredem tutoris cõpetere cõstat. sed & hæredi pupilli æquè cõpetit, similibúsq; personis. E

Tutori condemnato pro contutore debent cedi actiones à pupillo contra contutorem.

Non tantùm ante condemnationem, sed etiam post condemnationem desiderare potest tutor, mandari sibi actiones aduersus contutorem, pro quo condemnatus est. Rationibus detrahendis actione non solùm hi tenentur tutores, qui legitimi fuerũt: sed omnes, qui iure tutores sũt, & gerunt tutelam. Considerandum est in hac actione, vtrum precium rei tantùm duplicetur, an etiam quod pupilli intersit. & magis esse arbitror, in hac actione quod interest non venire, sed rei tantùm æstimationem. In tutela ex vna obligatione duas actiones esse constat. & ideo siue tutelæ fuerit actum, rationibus detrahendis agi non potest: siue contrà, tutelæ actio (quo ad speciem istam) perempta est. hunc tutorem tamen, qui intercepit pecuniam pupillarem: & furti teneri, Papinianus ait. qui si etiam furti teneatur: hac actione conuentus, furti actione non liberatur. nec enim eadem est obligatio furti ac tutelę: vt quis dicat plures esse actiones eiusdẽ facti, sed plures obligationes. nam & tutelæ & furti obligatur. Hanc actionem sciendum est perpetuam esse, & hæredi similibúsque personis dari ex eo, quod viuo pupillo captum est: sed in hæredem, cæteró sque successores non dabitur, quia pœnalis est. Hęc actio tunc competit, cùm & tutelæ actio, hoc est finita demum tutela. F

II. PAVLVS.

A Ctione rationibus detrahendis nemo tenetur, nisi qui in tutela gerẽda rem ex bonis pupilli abstulerit. quod si furandi animo fecit: etiam furti tenetur. Vtraq; autem actione obligatur, & altera alteram non tollet. sed & condictio ex furtiua caussa competit : per quam si consecutus fuerit pupillus, quod fuerit ablatum, tollitur hoc iudicium: quia nihil absit pupillo. Hæc actio licet in duplum sit, in simplo rei persecutionem continet, & non tota dupli pœna est.

III. POMPONIVS.

SI tutelæ aut negociorum gestorum agatur, incerto hoc, quãtum ab aduersariis debeatur tutori procuratorive: B arbitratu iudicis cauendum est, quod eo nomine eis absit.

IIII. PAVLVS.

NIsi finita tutela sit, tutelæ agi non potest. finitur autem non solùm pubertate, sed etiam morte tutoris vel pupilli. Filiumfamiliâs emancipatum, si tutelam administret, etiam directò teneri, Iulianus putat. Si adhuc impubes tutelæ agat, nihil consumitur. Cum furiosi curatore non tutelæ, sed negociorũ gestorum actio æquè competit, etiã dum negocia gerit: quia non idem in hac actione, quod in tutelæ actione (dum impubes est is, cuius tutela geritur) constitutum est.

V. VLPIANVS.

C SI tutor rem sibi depositam à patre pupilli vel commodatam non reddat: non tantùm commodati vel depositi, verùm tutelæ quoq; tenetur. sed si acceperit pecuniam, vt reddat : plerisque placuit, eam pecuniam depositi vel commodati actione repeti, vel condici posse, quod turpiter accepta sit.

Pater non tenetur de dolo filii tutoris, quem commisit postquam emancipatus est.

VI. IDEM.

SI filiusfamiliâs tutelam administrauerit, & liberatus patria potestate dolo aliquid fecerit : an actio tutelæ patrem hoc nomine teneat, quæritur ? & æquum est, vt eum dumtaxat dolum pater præstet, qui cõmissus sit ante emancipationem filij.

VII. IDEM.

SI pupillus hæres exstiterit ei, cuius tutelam tutor suus gesserat: ex hæreditaria caussa cum tutore suo habebit actionem. Si tutor in hostiũ potestatẽ peruenerit: (quia finita tutela intelligitur) fideiussores, qui pro eo rẽ saluam fore spoponderint: & si quis existat defensor eius, qui paratus est suscipere iudicium tutelæ: vel si quis curator bonis eius constitutus: rectè conuenietur. D

VIII. PAPINIANVS.

QVamuis iure postliminij tutelam pristinã possit redintegrare.

Reuerso tutore qui reipublicæ caussa aberat, potest conueniri is, qui in locum eius datus fuerat: quia desinit tutor esse.

IX. VLPIANVS.

SI tutor reipupblicæ caussa abesse cœperit, ac per hoc fuerit excusatus, quod reipublicæ caussa aberit: tutelæ iudicio locus est. sed si desierit reipublicæ caussa abesse: consequẽter desinit & is, qui in locum eius datus est, & tutelæ conueniri poterit. Si duobus impuberibus fratribus tutor datus sit, & alter eorum in legitimam tutelã fratris sui perfectæ ætatis constituti reciderit: eum, qui datus sit, tutorem esse desiisse, Neratius ait. quia igitur desinit: tutelæ actio erit, etiam ex persona impuberis: quãuis si testamento datus fuisset, non desineret esse tutor eius, qui adhuc erat impubes: quia semper legitima tutela testamentariæ cedit. Si testamento sub conditione tutor datus sit, deinde alius medio tempore ex inquisitione: dicẽdum est, locum esse tutelæ iudicio existente conditione: quia tutor esse desinit. sed & si quis testamento vsque ad tempus fuerit datus: idem erit dicendum. & generaliter, quod traditum est, pupillum cum tutore suo agere tutelæ non posse: hactenus verum est, si eadem tutela sit. absurdũ enim erat à tutore administrationis rationem negociorum pupilli posci, in qua adhuc perseueraret. in qua autem desiit esse tutor, & iterum cœpit: sic ex pristina administratione tutelæ debitor est pupillo, quomodo si pecuniam creditã à patre eius accepisset. Quem igitur effectum hæc sententia habeat, videamus. nam si solus tutor est: vtique ipse secum nõ aget. sed vel per specialem curatorẽ cõueniendus est: vel pone eum con- E F

eum contutorem habere,qui possit aduersus eum iudicium accipere, ex qua caussa cum eo tutelæ agi potest. quinimò & si medio tempore soluendo esse desierit: imputabitur contutoribus,cur non egerint cum eo. Si tutori curator sit adiunctus,quamuis suspecto postulato: nõ cogetur tutelæ iudicium tutor suscipere:quia tutor manet. Sed & si fuerit tutor confiscatus: aduersus fiscũ dandam esse actionem constat ei,qui loco eius tutor datus sit,vel contutoribus eius. Cæteræ actiones,præter tutelæ,aduersus tutorem competunt,& si adhuc tutelam administrat: veluti furti,damni iniuriæ,condictio.

A

X. PAVLVS.

B Sed non dãtur pupillo,dum tutor tutelam gerit. quamuis enim morte tutoris intereant: tamen pupillus cum hærede eius actionem habet:quia sibi soluere debuit.

XI. VLPIANVS.

SI filiusfamiliâs tutelam administrauerit, deinde fuerit emancipatus:remanere eum tutorẽ,Iulianus ait.& cùm pupillus adoleuerit:agendum esse cum eo,eius quidẽ temporis nomine, quod est ante emancipationem, in quantum facere potest: eius verò,quod est post emancipationem, in solidum:cum patre verò,dũtaxat de peculio.manere enim aduersus eum etiam post pubertatem de peculio actionem. neque enim antẽ annus cedit, intra quem de peculio actio datur,quàm tutela fuerit finita.

C

XII. PAVLVS.

FIlius autem tutor, propter hoc suum factũ, cum patre agere non potest ante pubertatem:quia nec finita tutela hoc ab eo exigi potest.

Si tutor post pubertatem gerit negocia,quæ connexa sunt negociis inceptis ante pubertatem,poterit conueniri actione tutelæ,etiam de iis quæ tutela finita gessit.secus autem,si non est negocium connexum:quia negociorum gestorum conuenietur.si autem tutor finita tutela intermisit gerere negocia,postea iterum incepit:pro eo quod gessit in tutela, actio tutelæ: pro eo quod gessit post,negociorum gestorũ actio quæritur.

XIII. VLPIANVS.

SI tutor post pubertatem pupilli negocia administrauerit:in iudicium tutelæ veniet id tantum,sine quo admi

nistratio tutelæ expediri non potest. si verò post pubertatẽ pupillis, qui tutor huius fuerat, fundos eius vendiderit, mãcipia & prædia cõparauerit: neque venditionis eius, neque emptionis ratio iudicio tutelæ continebitur. & est verum: ea quæ cónexa sunt, venire in tutelæ actionem. Sed & illud est verũ: si cœperit negocia administrare post tutelã finitã, deuolui iudiciũ tutelæ in negociorũ gestorum actionem. oportuit enim eum à semetipso tutelam exigere. sed & si quis cùm tutelam administrasset, idem curator adolescenti fuerit datus: dicendum est, negociorum gestorum eum conueniri posse. D

XIIII. CAIVS.

SI post pubertatem tempore aliquo (licet breuissimo) intermiserit administrationem tutor, deinde cœperit gerere: sine vlla dubitatione tam tutelæ, quàm negociorum gestorum iudicio cum eo agendum est. E

Duobus tutoribus dolum in tutela committentibus, vnius transactio facta cum pupillo non prodest alteri. secus si vnus eorum totum interesse præstiterit pupillo.

XV. VLPIANVS.

SI ex duobus tutoribus cum altero quis transegisset, quãuis ob dolum cõmunem: transactio nihil proderit alteri. nec immeritò: cùm vnusquisq; doli sui pœnam sufferat. quod si conuentus alter, præstitisset: proficiet id, quod præstitit ei, qui conuentus non est. licet doli mali ambo rei sint, tamen sufficit vnum satisfacere: vt in duobus, quibus res commodata est, vel deposita, quibúsque mandatũ est. F

Sicut durante tutela tutor non potest conueniri actione tutelæ: nec fideiussor eius ex stipulatione rem pupilli saluam fore: ita nec tutor, nec fideiussor eius possunt conueniri durante tutela ex tali stipulatione rem pupilli saluam fore. secus in curatore.

XVI. IDEM.

SI adhuc cum tutore ex stipulatu agatur, vel cum his, qui pro eo interuenerunt: erit dubitatio, an quia tutelę agi non potest, nec ex stipulatu agi possit. & pleriq; putant, etiam hanc actionem propter eandem vtilitatem differendam. Cum curatore pupilli siue adolescẽtis agi poterit, & si vsque adhuc cura perseueret.

Tutor finita tutela vel non, tenetur ministrare sumptus pupillo caussa

caussa litis exercendæ contra se.

XVII. IDEM.

A IMperatores Seuerus & Antoninus rescripserũt in hæc verba. Cũ hoc ipsum quæratur, an aliquid tibi à tutoribus vel curatoribus debeatur: nõ habet rationẽ postulatio tua, volentis in sumptum litis ab his tibi pecuniam submiistrari.

XVIII. PAPINIANVS.

CVm tutor negociis impuberis administratis, pupillũ paterna hæreditate abstineat: bonis patris venditis, tractari solet, vtilis actio pupillo relinqui, an creditoribus concedi debeat. & probatur actionẽ inter pupillum & creditores patris esse diuidẽdam: scilicet vt quod rationi bo-
B norum per tutorem deerit, creditoribus reddatur: quod autem vel culpa tutoris in officio pupilli perperam abstenti contractũ est, puero relinquatur. quæ actio sine dubio non prius competet, quàm pupillus ad pubertatem peruenerit. sed illa confestim creditoribus datur.

XIX. VLPIANVS *lib. II. Responsorum respondit.*

SI probatum est nomen debitoris à nouissimo curatore, frustra tutorem de eo conueniri.

Minoribus in integrum restitutis contra maiorem, sibi restituitur actio contra tertium minoris beneficio liberatum.

XX. PAPINIANVS.

ALterius curatoris hæredem minorem, vt in maiore
C pecunia condemnatum, in integrum restitui placuit. ea res materiam litis aduersus alterum curatorem instaurandæ non dabit, quasi in minore pecunia condemnatum: si non sit eius ætatis actor, cui subueniri debeat. sed æquitatis ratione suadente, per vtilem actionem ei subueniri, in quantum alter releuatus est, oportet.

Conuento minore, nomine illius contra quem potest in integrum restitutio postulari, illius iuris beneficio dicitur concedi. Ray.

Non idcirco actio, quæ post vicesimumquintum ætatis annum intra restitutionis tẽpus aduersus tutorẽ in minore pecunia tutelæ iudicio cõdẽnatum redditur, inutilis erit: quod adolescenti curatores ob eam culpam condemnati sunt. itaque si non iudicatũ à curatoribus factum est: per doli exceptionem curatores consequi poterunt, eam a-

ctionem sibi præstari.

Cessione actionis tutelæ à pupillo facta contra collegam, tutor in solidum condemnatus secuta solutione debiti non excusatur. Ray. D

XXI. IDEM.

CVm pupillus tutelæ actione contra alterum tutorem tutori, quem iudex in solidum condemnauit, cessit: quamuis postea iudicatum fiat, tamen actio data non intercidit: quia pro parte condemnati tutoris, non tutela reddita, sed nominis precium solutum videtur.

Priuilegium tutelæ pupillo competens non perimitur nouatione necessaria per sententiam condemnatoriam latam in tutoris præiudicium contingentem.

XXII. PAVLVS.

DEfensor tutoris condẽnatus nõ auferet priuilegium pupilli. neque enim sponte cũ eo pupillus cõtraxit. E

XXIII. IDEM *lib. V. Responsorum respondit.*

COnuento hærede tutoris iudicio tutelæ: curatorem eiusdem, neque ipso iure liberatum videri, neque exceptionem rei iudicatæ ei dandam. idémque in hæredibus magistratuum obseruandum est.

XXIIII. IDEM.

POsthumo tutor datus, non nato posthumo, neque tutelæ, quia nullus pupillus est: neque protutelæ, quia nulla significatio est: neque negociorum gestorum iudicio tenetur, quia administrasse negocia eius, qui natus non esset, non videtur. & ideo vtilis in eum actio dabitur. F

XXV. HERMOGENIANVS *lib. IIII.*

iuris ἐπιτομῶν.

NOn solùm tutelæ priuilegium datur in bonis tutoris: sed etiam eius, qui pro tutela negocium gessit, vel ex curatione pupilli pupillæúe, furiosi furiosæúe debebit, si eo nomine cautum non sit.

DE CONTRARIA TVTELAE ET *utili actione.* Tit. IIII.



VLPIANVS.

COntrariam tutelæ actionẽ prætor proposuit, induxitq́; in vsum, vt facilius tutores ad administrationem accederẽt, scientes pupillũ quoque sibi

que sibi obligatũ fore ex sua administratione. quanquã e-
A nim siue tutoris authoritate pupilli non obligentur, nec in rem suam tutor obligare pupillũ possit: attamen receptum est, vt tutori suo pupillus sine tutoris authoritate ciuiliter obligetur, ex administratione scilicet. etenim prouocandi erant tutores, vt prõptius de suo aliquid pro pupillis impenderent: dum scirét se recepturos id, quod impédissent.

Hæc actio non solũ tutori, verũetiam ei, qui pro tutore negocia gessit, cõpetere debet. Sed & si curator sit, vel pupilli, vel adolescentis, vel furiosi, vel prodigi: dicendũ est, etiam his contrariũ dandum. idem in curatore quoq; ventris probandũ est. quæ sententia Sabini fuit existimãtis, cęteris quoq; curatoribus ex eiisdé caussis dandũ contrariũ.

Finito autem officio hanc actioné competere dicemus
B tutori. cæterũ quandiu durat, nõdum competit. Sed si pro curatore negocia gessit, vel curã etiã administrauit: locus erit iudicio etiam statim: quia hoc casu in ipsum quoque statim actio cõpetit. Præterea si tutelæ iudicio cõuenietur: reputari potest id, quod in rem pupilli impédit. sic erit arbitrij eius: vtrũ cõpésare, an petere velit sumptus. Quid ergo, si iudex cõpensationis eius rationé non habuit? an & cõtrario iudicio experiri possit? & vtique potest. sed si reprobata est hæc reputatio, & adquieuit: non debet iudex contrario iudicio id sarcire. An in hoc iudicio non tantûm quę pro pupillo vel in rem eius impensa sunt, veniãt:
C verũ etiam ea quoque quę debebantur aliâs tutori (vtputa si quid à patre pupilli debitum fuit) quæritur? & magis puto, cùm integra sit actio tutori, non esse in contrarium iudiciũ deducendũ. quid tamen, si ideo exspectauit, quia tutor erat, & ideo nõ exegit? videam⁹, an cõtrario iudicio tutelæ indemnitatem consequatur. quod magis probandum est. nam sicuti, quodcunque aliud gessit pro vtilitate pupilli, id contrario iudicio cõsequitur: ita etiam id, quod sibi debetur, consequi debet, vel eius securitaté. ergo & si ex caussa, quæ tempore finitur, obligatio aliqua fuit: tutelæ contrarium iudicium esse ei opinor. Hanc actionem dãdam placet, & si tutelę iudicio non agatur. etenim nonnunquam pupillus idcirco agere tutelæ non vult, quia nihil ei debetur: imò plus in eum impensum est, quàm ei abest. nec im-

 pediẽdus

pediendus est tutor contrario agere.

II. IVLIANVS *lib.* XXI. *Digestorum.* D

LOnge magis dandum est, & si rationibus detrahendis actio intendatur.

III. VLPIANVS.

QVid ergo, si plus in eum impendit, quàm est in facultatibus? videamus, an possit hoc consequi. & Labeo scripsit, posse. sic tamen accipiendum est, si expediat pupillo ita tutelam administrari. cæterùm si non expedit: dicendum est, absolui pupillum oportere. neque enim in hoc administrantur tutelæ, vt mergantur pupilli. iudex igitur, qui contrario iudicio cognoscit, vtilitatem pupilli spectabit, & an tutor ex officio sumptus fecerit.

Finita tutela tutor non potest agere hoc iudicio, vt pupillus eum liberet ab actione tutelæ: sed tantùm agit pro pecunia, quæ ei abest, & hoc cum vsuris. E

Contrarium iudicium an ad hoc quoque competat, vt quis à pupillo exigat liberationem, videndum est. & nemo dixerit, in hoc agere quem contrario posse, vt tutelæ iudicio liberetur: sed tantùm de his, quæ ei propter tutelam absunt. consequitur autem pecuniam, si quam de suo consumpsit, etiam cum vsuris: sed vel trientibus, vel his, quæ in regione obseruantur, vel his, quibus mutuatus est (si necesse habuit mutuare, vt pupillo ex iusta caussa prorogaret) vel his, quibus pupillum liberauit, vel quibus caruit tutor, si nimiù profuit pupillo pecuniã esse exsolutam. F
Planè si fortè tutor aliquid pecuniç debuit fœnerari, & aliquid ipse pro pupillo soluit: nec ipse vsuras consequitur, nec pupillo pensabit. Quare & si in vsus suos cõuertit, deinde aliquid impendit in rem pupillarem: quam impẽdit, desinit vertisse, & exinde vsuras nõ præstabit. & si antè impendit in rem pupillarem, mox in vsus suos vertit: non videbitur vertisse quantitatem, quæ cõcurrit cum quantitate sibi debita, vt eius summæ non præstet vsuras. Vsuras vtrum tandiu consequetur tutor, quandiu tutor est: an etiã post finitã tutelam: an ex mora tantum, videamus. & magis est, vt quo ad ei reddatur pecunia, consequatur. nec enĩ debet ei sterilis esse pecunia. si tamen fuit in substantia pupilli, vnde consequeretur: dicendum est, non oportere eum

vſuras à pupillo exigere. quid ergo, ſi de re pupillari non
A potuit ſibi ſoluere, quia erat depoſita ad prædiorum cõpa
rationem? ſi quidem non poſtulauit à prętore, vt promatur
pecunia, vel hoc minus deponatur: ſibi imputet. ſi verò
hoc deſiderauit, nec impetrauit: dicendum eſt, non deperire
ei vſuras in contrario iudicio. Sufficit tutori bene
& diligenter negocia geſſiſſe: & ſi euentum aduerſum habuerit,
quod geſtum eſt. Iudicio tutelæ contrario præſtatur
& id, quod in rem pupilli vel poſt tutelam verſum
eſt, ſi negociis tutelę tempore geſtis connexum probatur:
& quod antè impenſum eſt, ſiue pro tutore negocia geſſit,
& poſtea tutor conſtitutus eſt, ſiue ventri erat curator, ſed
& ſi non pro tutore negocia gerebat, debet venire, quod
B antè impenſum eſt. Deducuntur enim in tutelæ iudicium
ſumptus, quoſcunque fecerit in rem pupilli: ſic tamen, ſi
bona fide fecit. Hanc actionem perpetuã eſſe palàm eſt:
& hæredi, & in hæredem dari: cæteriſq́ue ſucceſſoribus,
ad quos ea res pertinet, & in eos.

Tutor remotus à tutela tanquam ſuſpectus, poteſt agere contrario iudicio ad repetendum quod in rem pupilli impendit: quia in eo ſtatu eſt, ac ſi pubertate pupilli finita eſſet tutelą, & hac actio datur heredi tutoris, ſi creditoribus pupilli pro pupillo ſoluat.

IIII. IVLIANVS.

A Tutela remotus eo loco haberi debet, quo eſſet finita
tutela. & ſicut actiones patitur, perinde ac ſi pupillus
C pubes factus eſſet: ita contrario iudicio, ſi quid ei aberit,
perſequi debebit. Nihil enim prohibet ſuſpectum tutorē
eſſe: quamuis complura in rem pupilli impenderit, quę eũ
amittere non oportet. V. VLPIANVS.

HAeredem tutoris, ſi eam ſummam ſoluerit, in qua obligati
pupilli fuerunt, actionem contrariam aduerſus
eos habere poſſe, reſpondi.

VI. PAVLVS.

SI tutor pro pupillo ſe obligauit: habet contrariam actionem
& antequam ſoluat.

DE EO, QVI PRO TVTORE, *proúe curatore negocia geſſit.* Tit. V.

VLPIANVS.


Rotutelæ actionem neceſſariò prætor propoſuit.nã cũ plerũque incertum ſit, vtrum quis tutor,an verò quaſi tutor, pro tutore adminiſtrauerit tutelam:idcirco in vtrũque caſum actionem ſcripſit,vt ſiue tutor ſit, ſiue non ſit, qui geſſit:actione tamen teneatur. ſolét enim magni errores intercedere, vt diſcerni facilè non poſſit, vtrum quis tutor fuerit, & ſic geſſerit:an verò non fuerit, pro tutore tamen munere functus ſit. Pro tutore autem negocia gerit,qui munere tutoris fungitur in re impuberis:ſiue ſe putet tutorem,ſiue ſciat non eſſe, fingat tamen. Proinde & ſi ſeruus,quaſi tutor,egerit:diuus Seuerus ſcripſit, dandum in dominum vtile iudicium. Cũ eo,qui pro tutore negocia geſſit,etiam ante pubertatem agi poſſe, nulla dubitatio eſt:quia tutor non eſt.quarè ſi quis finita tutela, pro tutore negocia impuberis geſſit,tenebitur. ſed & ſi prius pro tutore adminiſtrauerit,deinde quaſi tutor:æquè tenebit̃ ex eo,quod pro tutore negocia adminiſtrauerit: quãuis deuoluatur hic geſt⁹ in tutelæ actioné. Si quis quaſi tutor negocia geſſerit eius,qui iam pubes eſt,neque tutoré habere poteſt:protutelæ actio ceſſat. ſimili modo & ſi eius,qui nondum natus eſt.nam vt pro tutore quis gerat,eã eſſe perſonam oportet,cuius ætas recipiat tutorem,ſed erit negociorum geſtorum actio. Si curator impuberi à prætore datus,negocia geſſerit: an quaſi pro tutore geſſerit,teneatur,quæritur?& eſt verius,ceſſare hanc actionem: quia officio curatoris functus eſt. Si quis tamen, cũ tutor non eſſet, compulſus à prætore vel à præſide, dum ſe putat tutorem,geſſerit tutelam: videndum, an pro tutore teneatur.& magis eſt,vt quamuis compulſus geſſit, teneri tamen debeat:quia animo tutoris geſſit, cũ tutor nõ eſſet. at iſte curator,non quaſi tutor,ſed quaſi curator geſſit.

In protutelæ iudicio vſuræ quoque veniunt. ſed vtrum ſolummodo in id,quod geſſit, tenebitur: an verò in id etiam, quod gerere debuit? & ſi quidem omnino non attigerit tutelam:non tenebitur.neque enim attingere debuit, qui tutor non erat.quod ſi quid geſſit:videndum, an etiã eorum,quæ non geſſit,teneatur. & hactenus tenebitur, ſi alius geſturus fuit. ſed ſi congnito, quòd tutor non fuit, abſtinuit

abstinuit administratione: videamus, an teneatur, si necessarios pupilli non certiorauit, vt ei tutorem peteret. quod
A verius est.

II. CELSVS *lib.* XXV. *Digestorum.*

SI is, qui pro tutore negocia gerebat, cū tutor nō esset: rem pupilli vendidit, nec ea vsucapta est: petet eam pupillus, quāquam ei cautum est. non enim est eadem huius, quæ tutoris, rerum pupilli administratio.

III. IABOLENVS.

QVæro. an is, qui cū tutor testamento datus esset, & id ipsum ignoraret, pro tutore negocia pupilli gessit: quasi tutor, an quasi pro tutore negocia gessit teneatur? respondit. non puto teneri quasi tutorem: quia
B scire quoque se tutorem esse debet, vt eo affectu negocia gerat, quo tutor gerere debet.

IIII. POMPONIVS.

QVi pro tutore negocia gerit, eandem fidem & diligentiam præstabit, quam tutor præstaret.

V. VLPIANVS.

EI, qui pro tutore negocia gessit, contrarium iudicium competit.

QVOD FALSO TVTORE AVthore gestum esse dicetur. Tit. VI.

VLPIANVS.

C Vius edicti æquitas non est ambigua: ne contrahentes decipiantur, dum falsus tutor adhibetur. Verba autem edicti hæc sunt. QVOD EO AVTHORE, QVI TVTOR NON FVIT. Verbis edicti multa desunt. quid enim, si fuerit tutor: is tamen fuit, qui authoritatem accommodare non potuit: puta furiosus, vel ad aliam regionem datus? Sed Pomponius libro tricesimo scripsit, interdum (quamuis tutore gestum est) nō pertinere ad hāc partem edicti. quid enim, si duo tutores, alter falsus, alter verus authoritatem accommodauerit: nōne valebit, quod gestum est? Item hoc edictum, licet singulariter scriptū sit: si tamen plures interuenerint, qui tutores non erant: locum habere debere, Pomponius libro tricesimo scribit.

Idem Pomponius scribit etiã si pro tutore negocia gerens, authoritatem accommodauerit: nihilominus hoc edictum locum habere: nisi fortè prætor decreuit, ratum se habiturum id, quod his authoribus gestum est. tunc enim valebit per prætoris tuitionem, non ipso iure. Ait prætor. SI ID ACTOR IGNORAVIT, DABO IN INTEGRVM RESTITVTIONEM. scienti non subuenit, meritò: quoniam ipse se decepit. D

II. PAVLVS.

SI id (inquit) actor ignorauit. Labeo. Et si dictũ sit ei, & ex bona fide non crediderit.

III. VLPIANVS.

PLanè si is sit, qui auxilio non indiget: scientia ei non nocet. vtputa si pupillus cũ pupillo egit. nã cũ nihil actum sit, scientia ei non nocet. E

IIII. PAVLVS *lib.* XII. *ad edictum.*

MInori vigintiquinq; annis succurritur, etiã si sciерit.

V. VLPIANVS *lib.* XII. *ad edictum.*

INterdum tamen, & si scientia nocet: tamen restitutio facienda erit, si à prætore compulsus est ad iudicium accipiendum. VI. PAVLVS.

PVpilli scientia computãda non est, tutoris eius computanda est. vtique si pupillo cautum sit: melius dicetur, rem suam restitui pupillo debere, quàm incertum cautionis euẽtum exspectari. quod & Iulianus (si aliàs circũuentus sit pupillus) respondit. F

VII. VLPIANVS.

NOuissimè prætor ait. IN EVM, QVI CVM TVTOR NON ESSET, DOLO MALO AVTHOR FACTVS ESSE DICETVR: IVDICIVM DABO, VT QVANTI EA RES ERIT, IN TANTAM PECVNIAM CONDEMNETVR. Non semper tutor conuenitur, nec sufficit, si sciẽs author fuit: verũ ita demũ, si dolo malo author fuit. quid enim si cõpulsus, aut metuens, ne cõpelleretur, authoritatẽ accõmodauerit? nõne debebit esse excusatus? Quod ait prætor, QVANTI EA RES ERIT: magis puto, nõ pœnam, sed veritatẽ his verbis contineri. Põponius libro tricesimo scripsit, rectè etiã sumptuũ in hoc iudicio

rationem

rationẽ haberi, quos facturus est actor restitutorio agendo. Si plures sint, qui authores fuerunt: perceptione ab vno facta, & cæteri liberantur, non electione.

VIII. PAVLVS.

ET ideo si nihil, aut nõ totum seruatum sit: in reliquos non denegandam in id, quod deest, actionem, Sabinus scribit.

Non solũ falsus tutor tenetur hoc edicto, sed etiã qui dolo fecit quod falsus tutor se interponeret: & datur hæredibus, sed nõ contra hæredes: nec in ipsum falsum tutorem post annum: & in dominos datur noxalis actio pro delicto seruorum.

IX. VLPIANVS.

HVius actionis exẽplo Põponius libro tricesimo scribit, dandã actionẽ aduersus eũ, qui dolo malo adhibuit, vt alius authoraretur inscius. Has in factum actiones hæredibus quidẽ cõpetere, cęterisq; successoribus: in eos verò nõ reddi, Labeo scribit, nec in ipsum post annũ: quoniã & factũ puniũt, & in dolũ cõcipiũtur, & aduersus eas personas, quæ alieno iuri subiectæ sunt, noxales erunt.

X. CAIVS.

SI cũ falso tutore actũ sit, & interea dies actionis exierit, aut res vsucapta sit: omnia incommoda perinde sustinere debet, ac si illo tẽpore vero tutore authore egisset.

XI. VLPIANVS.

FAlsus tutor, qui in contrahendo author minori duodecim vel quatuordecim annis fuerit: tenebitur in factũ actione propter dolũ malũ, cuiuscũque conditionis fuerit, vel sui iuris, vel alieni. Qui enim dolo malo authoritatẽ accõmodauerit: tenebitur hoc edicto. Sed & si quis filiæfamiliâs author factus sit ad contrahendum, tenetur. Idẽque iuris est, si ancillæ quis tutore authore crediderit. nam omnibus istis modis propter tutorẽ decipitur is, qui contraxit: quia aliter cũ impubere contracturus non fuisset, quàm si tutoris authoritas intercessisset.

Non punitur pater hoc edicto citra ætatem puellam nuptui tradens: quod si dolo id pater faciat, & puella intra duodecimum annum moriatur, & pater dotem repetat, gener poterit eum repellere doli mali exceptione his casibus quibus si fuisset matrimonium cõstitutum, erat dotem totam vel partem eius lucraturus.

Iulianus

Iulianus tractat libro viceſimo primo Digeſtorum: an etiam in patrem debeat dari hæc actio, qui filiam minoré duodecim annis nuptum dedit.& magis probat, patri igno ſcendum eſſe, ſi filiam ſuam † maturiùs in familiam ſponſi perducere voluerit. affectu enim propenſiore magis, quàm dolo id videri feciſſe. Quod ſi intra duodecimum annum hæc deceſſerit, cùm haberet dotem: putat Iulianus, ſi dolo malo conuerſatus ſit is, ad quem dos pertinet: poſſe maritum doli mali exceptione cõdicentem ſubmouere in caſibus, in quibus dotem vel in totum, vel in partem, ſi conſtaret matrimonium, fuerat lucraturus. D

† In hunc locũ Plato Dial. 6. de leg. Ariſt. li. 7. Poli. cap. 16.

XII. IDEM.

EX eo, quod interrogatus, tutorem ſe eſſe reſpondiſſet: nulla eum actione teneri. Si tamen cùm tutor nó eſſet, reſponſo ſuo in aliquam captionem adoleſcétem induxiſſet: vtilem actionem aduerſus eum dandam. E

DE FIDEIVSSORIBVS, ET NOminatoribus, & hæredibus tutorum & curatorum. Tit. VII.

POMPONIVS.



QVamuis hæres tutoris tutor non eſt: tamen ea, quæ per defunctum inchoata ſunt, per hæredem (ſi legitimæ ætatis, & maſculus ſit) explicari debent: in quibus dolus eius admitti poteſt. Quod penes tutorem fuit, hæres quoque eius reddere debet. quod apud pupillũ is reliquerit, ſi hæres capit: non quidem crimine caret, ſed extra tutelam eſt, & vtili actione hoc reddere compellitur. F

II. VLPIANVS.

POſtulare tutorem videtur, & qui per alium poſtulat. item nominare, & qui per alium hoc idem facit.

III. IDEM.

ETiam fideiuſſorem & hæredes fideiuſſoris ad eandem rationem vſurarum reuocandos eſſe conſtat, ad quam & tutor reuocatur.

Hæres tutoris tenetur de ſuo proprio dolo, & adminiſtratione in tribus caſibus, qui ſunt plani in textu. ſi poſt mortem. & reddit rationem

rationem ibi: Nam cum. &c. De negligentia verò propria non tenetur hæres tutoris.

A

IIII. IDEM.

CVm ostendimus hæredem quoque tutelæ iudicio posse conueniri: videndum, an etiam proprius eius dolus, vel propria administratio veniat in iudicium. & exstat Seruij sentẽtia existimãtis, si post mortẽ tutoris hęres ei⁹ negocia pupilli gerere ꝑseuerauerit: aut in arca tutoris pupilli pecuniã inuenerit, & cõsumpserit: vel eam pecuniam, quam tutor stipulatus fuit, exegerit: tutelæ iudicio eum teneri suo nomine. Nam cùm permittatur aduersus hæredem ex proprio dolo iurari in litem: apparet eum iudicio tutelæ teneri ex dolo proprio. Negligentia planè propria B hæredi non imputabitur. Vsuras quoque eius pecuniæ, quam pupillarem agitauit, præstare debet hæres tutoris. Quantas autem, & cuius temporis vsuras præstare debeat, ex bono & æquo constitui ab iudice oportet.

Si fideiussores permittunt se nominari à tutoribus, & in actis nomina sua scribi nihil contradicentes, tenentur ac si stipulatio intercessisset: & hi etiam qui affirmant fideiussores esse idoneos. Item fideiussores à pupillo conuenti habent easdem reputationes contra pupillum quas habent tutores.

Fideiussores à tutoribus nominati, si pręsentes fuerunt, & non contradixerunt, & nomina sua referri in acta publica passi sunt: æquum est, perinde teneri, atque si iure legi-C timo stipulatio interposita fuisset. eadem caussa videtur affirmatorum: scilicet quia, cùm idoneos esse tutores affirmauerint, fideiussorum vicem sustinent.

V. PAVLVS.

SI cum fideiussoribus tutoris, ex stipulatione rem saluam fore, agetur: easdem reputationes habebunt, quas tutor.

VI. PAPINIANVS.

PVpillus contra tutores, eorumq̃ue fideiussores iudicẽ accepit. iudice defuncto, priusquàm ad eum iretur, cõtra solos fideiussores alter iudex datus est. Officio cognoscentis conueniet, si tutores soluendo sint, & adminstratio non dispar (sed communis fuerit:) portionũ virilium admittere rationem ex persona tutorum.

VII.

VII. IDEM.

SI fideiussores, qui rem saluam fore pupillo cauerant, vt tutorem adolescens antè conueniret, petierunt: atque ideo stipulanti promiserunt, se reddituros, quod ab eo seruari non potuisset: placuit inter eos, qui soluendo essent, actionem residui diuidi, quod onus fideiussorum susceptum videretur. nam & si mandatu pluriũ pecunia credatur: æquè diuiditur actio. si enim quod est datum pro alio, soluitur: cur species actionis æquitatem diuisionis excludat? D

Licet hæres tutoris teneatur de dolo & culpa eius, qui iure datus fuit tutor: non tamen eius qui non iure datus fuit.

VIII. PAVLVS.

HAeredes eius, qui non iure tutor vel curator datus, administrationi se non immiscuit: dolum & culpam præstare non debere. Paulus respondit. talè iudicium in hæredem tutoris transferri oportere, quale quidem defunctus susceperit. hoc eò pertinere, vt non excusetur hæres si dicat se instrumenta tutelaria non inuenisse. Nam cum ex omnibus bonæ fidei iudiciis propter dolum defuncti hæres teneatur: idem puto seruandum in tutelæ actione. sed constitutionibus subuentum est ignorantiæ heredum. hoc tamen tunc obseruandum est, cùm post mortẽ tutoris hæres conueniatur: non si lite contestata tutor decesserit. nam litis cõtestatione & pœnales actiones transmittuntur ab vtraq; parte, & temporales perpetuantur. E F

DE MAGISTRATIBVS CONueniendis, *& eorum hæredibus.* Tit. VIII.

Ordo decurionum, fideiussores, & nominatores magistratuum nõ tenetur actione subsidiaria, sed bene ipsi magistratus: tamen si ordo suscepit in se periculum, tenebitur hac actione, scilicet hi tantùm qui præsentes fuerunt. Bartolus.

I. VLPIANVS *lib.* XXXVI. *ad edictum.*



IN ordinem subsidiaria actio non dabitur, sed in magistratus, nec in fideiussores eorum. hi enim rem publicam saluam fore promittunt, nõ pupilli. proinde nec nominatores magistratuũ ex hac caussa tenebunt, sed soli magistratus.

tus. Sed si ordo receperit in se periculum: dici debet, teneri eos, qui præsentes fuerunt. parui enim refert, nomina-
A uerint, vel fideiusserint, an in se periculum receperint. vtilis ergo in eos actio competit. Sed si à magistratibus municipalibus tutor datus sit: non videtur per ordinem electus. Neque prætor, neque quis alius, cui tutoris dandi ius est, hac actione tenebitur.

Magistratus non dantes tutores, sed tantùm renunciantes eorum facultates, non tenentur actione subsidiaria, nisi hoc facerent liniti gratia, aut pecunia corrupti, vel nisi Præses prouinciæ talibus magistratibus præcepisset vt exigerent satisdationem à tutoribus.

Si præses prouinciæ renunciare magistratus tantum de facultatibus tutorum voluit, vt ipse daret: videamus an, & quatenus teneantur. & exstat diui Marci rescriptum, quo
B voluit eos, qui præsidi renunciassent, non perinde teneri, atque si ipsi dedissent: sed si decepissent, gratia fortè, aut pecunia, falsa renunciantes. Planè si præses prouinciæ satis eos exigere iussit: non dubitabimus, teneri eos, etiam si præses dederit. Si præses prouinciæ, nominibus ab alio acceptis, ad magistratus municipales remiserit, vt se de nominibus instruant, & exinde instructus, dederit tutores: an exemplo eorum, qui prætorem instruunt, debeant magistratus teneri, quæritur? vtique enim interest, vtrum ipsi magistratus nomina electa dederint præsidi, an ea, quæ ab alio præses accepit, inquisierint. & puto, vtroque casu
C teneri, quatenùs dolo vel lata culpa versati sunt. Non tantùm pupilli, sed etiam successores eorum subsidiaria agere possunt. Si curatores fuerunt minus idonei dati: dicendum est, teneri magistratus oportere; si ex suggestu eorum, vel nominibus ab eis acceptis, præses dederit. sed & si ad eos remiserit, vt ipsi darent, vel vt post dationem exigerent satisdationem: periculum ad eos pertinebit.

Magistratibus imputatur, etiam si omninò tutor vel curator datus non sit. sed ita demum tenentur, si moniti non dederint. Ideo damnum, quod impuberes vel adolescentes medio tempore passi sunt, ad eos magistratus pertinere non ambigitur, qui munere mandato non paruerunt.

Sciẽdũ autem est, si magistratus municipales data opera tutelam distulerint in successores suos: vel satisdatio-

nem

nem data opera traxerint, quo ad ſucceſſores accipiant: nihil eis prodeſſe. Diuus Hadrianus reſcripſit, etiam in eum, qui electus eſſet ad æſtimandas tutorum ſatiſdationes, actionem dandam. Si inter magiſtratus hoc conueniſſet, vt alterius tantùm periculo tutores darentur: conuentiones pupillo non præiudicare, diuus Hadrianus reſcripſit. conuentione enim duum virorum † ius publicum mutari non poteſt. prius enim arbitror conueniendum eũ, qui hoc ſuſcepit: deinde excuſſis eius facultatibus, tunc veniendum ad collegam: quemadmodum ſi ſolus dediſſet, diceremus prius eum, deinde collegam aggrediendũ. D

† Qui duumuiri fuerint latè Alex. ab Alex. Genial. dierũ li. 3. ca. 16

Si quando deſint in ciuitate, ex qua pupilli oriundi ſunt, qui idonei videantur: officium eſt magiſtratuum, exquirere ex vicinis ciuitatibus honeſtiſſimum quemque, & nomina præſidibus prouinciæ mittere, non ipſos arbitriũ dandi ſibi vindicare. Si magiſtratus ab initio tutorem idoneum dedit, & ſatis non exegit: non ſufficit. quod ſi ſatis exegit, & idoneum exegit: quamuis poſtea facultatibus lapſi ſunt tutores vel fideiuſſores: nihil eſt, quod ei, qui dedit, imputetur. Non enim debent magiſtratus futuros caſus, & fortunam pupillo præſtare. Sed & ſi ſatis non exegit, idoneus tamen tutor eo tempore fuit, quo tutelæ agi poteſt: ſufficit. probatio autem non pupillo incumbit, vt doceat fideiuſſores ſoluendo non fuiſſe, cùm acciperentur: ſed magiſtratibus, vt doceant eos ſoluendo fuiſſe. E

Priuilegium in bonis magiſtratus pupillus non habet, ſed cum cæteris creditorib[9] partem habiturus eſt. Exigere autem cautionem magiſtratus ſic oportet: vt pupilli ſeruus aut pupillus ipſe (ſi fari poteſt, & in præſentiarum eſt) ſtipuletur à tutoribus, item fideiuſſoribus eorum, rem ſaluam fore pupillo. at ſi nemo eſt, qui ſtipuletur: ſeruus publicus ſtipulari debet rem ſaluam fore, aut certè ipſe magiſtratus. Planè vbi ſeruus publicus, vel ipſe magiſtratus ſtipulatur: dicendum eſt, vtilem actionem pupillo dãdam. Si filiusfamiliâs fuerit magiſtratus, & caueri pupillo non curauerit, aut non idoneè cautum ſit culpa eius: an, & quatenus in patrem eius actio danda ſit, quæritur. & ait Iulianus, in patrem de peculio dandam: ſiue voluntate eius filius decurio factus ſit, ſiue non. Nam & ſi voluntate F

patris

patris magiſtratum adminiſtrauerit : attamen non oportere patrem vltra, quàm de peculio conueniri: quaſi rem-
A publicam ſaluam fore promittat, qui dat voluntatem, vt filius decurio creetur.

Tutor non habet actionem contra magiſtratum qui dedit contutorem non ſufficientem, licet ipſe tutor pro contutore ſuo pupillo ſatisfecerit.

II. IDEM.

PRoponebatur duos tutores à magiſtratibus municipalibus datos, cautione non exacta : eorumque alterum inopem deceſſiſſe, alterum in ſolidum conuentum ſatis pupillo feciſſe. Et quærebatur, an tutor iſte aduerſus magiſtratum municipalem habere poſſit aliquam actionem, cũ
B ſciret à contutore ſuo ſatis non eſſe exactum ? Dicebam. cùm à tutore ſatis pupillo factum ſit : neque pupillum ad magiſtratus redire poſſe, neque tutorem : cùm nunquam tutor aduerſus magiſtratus habeat actionem. Senatus enim conſultum pupillo ſubuenit : præſertim cùm ſit, quod tutori imputetur : ſcilicet quod ſatis à contutore nõ exegit, vel ſuſpectum nõ fecit, ſi ſciuit (vti proponitur) magiſtratibus eum non cauiſſe.

III. IVLIANVS.

QVod ſi tutor ab hac parte culpa vacet : tamen erit iniquum, aduerſus magiſtratus actionem ei dari.

IIII. VLPIANVS.

C NOn ſimiliter tenentur hæredes magiſtratuum, vt ipſi tenentur. ſed nec hæres tutoris negligentiæ nomine tenetur. Nam magiſtratus quidé in omne periculum ſuccedit: hæres ipſius, dolo proximę culpæ ſuccedaneus eſt.

V. IVLIANVS.

DVo tutores partiti ſunt inter ſe adminiſtrationem tutelæ. alter ſine hærede deceſſit. Quæſitum eſt. vtrum in magiſtratum, qui non curaſſet, vt caueretur : an in alterum tutorem actio pupillo dari deberet ? Reſpondi. æquius eſſe, in alterum tutorem dari, quàm in magiſtratum. debuiſſe enim eum, cùm ſciret pupillo cautum non eſſe, vniuerſa negocia curare : & in ea parte, quam alteri tutori commiſiſſet, ſimilem eſſe ei, qui ad adminiſtrationem quorumdam negociorum pupilli non acceſſiſſet. nam &

ſi aliquam partem negociorum pupilli adminiſtrauerit: tenetur etiam ob rem, quã non geſſit, cùm gerere deberet. D

Si magiſtratus nullam exegit cautionem à tutore, tenetur etiam hæres eius: ſi autem exegit cautionem idoneam, & poſtea factus eſt fideiuſſor non ſoluendo, non tenetur hæres magiſtratus, ſicut nec ipſe.

VI. VLPIANVS.

QVod ad hæredem magiſtratus pertinet: exſtat diui Pij reſcriptum, cauſſa cognita debere dari actionem. Nam ſi magiſtratus tanta fuit negligẽtia, vt omnem cautionem omitteret: æquum eſt, haberi eum loco fideiuſſoris, vt & hæres eius teneatur. Si verò cauit, & tunc idonei fuerunt, poſtea verò deſierunt: ſicut ipſe magiſtratus probè recuſaret hanc actionem, ita & hæres multo iuſtius. nouiſſimè non aliâs ait in hæredem actionem dandam, quàm ſi euidenter magiſtratus cum minus idoneis fideiuſſoribus contrahunt. E

Si dolo vel lata culpa magiſtratus non exegerint cautionem, tenentur in ſolidum pupillo: aliàs pro virili.

VII. CELSVS.

IN magiſtratus, qui tutorem dederunt, rogo reſcribas, vtrum pro virili portione actio danda ſit: an optio ſit eius, qui pupillus fuit, cum quo potiſſimum agat? Reſpondi. ſi dolo fecerunt magiſtratus, vt minus pupillo caueretur: in quem vult, actio ei in ſolidum danda eſt. ſi nec culpa eorum, neque dolo malo id factum eſt: æquius eſſe exiſtimo, pro portione in quemque eorum actionem dari, dũ pupillo res ſalua ſit. F

VIII. MODESTINVS.

MAgiſtratus à curatoribus adulti cautionem exegerunt rem ſaluam fore. ex his alter ſine hærede deceſſit. quæro, an indemnitatem in ſolidum collega eius præſtare debeat? Modeſtinus reſpondit. nihil proponi, cur non debeat.

Vſuræ poſſunt à magiſtratibus exigi eo pacto, quo exiguntur à tutoribus quando conueniuntur actione tutelæ.

IX. IDEM.

AN in magiſtratus actione data, cum vſuris ſors exigi debeat: an verò vſuræ peti non poſſint, quoniam

conſtitutum

conſtitutum eſt, pœnarum vſuras peti non poſſe, quæſitum
A eſt. Et reſcriptum eſt à diuo Seuero & Antonino, vſuras peti poſſe: quoniam eadem in magiſtratibus actio datur, quæ competit in tutores.

DE REBVS EORVM, QVI SVB *tutela uel cura ſunt, ſine decreto non alienandis, uel pignori obligandis.* Tit. IX.

VLPIANVS.

Imperatoris Seueri oratione prohibiti ſunt tu-
B tores & curatores prædia ruſtica vel ſuburbana diſtrahere. quæ oratio in ſenatu recitata eſt Tertyllo & Clemente conſulibus, idibus Iuniis. & ſunt verba eius huiuſmodi. PRAETEREA, PATRES CONSCRIPTI, INTERDICAM TVTORIBVS ET CVRATORIBVS, NE PRAEDIA RVSTICA VEL SVBVRBANA DISTRAHANT: NISI, VT ID FIERET, PARENTES TESTAMENTO VEL CODICILLIS CAVERINT. QVOD SI FORTE AES ALIENVM TANTVM ERIT, VT EX REBVS CAETERIS NON POSSIT EXSOL-
C VI: TVNC PRAETOR VRBANVS VIR CLARISSIMVS ADEATVR, QVI PRO SVA RELIGIONE EXISTIMET, QVAE POSSINT ALIENARI, OBLIGARIVE DEBEANT: MANENTE PVPILLO ACTIONE, SI POSTEA POTVERIT PROBARI OBREPTVM ESSE PRAETORI. SI COMMVNIS RES ERIT, ET SOCIVS AD DIVISIONEM PROVOCET: AVT CREDITOR, QVI PIGNORI AGRVM A PARENTE PVPILLI ACCEPIT, IVS EXSEQVATVR: NIHIL NOVANDVM CENSEO.

Voluntas defuncti volentis dum viueret rem vēdere, nō facit rē poſſe ſine decreto alienari poſt mortem, niſi hoc dixit in teſtamēto.

Si defunctus, dum viueret, res venales habuerit, testamento tamen non cauerit, vt distraherentur: abstinendum erit venditione. Non enim vtique, qui ipse voluerit vendere, idem etiam postea distrahendum putauit. D

Statim postquam res minoris esse cœperit: ita efficitur vt obligari vel alienari nullo modo sine decreto possit. Bartolus.

Si minor viginti quinque annis emerit prędia, vt quoad precium solueretur, essent pignori obligata venditori: nō puto pignus valere. nam vbi dominium quæsitum est minori: cœpit non posse obligari.

II. PAVLVS.

SEd hic videtur illud mouere, quod cum dominio pignus quęsitum est, & ab initio obligatio inhęsit. Quod si à fisco emerit: nec dubitatio est, quin ius pignoris saluū sit. Si igitur talis species in priuato vēditore inciderit: imperiali beneficio opus est, vt rescripto pignus cōfirmetur. E

Fundus emptus pupillo & traditus pecunia alterius pupilli, est obligatus illi pupillo, cuius pecunia fundus est emptus.

III. VLPIANVS.

SEd si pecunia alterius pupilli alteri pupillo fundus sit comparatus, isq́ue pupillo vel minori traditus sit: an pignoris obligationem possit habere is, cuius pecunia fundus fuit emptus? & magis est, vt saluum sit ius pignoris secundum constitutionem Imperatoris nostri, & diui patris eius, ei pupillo, cuius pecunia comparatus est fundus.

Pignori tamen capi, iussu magistratus, vel præsidis, vel alterius potestatis, & distrahi fundus pupillaris potest. Sed & in possessionem mitti rerum pupillarium à prętore quis potest: & ius pignoris contrahitur, siue legatorū seruandorum caussa, siue damni infecti, & vt procedat, iuberi, & etiam possideri poterit. Hæ enim obligationes siue alienationes locum habent, quando nō ex tutoris vel curatoris voluntate id fit, sed ex magistratuū authoritate. F

Quod sponte aliquando fit, licet non valeat: valet tamen si ex necessitate fiat.

Item quæri potest, si fundus à tutore pupillaris petitus sit, nec restituatur: an litis æstimatio oblata alienationē pariat? & magis est, vt pariat. hæc enim alienatio non sponte tutorum fit. Idemq́ue erit dicendum, & si fundus petitus

titus sit, qui pupilli fuit, & contra pupillum pronunciatũ,
A tutoresque restituerunt. Nam & hic valebit alienatio propter rei iudicatæ authoritatem. Si ius ἐμφυτευτικὸν (vel ἐμβατευτικὸν) habeat pupillus: videamus, an distrahi hoc à tutoribus possit. Et magis est, non posse: quãuis ius prædij potius sit. Nec vsusfructus alienari potest, & si solus fuit vsusfructus pupilli. An ergo nec hic nõ vtendo amittatur, si tutor caussam præbuerit huius rei? & manifestum est restaurari debere. Sed si proprietatem habeat pupillus, non potest vsumfructum vel vsum alienare, quamuis oratio nihil de vsufructu loquatur. Simili modo dici potest, nec seruitutem imponi posse fundo pupilli vel adolescentis, nec seruitutem remitti. quod & in fundo dotali placuit. Si lapidicinas, vel aliqua metalla pupillus habuerit stypteriæ *, vel cuius alterius materiæ: vel si cretæ, argenti fodinas, vel quid aliud huic simile.

B

*.i. aluminis.

IIII. PAVLVS.

Quod tamen priuatis liceat possidere.

V. VLPIANVS.

Magis puto ex sententia orationis impediri alienationem. Sed & si salinas habeat pupillus, idem erit dicendum. Si pupillus alienum fundum bona fide emptum possideat: dicendum puto, nec hunc alienare tutores posse. Ea enim quę quasi pupillaris vero distractus est, venditio valet. Si pupillo fundus pignoratus sit: an vendere tutores possint? & puto. hunc enim quasi debitoris, hoc est, alienum vendunt. si tamen impetrauerat pupillus vel pater eius, vt iure dominij possideat: consequens erit dicere, non posse distrahi, quasi prædium pupillare. Idemque est, & si fuerit ex caussa damni infecti iussus possidere.

Cod. Med. non habet vero.

C

Fundus alienus legatus à pupillo hærede instituto potest restitui legatario: secus si fundus proprius pupilli legatus sit.

Si fundus legatus, vel per fideicommissum fuerit relictus Seio, à pupillo hærede instituto: an tutores restituere hunc fundum possint sine authoritate prætoris? & putem, siquidem rem suam legauit, cessare orationem. sin verò de re pupilli: dicendum erit locum esse orationi, nec inconsulto prætore posse alienari.

Quando pupillus ſuccedit in rem alii promiſſam, vel debitam prius ex venditione, illa res poteſt alienari in eum cui debetur: ſecus eſt ſi ipſe pupillus talem rem immobilem promittat. D

Si pupillus ſtipulanti ſpoponderit: an ſoluere poſſit ſine prætoris authoritate? & magis eſt, ne poſſit. alioquin inuenta erit alienandi ratio. Sed ſi pater ſtipulanti fundum ſpoponderit, ſucceſſeritq́ue pupillus in ſtipulatum: fortius dicetur, ſine prætoris authoritate poſſe eum reddere. Idemq́ue, & ſi iure hæreditario alij ſucceſſerit, qui erat obligatus. Eadem ratione & ſi parens fundum vendiderit, vel quis alius, cui pupillus ſucceſſerit: poteſt dici, pupillum cætera venditionis inconſulto prætore poſſe perficere. Fundum autem legatum repudiare pupillus ſine prætoris authoritate non poteſt. eſſe enim & hanc alienationem, cùm res ſit pupilli, nemo dubitat. Non paſſim tutoribus ſub obtentu æris alieni permitti debuit véditio. neque enim eſt eis via diſtractionis tributa. & ideo prætori arbitrium huius rei ſenatus dedit: cuius officio in primis hoc conuenit, excutere, an aliunde poſſit pecunia ad extenuandum æs alienum expediri. Quærere ergo debet, an pecuniam pupillus habeat, vel in numerato, vel in nominibus, quæ conueniri poſſunt, vel in fructibus conditis, vel etiam in redituum ſpe atque obuentionum. item requirat, num aliæ res ſint præter prædia, quæ diſtrahi poſſint, ex quorum precio æri alieno ſatisfieri poſſit. Si igitur deprehenderit, non poſſe aliunde exſolui, quàm ex prædiorum diſtractione: tunc permittet diſtrahi: ſi modò vrgeat creditor, aut vſurarum modus carendum ære alieno ſuadeat. Item prætor æſtimare debebit, vtrum vendere potius, an obligare permittat. nec non illud vigilanter obſeruare, ne plus accipiatur ſub obligatione prædiorum fœnoris, quàm opus ſit ad ſoluendum æs alienum. Aut ſi diſtrahendum arbitrabitur, ne propter æs alienum modicum poſſeſſio magna diſtrahatur. ſed ſi ſit alia poſſeſſio minor, vel minus vtilis pupillo: magis eam iubeat diſtrahi, quàm maioré & vtilioré. In primis igitur, quoties deſideratur ab eo, vt permittat diſtrahi: requirere debet, qui ſe inſtruat de fortunis pupilli, nec nimiũ tutorib⁹ vel curatorib⁹ credere: qui nõnunquã lucri

E

F

lucri ſui gratia adſeuerare prætori ſolent, neceſſe eſſe di-
A ſtrahi poſſeſſioné vel obligari. Requirat ergo neceſſarios pupilli, vel parẽtes, vel libertos aliquos fideles, vel quem alium, qui noticiã rerum pupillarium habeat: aut ſi nemo inuenitur, aut ſuſpecti ſunt, qui inueniuntur, iubere debet edi rationes. Itémque σύνοψιν pupillarium bonorum aduocatúmque pupillo dare, qui inſtruere poſſit prætoris religionem: an adſentire venditioni, vel obligationi debeat. Illud quæri poteſt, ſi prætor aditus, permiſerit diſtrahi poſſeſſionem prouincialem: an valeat, quod fecit?& puté valere: ſi modò tutela Romæ agebatur, & hi tutores eam quoque adminiſtrationem ſubierant. Ne tamen titulotenus tutores ære alieno allegato pecunia abutantur,
B quam mutuam acceperunt: oportebit prætorem curare, vt pecunia accepta creditoribus ſoluatur, & de hoc decernere: daréque viatorem, qui ei renunciet, pecuniam iſtam ad hoc conuerſam, propter quod deſiderata eſt alienatio vel obligatio. Si æs alienum non interueniat: tutores tamen allegent, expedire hæc prædia vendi, & alia comparari, vel certè iſtis carere: videndum eſt, an prætor ei debeat permittere. & magis eſt, ne poſſit. Prætori enim non liberum arbitrium datum eſt diſtrahendi res pupillares: ſed ita demum, ſi æs alienum immineat. proinde & ſi permiſerit, ęre alieno non allegato: conſequenter dicemus, nullam eſſe venditionem, nullúmque decretum. non enim paſſim
C diſtrahi iubere prætori tributum eſt: ſed ita demum, ſi vrgeat æs alienum. Manet actio pupillo, ſi poſtea poterit probari, obreptum eſſe prætori. Sed videndum eſt, vtrum in rem, an in perſonam dabimus ei actionem. Et magis eſt, vt & in rem detur, non tantùm in perſonã aduerſus tutores ſiue curatores. Communia prædia accipere debemus, ſi pro indiuiſo communia ſint. cæterùm ſi pro indiuiſo communia ſint: ceſſante oratione, decreto locus erit.

VI. IDEM.

SEd ſi fortè alius proprietaté fundi habeat, alius vſumfructum: magis eſt, vt ceſſet hæc pars orationis, quæ de diuiſione loquitur. nulla enim communio eſt.

VII. IDEM.

SI pupillorum ſint communia prædia, qui diuerſos tu-

tores habent: videamus, an alienatio locum habere possit. & cùm prouocatio necessaria sit: puto alienationem impe- D
diri. neuter enim poterit prouocare, sed ambo prouocationem exspectant. Item si eosdem tutores habent: multo magis quis impeditam alienationem dicet. Si pupillus dedit res pignori permissu prætoris: nonnulla erit dubitatio, an alienatio possit impediri. Sed dicendum est, posse creditorem ius suum exsequi. Tutius tamen fecerit, si prius prætorem adierit. Si pater vel parens tutor sit alicui ex liberis: an prætor adeundus sit, si obligare velit? & magis est, vt debeat. pronior tamen esse debet prætor, ad consentiendum patri. Si prætor tutoribus permiserit vendere, illi obligauerint, vel contrà: an valeat, quod actum est? Et mea fert opinio, eum qui aliud fecit, quàm quod à E
prætore decretum est, nihil egisse. Quid ergo, si prætor ita decreuerit, VENDERE OBLIGAREVE PERMITTO: an possit liberum arbitrium habere, quid faciat? Et magis est, vt possit: dummodo sciamus, prætorem non rectè partibus suis functum. debuit enim ipse statuere & eligere, vtrum magis obligare, an vendere permittat. Si obligauerit rem tutor sine decreto: quamuis obligatio non valeat, est tamen exceptioni doli mali locus: sed tunc demum, cùm tutor acceptam mutuam pecuniam ei soluerit, qui sub pignore erat creditor. Item videndum est, an & obligare ei rem possit. & dicendum est, F
si eandem sortem acceperit, nec grauioribus vsuris: valere obligationem, vt ius prioris creditoris ad sequentem transeat.

VIII. IDEM.

QVi neque tutores sunt ipso iure, neque curatores, sed pro tutore negocia gerunt, vel pro curatore: eos non posse distrahere res pupillorum vel adolescentium, nulla dubitatio est. Sed si curator sit furiosi, vel cuius alterius, non adolescentis: videndum est, vtrum iure vetere valebit venditio, an hāc orationem admittemus? Et puto, quia de pupillis princeps loquitur, & cōiunctim tutoribus curatores accipiuntur, pertinere. & de cæteris puto ex sententia orationis idem esse dicendum. An obligari communia possint, quæritur? Sed non puto sine decreto obli-

to obliganda. Nam quod excipit oratio, ad hoc tantùm
A pertinet, vt perimatur communio, non vt augeatur difficultas communionis.

Decretum antecessoris potest reuocare successor. Bartolus.

IX. IDEM.

QVamuis antecessor præsidis decreuisset ea prædia venundari, quæ tutor pupilli subiecto nomine alterius emptoris, ipse sibi comparabat: tamen si fraudem & dolum cõtra senatusconsulti authoritatem & fidem tutori commissam deprehendisset successor eius: æstimaturum, quatenus tam callidum commentum etiam in exemplum coërceri debeat.

Exceptio quæ incipit competere venditori post contractum: transit ad emptorem. Bartolus.
B

X. IDEM.

ILlicitè post senatusconsultum pupilli vel adolescentis prædio venundato: si eo nomine apud iudicem tutelæ, vel vtilis actionis æstimatio facta est, eáque soluta: vindicatio prædij ex æquitate inhibebitur.

XI. IDEM.

SI prædia minoris vigintiquinque annis distrahi desiderentur: caussa cognita præses prouinciæ debet id permittere. Idem seruari oportet, & si furiosi, vel prodigi, vel cuiuscunque alterius prædia curatores velint distrahere.

Tutor potest creditori patris pupilli soluere, & in eius locũ in pignora succedere.
C

XII. MARCELLVS.

NOn fit contra senatusconsultum, si cuius tutor creditori patris pupilli exsoluit, vt eius loco succedat.

XIII. PAVLVS.

SI fundus sit sterilis, vel saxosus, vel pestilens: videndum est, an alienare eum non possit. & imperator Antoninus & diuus pater eius in hæc verba rescripserunt. Quod allegastis, infructuosum esse fundum, quem vendere vultis: mouere nos nó potest, cùm vtique pro fructuum modo precium inuenturus sit.

Si tutor vendat prædium pupilli, & ex precio satisfacit creditoribus paternis: si postea pupillus vult vindicare prædium, & non offerat precium, repellitur doli exceptione. hoc verum si ex cæteris facultatibus

cultatibus æs alienum pupilli solui non poterit: & si illæ res saluæ erunt, ex quarum precio æri alieno satisfieri poterit. Bartolus. D

Quanquam autem neque distrahere, neque obligare tutor pupillare prędium possit: si tamē (vt Papinianus libro quinto Responsorum ait) errore lapsus vendiderit, & precium acceptum creditorib' paternis pueri soluerit: quandoque prædium domino cum fructibus vindicanti doli exceptio non inutiliter opponitur, precium ac medij temporis vsuras, quæ creditorib' debentur, non offerēti: si ex cæteris facultatib' eius æs alienum solui nō potuerit. Ego autē notaui. Et si solui potuit: si tamen illę res salue erunt, ex quarum precio æri alieno satisfieri potuerat: dicendum esse, adhuc doli exceptionem obstare, si lucrum captet pupillus ex damno alieno. E

XIIII. IDEM.

Paulus respondit. & si testamentum patris postea irritum esse apparuerit: tamen tutores pupilli, siue curatores filij nihil contra orationem diuorum principum fecisse videri, si secundum voluntatem defuncti testamento scriptam, prædium rusticum pupillare vendiderunt.

DE CVRATORIBVS, FVRIOSO, ET *aliis, extra minores, dandis.*

Tit. X.

VLPIANVS. F



Lege duodecim tabularum prodigo † interdicitur bonorum suorū administratione. quod moribus quidem ab initio introductum est. sed solent hodie prætores vel præsides, si talem hominem inuenerint, qui neque tempus, nec finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit. curatorem ei dare, exemplo furiosi. & tamdiu erunt ambo in curatione, quamdiu vel furiosus sanitatem, vel ille sanos mores receperit. Quod si euenerit: ipso iure desinunt esse in potestate curatorum. Curatio autem eius, cui bonis interdicitur, filio negabatur permittēda. sed exstat diui Pij rescriptum, filio potius curationem permittendam in patre furioso, si tam probus sit.

† Prodigi (inquit Cic. li. 2. Off.) qui epulis & visceratationibus & gladiatorū muneribus ludorū venationūq; apparatu pecunias profūdūt in eas res, quarū memoriam aut nullā aut breuē sunt relicturi.

II. PAV-

II. PAVLVS *lib. I. de officio Proconsulis.*

A SEd & aliis dabit procõsul curatores, qui rebus suis superesse non possunt, vel dari iubebit. Nec dubitabit filium quoque patri curatorem dare.

III. VLPIANVS.

DVm deliberant hæredes instituti adire, bonis à prætore curator datur.

IIII. IDEM.

FVriosæ matris curatio ad filium pertinet. pietas enim parentibus (& si inæqualis est eorum potestas) æqualis debetur.

V. CAIVS.

B CVrator ex senatusconsulto constituitur, cũ clara persona (veluti senatoris, vel vxoris ei⁹) in ea caussa sit, vt eius bona venire debeãt. Nam vt honestius ex bonis eius, quantum potest, creditoribus soluatur: curator constituitur distrahendorum bonorum gratia, vel à prætore, vel in prouinciis à præside.

VI. VLPIANVS.

OBseruare prætorem oportebit, ne cui temerè citra caussæ cognitionem plenissimam, curatorem det: quoniam plerique vel furorem, vel demẽtiam fingunt, quò magis curatore accepto, onera ciuilia detrectent.

VII. CAIVS.

C COnsilio & opera curatoris tueri debet non solùm patrimonium, sed & corpus ac salus furiosi.

Hæredes dementis possunt vindicare prædium alienatum à curatore eius, qui satis non dederat rem dementis saluam fore: nisi curator de precio prædii venditi satisfecerit creditoribus dementis: quia tunc hæredes repelluntur doli exceptione.

Curator dementi datus, decreto interposito, vti satisdaret, non cauit: & tamen quasdam res de bonis eius, legitimo modo alienauit. si hæredes dementis easdem res vindicent, quas curator alienauit, & exceptio opponetur, SI NON CVRATOR VENDIDERIT: replicatio dari debet, AVT SI SATISDATIONE INTERPOSITA SECVNDVM DECRETVM VENDIDERIT. Quòd si precio accepto curator creditores furiosi

rioſi dimiſit: replicatio doli tutos poſſeſſores præſtabit.

Contra exceptionem rei iudicatæ curatoris primò remoti datur hæredibus furioſi replicatio propter ſecundum curatorem, qui condemnari fecit primum: & contra ſecundum datur replicatio ipſi primo: quia conuerſa fuit pecunia in vtilitatem dementis. D

Cũ dementis curatorem (quia ſatis non dederat, & res malè adminiſtrarat) ideo proconſul remouerit à bonis, aliumque loco eius curatorem ſubſtituerit: & hic poſterior (cũ nec ipſe ſatis dediſſet) egerit cũ remoto negociorum geſtorum, poſteaque hæredes dementis cũ eodem negociorum geſtorum agant, & is exceptione rei iudicatæ inter ſe & curatorem vtatur: hæredibus replicatio danda erit, AVT SI IS, QVI EGIT, SATIS DEDERAT. Sed an replicatio curatori profutura ſit, iudex æſtimabit, Nam ſi curator ſequens pecuniam, quam ex condẽnatione conſecutus fuerat, in rem furioſi vertiſſet: doli triplicatio obſtabit. E Quæſitum eſt, an alteri ex curatorib⁹ furioſi rectè ſoluatur, vel an vnus rem furioſi rectè alienare poſſit? reſpondi. rectè ſolui. Eum quoque, qui ab altero ex curatoribus fundum furioſi legitimè mercaretur, vſucapturũ: quia ſolutio, venditio, traditio, facti magis, quàm iuris eſſent. Ideoque ſufficit vnius ex curatoribus perſona: quia alter intelligitur cõſentire. denique ſi præſens ſit, & vetet ſolui, vel venire, vel tradi: neque debitor liberabitur, neque emptor vſucapiet.

VIII. VLPIANVS *lib.* VI. *de officio Proconſulis.*

BOnorum ventris nomine curatorem dari oportet, eũque rem ſaluã fore viri boni arbitratu ſatiſdare proconſul iubet. Sed hoc ſi ſine inquiſitione detur. nam ſi ex inquiſitione: ceſſat ſatiſdatio. F

IX. NERATIVS.

CVius bonis diſtrahẽdis curatores facere ſenatus permiſit, eius bona creditoribus vendere non permiſit: quamuis creditores poſt id beneficium bona vendere mallent. Sicut enim integra re poteſtas ipſis eſt, vtrum velint, eligendi: ita cũ alterum elegerint, ab altero abſtinere debent. Multoque magis id ſeruari æquũ eſt, ſi factus eſt curator, per quem bona diſtraherentur, & ſi nondum explicato eo negocio deceſſit. Nam & tunc ex integro alius curator

rator faciendus est,neque hæres prioris curatoris onerandus:cũ accidere possit,vt negocio vel propter sexus, vel
A propter ætatis infirmitatem, vel propter dignitatem maiorem minoremúe, quæ in priore curatore spectata erat, habilis non sit: possint etiam plures hæredes ei existere, neque per omnes id negocium administrari expediat: aut quicquã dici possit, cur vnus aliquis ex his potissimum onerandus sit.

X. VLPIANVS.

IVlianus scribit.eos, quibus per prætorem bonis interdictum est,nihil transferre posse ad aliquem:quia in bonis non habeant, cũ eis deminutio sit interdicta. Curator furiosi rem quidem suam quasi furiosi tradere poterit,
B & dominium transferre:rem verò furiosi,si quasi suam tradat,dicendum,vt non transferat dominium: quia non quasi furiosi negocium gerens tradidit.

XI. PAVLVS.

PIgnus à curatore furiosi datũ valet,si vtilitate furiosi exigente id fecit.

XII. MARCELLVS.

AB adgnato,vel alio curatore furiosi,rem furiosi dedicari non posse constat. Adgnato enim furiosi non vsque quaque competit rerum eius alienatio, sed quatenus negociorum exigit administratio.

XIII. PAVLVS.

C SAepe * ad alium è lege duodecim tabularum curatio furiosi aut prodigi pertinet, alij prætor administrationem dat: scilicet cũ ille legitimus inhabilis ad eam rem videatur.

XIIII. CAIVS.

VIrum vxori mente captæ curatorẽ dari non oportet.

XV. PAVLVS.

ET mulieri, quæ luxuriosè viuit, bonis interdici potest. In curatoris bonis priuilegium furioso furiosæúe seruatur.prodigus etiam & omnes omnino,etiam si in edicto non sit eorum mentio, in bonis curatoris decreto priuilegium consequuntur.

XVI. TRIPHONINVS.

SI furioso puberi, quãquam maiori annis vigintiquinque,cu-

** Huius legis verba.lib.I. Rheto.ad Heren.referuntur. Si furiosus existet, agnatorum gẽtiliũque in eo pecuniaq; eius potestas esto.*

que, curatorem pater testamento dederit: eum prætor dare debet, secutus patris voluntatem. manet enim ea datio D
curatoris apud prætorem, vt rescripto diui Marci continetur. His consequens est, vt si prodigo curatoré dederit pater: volũtatem eius sequi debeat prætor, eumq́ue dare curatorem. Sed vtrum omnimodo: an ita, si futurum esset, vt nisi pater aliquid testamento cauisset, prætor ei bonis interdicturus esset: & maximè, si filios habeat iste prodigus? potuit tamen pater & aliâs prouidere nepotibus suis, si eos iussisset hæredes esse, & exhæredasset filium, eiq́ue quod sufficeret alimentorum nomine, ab eis certum legasset, addita caussa necessitateq́ue iudicij sui. aut si non habuerit in potestate nepotes: quoniam emancipato iam filio nati fuissent: sub conditione eos hæredes instituisset, E
vt emancipentur à patre prodigo. sed quid si nec ad hæc consensurus esset prodigus? per omnia iudicium testatoris sequendum est: ne quem pater vero consilio prodigum credidit, eum magistratus propter aliquod fortè suum vicium idoneum putauerit.

XVII. CAIVS.

CVrator furiosi nullo modo libertatem præstare potest: quod ea res ex administratione non sit. nã in tradendo ita res furiosi alienat, si ad administrationem negociorum pertineat. Et ideo nec si donandi caussa alienet, traditio quidquam valebit: nisi ex magna vtilitate furiosi de cognitione iudicis faciat. F

FINIT QVARTA PARS DIGESTORVM SEV PANDECTARVM, QVAE LIBROS OCTO SINGVLARES CONTINET.

SEQVITVR QVINTA PARS DE testamentis.

